Dogana 8 55 A 6
14. 35 7. 36

NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
ROMA
8
55 A
6

8-55-A 6

Digitized by Google



nc meliu
cula quercus
pascunt, reddunt ora
stellis ardentibus apt
Axem humero torquet

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

QVAESTIONES
DE
INCARNATIONE
VERBI DIVINI.

Ex prælectionibus

R. P. MARTINI

DE ESPARZA ARTIEDA

SOCIETATIS IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Diſputandæ

AB EVSEBIO

COMITE TRVCHSES

In Aula Collegij Germanici, & Hungarici.

Romæ Anno 1655. Menſe Iunio Die

Romæ, Typis HH. Corbelletti, MDCLV.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Palatij Apoſt.,

M. A. Oddus Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

INDEX

Quæſtionum de Incarnatione Verbi Diuini.

Quæſt. 1. Vtrum Incarnatio Verbi Diuini fuerit conueniens reſpectu Dei? pag. 1.
Q. 2. V. Incarnatio Verbi Diuini fuerit cōueniens etiam ex ſuppoſitione peccati? p. 8.
Q. 3. V. Incarnatio Verbi Diuini fuerit conueniens reſpectu creaturarum omnium? p. 12.
Q. 4. V. Incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria, ac minimè libera Deo? p. 19.
Q. 5. V. Incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria, ac minimè libera ex ſuppoſitione orbis conditi, aut peccati commiſſi? p. 23.
Q. 6. V. Incarnatio Verbi diuini fuerit neceſſaria ex natura rei ratione eleuationis hominum in finem ſupernaturalem? p. 29.
Q. 7. V. Incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria ad tollēdum peccatum? p. 35.
Q. 8. V. malitia peccati ſit infinita? pag. 39.
Q. 9. V. pura creatura poſſit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccato lethali? p. 4[illegible].

Q. 10.

Q.10. V. Valor operis ſatisfactorij creſcat ex dignitate Operantis? p.70.
Q.11. V. ſatisfactio Chriſti Domini fuerit infinita? p.78.
Q.12. V. ſatisfactio Chriſti fuerit ex iuſtitia commutatiua? p.94.
Q.13. V. remedium peccati fuerit cauſa finalis adæquata Incarnationis Verbi Diuini? p.100.
Q.14. V. remedium originalis, an verò actualium peccatorũ fuerit cauſa finalis præcipua incarnationis Verbi Diuini? p.107.
Q.15. V detur in Deo multiplex decretum Incarnationis ſecundum varias rationes? p.111.
Q.16. V. decretũ præſens Incarnationis poſſit per abſolutã exiſtentiam ſui eſſe futuritio conditionata alterius ſimilis, vel oppoſiti decreti pro alio rerũ ſtatu, & circumſtantijs? p.137.
Q.17. V. Deus fuiſſet incarnatus, tametſi homo nõ peccaſſet? p.144.
Q.18. V. præceſſerit aliquod meritum Incarnationis quoad ſubſtantiam? p.155.
Q.19. V. preceſſerit aliquod meritũ Incarnat. quoad circũſtãtias loci, Temporis & Stirpis? p.162.
Q.20. V. vnio Hypoſtatica ſit modus

dus realiter diſtinctus ab extremis? p.171.
Q.21. V. vnio facta fuerit in sola perſona, an etiã in natura Diuina? p.182.
Q.22. V. ſola, & tota humanitas aſſumpta fuerit? p.186.
Q.23. V. vnio hypoſtatica fundet communicationem idiomatum inter Deũ & hominem? p.193.
Q.24. V. Humanitas Chriſti reddatur ſancta, & grata Deo per ſanctitatem increatam? p.199.
Q.25. V. vnio hypoſtatica ſanctificet humanitatẽ, vt quod? p.206.
Q.26. V. dentur in Chriſto Gratia habitualis, omneſque Virtutes, & Dona? p.212.
Q.27. V. anima Chriſti intelligat per intellectionẽ increatam? p.217.
Q.28. V. detur in Chriſto multiplex ſcientia creata? p.225.
Q.29. V. humanitas per vnionem hypoſtaticam immediatè reddatur impeccabilis? p.235.
Q.30. V. humanitas aſſumẽda à Verbo, vel quæ aſſumpta fuiſſet, redderetur impeccabilis ante aſſũptionẽ, aut poſt dimiſsionem? p.246.
Q. 1. V. alij defectus connaturales humanitati, præter peccatũ &

& pec-

QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE MYSTERIO INCARNATIONIS VERBI DIVINI.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Incarnatio Verbi Diuini fuerit conueniens reſpectu Dei?

VIDETVR non fuiſſe 1. Quia Deus ab æterno exiſtit modo ſibi conuenientiſſimo, ita vt nullius boni ſibi conuenientis defectum patiatur. Ergo incarnatio in tempore contingens nihil Deo conueniens ſuperaddit. Imò eſt eidem diſconueniens, quia quod aliquem dimouet ab ſtatu ſummè conueniente ſibi, non poteſt non eſſe diſcōueniens eidem: eſt enim oppoſitum Optimo.

2. Coniunctio eorum, quæ ſummè diſtant inter ſe, eſt ſummè diſconueniens; vt ſi quis in imagine picta humano capiti ceruicem iungat equinam; aut in eodem ſubiecto ſumma ſanctitas cum peccato copuletur. Deus autem cùm ſit ſimpliciſſimus, & eſſentialiter immutabilis, ſummè diſtat à carne, quæ eſt maximè compoſita, & corruptibilis, præſertim in homine.

3. Inconueniens eſt eum, quem mundus capere non poteſt, & ad quem pertinet cura totius rerum vniuerſitatis, qui eſt Deus, intra corpuſculum vagientis infantiæ latere, atque ad illud totius mundi curam transferri, vt ſcribit Voluſianus ad Auguſt. ep. 2. poſt medium. Hoc autem fit per Incarnationem.

4. Abſurdum eſt Deum, qui eſt ſumma æſtimatione & cultu dignus, reddi contẽptibilem. Redditur autem Deus contemptibilis per incarnationem: tum quia per eam exinaniuit ſemetipſum redigendo quaſi in nihilum ſuam infinitam maieſtatem: tum quia vnuſquiſque eſt contemptibilis aut æſtimabilis ab alijs, prout apparet eiſdem; atque per incarnationem Deus apparet in forma contemptibili; quæ duo patent ex illo Pauli 2. Philipp. 6. *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Et quod eſt contemptibiliſſimum: apparuit vt peccator, ex 2 ad Corint. 5. 21. *eum, qui non nouerat peccatum; pro nobis peccatum fecit*; id eſt, vt appareret ſicut peccator.

5. Si incarnatio eſſet conueniens Deo, ipſius interfuiſſet incarnari. Vnde non propter nos tantùm, & propter noſtram ſalutem fuiſſet incarnatus, ſed etiam propter ſuam conuenientiam, et intereſſe. Quod tamen videtur contradicere ſymbolo, tanquam diminutè exponenti motiuum incarnationis.

6. Ens omninò completum, nullamque habens admixtam potentialitatem, quale eſt Deus, non eſt aptum, cui aliquid aliud vniatur, vnione ſaltem faciente vnum per ſe. Ergo inconueniens eſt verbum vniri humanitati, atq; inde reſultare vnum per ſe hominem Deum.

R. Con-

R. Conueniens dicitur aliquid alicui & negatiuè, & poſitiuè. Negatiuè conueniens eſt, quod non affert ſecum aliquod inconueniens; atque huiuſmodi conuenientiam habet reſpectu Dei, quidquid abſolutè poſſibile eſt, Chymæricum namque eſt Deum pati aliquod inconueniens; cùm infinitum bonum infinita vi repellat omne ſuum malum. Sed tamen poſſibilitas incarnationis Verbi non poteſt oſtendi ratione naturali: quia eſt ens intrinſecè ſupernaturale; & quia eius notitia includit in ſe notitiam myſterij Trinitatis; quæ duo præteruolant rationem naturalem. Quare ſuppoſitâ huius myſterij poſſibililate, & exiſtentia ex Fide, & præmiſsa protinus, quam ſolam præſtare poteſt ratio naturalis, ſolutione argumentorum in contrarium, vtpote indiſtinctorum ab ijs, quæ propoſita ſunt aduerſus conuenientiam poſitiuam; ſolùm quæritur de hac poſitiua conuenientia. Conueniens autem poſitiuè eſt, quod affert aliquam vel vtilitatem, vel delectationem ſatiatiuam, & quietatiuam appetitus naturalis, vel laudabilitatem, iuxta diuiſionem boni traditam ab Ariſt, 8. ethic. cap 2. Quia verò Deus ſe ſolo eſt ſumma ſua & perfecta vndequaque beatitudo, ſummumque & infinitum bonum, beatificum ſ explens totum ſuum appetitum naturalem, & ſub hac ratione minimè capax augmenti, aut additionis vllius ſeu intenſiuæ, ſeu extenſiuæ, impoſſibile eſt vt aliquid creatum ſit conueniens Deo conuenientia vtilitatis, aut eiuſmodi delectabilitatis. Iam laudabilitatem dupliciter aliquid reſpectu alicuius inducere poteſt. Primò conferendo illi dignitatem laudis; atque hoc omninò repugnat cuiuis effectui aut operationi ad extra reſpectu Dei, propter eandem rationem.

Secundò manifeſtando dignitatem laudis, quam iam habet; atque hoc eſſentialiter competit, tanquam finis principaliter à Deo intentus, omnibus & ſingulis eius operationibus, maximè verò omnium, incarnationi Verbi Diuini. Quia Deus per omnes & ſingulas ſuas operationes communicat ſe creaturis, & per incarnationem plus quàm per quamlibet aliam; ideòque mediantibus illis, maximè verò omnium mediante incarnatione, manifeſtat ſuam bonitatem; & manifeſtando reddit proximè laudabilem iuxta illud Rom. 1.20. *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, & conſequenter laudantur. Conſpiciuntur verò & laudantur maximè per id, quod inter ea, quæ facta ſunt, maximum eſt: quale proculdubio eſt myſterium incarnationis. Vnde 1. ad Timoth. 3. 16 dicitur *Magnum eſſe pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne*. Quia, vt dicit Damaſcenus lib. 2. Orthod. Fid cap. 1. ad mediū. *Per incarnationis myſterium monſtratur ſimul bonitas, & iuſtitia, & ſapientia, & potentia Dei. Bonitas quidem, quoniam non deſpexit proprij plaſmatis infirmitatem. Iuſtitia verò, quoniam, homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem. Sapientia verò, quoniam inuenit difficillimi pretij decentiſſimam ſolutionem. Potentia verò infinita; quia nihil eſt maius, quàm Deum fieri hominem*. Eodem ſpectat, quod dicit Dionyſius 4. de diuinis nominibus: quod pertinet ad rationem boni vt ſe alijs communicet. Pertinet enim ad rationem Boni, vt laudetur, æſtimetur, ac ametur; idque conſequitur manifeſtando ſe, & alijs benefaciendo per communicationem ſui. Quà ratione conuinci-

tinecitur ad rationem ſummi Boni pertinere, vt ſe alijs ſummè communicet. Communicat autem ſe ſummè per incarnationem, vt dicetur infrà, & habetur ex Auguſtino 13. de Trinit. cap. 17. poſt initium. Conueniens igitur ſpecialiſſimè fuit, & inter omnia creata ſummè decens, ac laudabile reſpectu Dei Verbum Diuinum incarnari.

Ad 1. Myſterium incarnationis peractū eſt, quin aliqua Deo detraheretur perfectio, aut adderetur imperfectio, per ſolam naturæ creatæ immutationem. Cum enim creatura ſit mutabilis, tam quoad eſſe, quàm quoad benè eſſe; Deus autem omninò immutabilis, poſſibile fuit illam à ſuo ſtatu dimoueri in tempore, quin Deus à ſuo dimoueretur. Neque verò eſt de ratione boni conuenientis per puram decentiam, & laudabilitatem, vt immutet ſubiectum, cui eſt conueniens, aliquid illi addendo, aut detrahando. Sufficit enim eſſe bonum diuerſum à præexiſtenti abſque aliqua cum illo oppoſitione.

Ad 2. Quò eſt maior diſtātia inter perfectiuū & perfectibile, eò eſt maior aptitudo, vt vnū perficiat, & aliud perficiatur, ſi nihil aliud obſtet; atq. eo modo cōparatur Verbū Diuinum cum humanitate. Vnde non eſt ſimile de imagine, cuius partes ſunt mutuò perfectiuæ & perfectibiles per mutuam alterius cum altera conſonantiam, quæ deſtruitur per magnam diſtantiam vnius ab alia. Multò verò minùs eſt ſimile de peccato, & ſanctitate ex vna parte, & de corpore ac ſpiritu ex altera. Quia peccatum non eſt opus Dei, nec aliquid ipſi placens; ſed magis eſt impeditiuum influentiæ, & complacentiæ diuinæ, quas ſecum affert ſanctitas communicata ſubiecto. Corpus

autem, & quiduis aliud creatum, eſt opus Dei & ipſi placens, non obſtantibus quibuſcunque ſuis imperfectionibus, nec per eas impedit influentiam Dei, & participationem bonitatis eius. Quarè licet eſſet inconueniens ſanctitatem ſummam vniri, & communicari naturæ infectæ peccato; non propterea eſt inconueniens, ſi vniatur naturæ corporeæ, & corruptibili ſummus, & immutabilis ſpiritus.

Ad 3. Non ita Verbum Diuinum infantili corpori vnitum eſt, vt vel intra illud teneatur contractum, vel curam vniuerſitatis dimittat; ſed vbique ſimul adeſt, & omnibus prouidet: ſicut anima rationalis ita adeſt tota vni parti corporis, vt ſimul adſit reliquis partibus, eàſque omnes viuificet, ac regat. Eorum namque ſolummodò proprium eſt anguſtijs loci coarctari quoad entitatem, & operationem, quæ mole, non virtute, magna ſunt, quale non eſt Deus vt reſpondet ad eundem voluſianum, & luculenter proſequitur Auguſtinus ep. 3.

Ad 4. Verbum Diuinum ſemetipſum per Incarnationem exinaniuit non amittens naturam Dei, aut imminuens aliquam eius perfectionem; ſed tantùm formam ſerui accipiens, & induens ſimilitudinem hominũ, tanquam veſtimentum; & ſimiliter ita factũ eſt peccatum, pœnalitates peccati nobis debitas in ſe miſericorditer ſuſcipiens, vt tamen nec fecerit, ne quidem nouerit vllum peccatum, per quod vileſceret: vt patet ex ijſdem illis teſtimonijs. Vnde ea exinanitio non fuit vilificationis admittentis aliquid abſolutè indecens ac indignum; ſed dignationis eomodo aſſociantis familiariter maiorem minoribus, aut dignitatẽ, ac maieſtatem maioris per aliquid ſublime indi-

indiuiſim adiunctum decenter retineret, & amorem anteriori venerationi adijceret; eámque ipſam venerationem conſtantiorẽ potiùs redderet, ac intenſiorem, adiuncto grandi eam in rem legitimi amoris adminiculo. Qua de cauſa apparentiæ ſerui, & peccatoris, quominùs in contemptum ducerent, prouidit Chriſtus multis, & magnis miraculis, per quæ innoteſceret ipſum eſſe Deum. Vnde Ioan. 5. 15. dicitur: *Opera, qua dedit mihi Pater vt faciam, ipſa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Et rurſus cap. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ac demum cap. 15. 24. *Si opera non feciſſem in eis, qua nemo alius fecit* (quæ videlicet oſtenderent præeminentem reſpectu omnium) *peccatum non haberent.* Nullum igitur inconueniens, aut periculum iuſti contemptus fuit in humili eiuſmodi apparentia.

Ad 5. Nulla vtilitatis, aut delectationis felicitantis conuenientia fuit in incarnatione reſpectu Dei, vt dictum eſt; ſed tota eius generis conuenientia ſolis nobis quæſita eſt: idque ſpecialiter exprimitur in ſymbolo abſque excluſione finis vniuerſalis gloriæ Dei; quæ etiam ipſa nobis eſt vtilis, & non Deo.

Ad 6. Non eſt contra rationem entis omninò completi, & nullam habentis potentialitatem paſſiuam, vniri alteri incompleto vnione eius perfectiua, & ſic faciente vnum per ſe ex vtriſque; ſed tantùm vniri vnione perfectiua ſui. Verbum autem ita perfecit humanitatem aſſumptam, vt ab ea viciſſim nequaquam perficeretur, aut immutaretur.

QVÆSTIO II.

Vtrum incarnatio Verbi Diuini fuerit conueniens etiam ex ſuppoſitione peccati?

VIDETVR non fuiſſe. 1. Quia humano generi ratione peccati debebatur vt pœna priuatio omnium donorum ſupernaturalium, & à fortiori incarnationis, quæ eſt donum inter reliqua maximè ſupernaturale. Conueniens autem eſt vt peccatori infligatur pœna debita ratione peccati, & oppoſitum eſt inconueniens contrarium ordini iuſtitiæ diuinæ. *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit*, vt dicitur pſal.10.7. Neque verò poteſt iuſtitiam dilexiſſe, quin oderit æqualiter præteritionem ipſius; & nihil eſt magis diſconueniẽs, quàm vt Deus per ſe ipſum exequatur, quod idem ipſe odio proſequitur; atque ita ſuæ voluntati ſuâ ipsâ voluntate reſiſtat.

2. Inconueniens eſt id concedi peccatori, quo nihil maius concedi poſſit innocenti. Sic enim tollitur ſpes dilectioni iuſtitiæ, & iniquitati timor; atque his ſublatis extinguitur ſtudium virtutis,& vitio laxantur habenæ. Nihil autem maius incarnatione Verbi Diuini concedi poteſt hominibus. Quia hoc donũ eſt omniũ maximũ, & cætera omnia dona in ſe continet; quapropter eius conceſſio eſt cõceſſio omniũ donorum iuxta illud Pauli ad Rom.8. 32. *Quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit?* Inconueniens igitur eſt contrarium rectitudini prouidentiæ

tiæ Dei Verbum incarnari ex ſuppoſitione peccati.

3. Abſurdum eſt ſanctitatem infinitam conjungi cum natura per peccatum infecta iuxta illud 2. ad Corinth.6.14. *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate &c?* Tota autem natura humana erat per peccatum infecta; *Omnis* quippe *caro corruperat viam ſuam*, vt habetur Geneſ.6. 12. Nulla igitur erat caro conuenienter diſpoſita; immò quæ non eſſet poſitiuè indiſpoſita ad congruam Verbi Diuini ſuſceptionem.

4. Si naturâ humanâ retinente innocentiam Deus nihilominùs eam excluſiſſet ab omni ſua communicatione, maximum fuiſſet inconueniens. Eiuſdem autem rationis eſſe videtur peccatorem à Deo admitti ad ſummam communicationem ſuæ bonitatis, & ab ea omnino repelli innocẽtem; cùm prouidentia Dei, & eius iuſtitia non ſit minùs exacta, & perfecta in pœnis, quam in præmijs diſtribuendis, vt liquet inter alia clarè, & copioſè ex toto pſalm. 36. maximè à verſu 9. Vbi incipit comparatio. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram.*

R. Iuſtitia, & miſericordia Dei ediderunt opera vſque adeò mirabilia, vt alterutra ſeorſim conſideranti facile appareat nullum alteri virtuti relictum eſſe locum, & vtramlibet alterius occurſu eſſe penitus impeditam, vt indicatur pſal.84.11. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.* Sed apparentem iſtam in limitatione noſtri intellectus oppoſitionem infinitas diuinæ virtutis vinculo inſeparabilis concordiæ ineffabiliter connectit, retinens vtramque virtutem inuicem aſſociatam in gradu æquali

ſublimitatis: *Iuſtitia* enim, *& pax oſculatæ ſunt*, vt ibidem immediatè ſubiungitur. Quod vel maximè elucet in hoc myſterio, quo videlicet ità ſubuentum eſt ſummæ humani generis miſeriæ, vt ſimul ſatisfactū ſit iuri aduerſus nos diuino fundato in peccato. Nempè ſatisfactio Chriſti, ad quam ordinata eſt incarnatio, ita habet rationem miſericordiæ, & quidem maximæ reſpectu hominum, vt non minùs habeat rationem iuſtæ ſolutionis reſpectu Dei; & ex vtroque capite maximum, & præ cæteris manifeſtū argumentum, ſpei quidem, quam de diuina bonitate concipere debemus, quatenùs eſt actus miſericordiæ Dei ſubuenientis nobis tantis impenſis, cùm eſſet noſtris peccatis vſque adeò offenſus; timoris verò erga iuſtitiam diuinam, quatenùs habet rationem ſolutionis reſpectu Dei exigentis pretium ſimpliciter infinitum pro compenſatione mali, & offenſionis inductæ per vnum peccatum. Cùm igitur incarnatio ex ſuppoſitione peccati ſit vſque adeò ſpecialiter, & manifeſtatiua miſericordiæ, ac iuſtitiæ diuinæ, & inductiua noſtri timoris ac ſpei, patet ipſam fuiſſe ſpecialiter conuenientē, ac decentem reſpectu Dei, & vtilem reſpectu noſtri ex ſuppoſitione peccati.

Ad 1. Non eſt contra ordinem diuinæ iuſtitiæ, quod Deus remittat pœnam debitam pro peccato. Quia quiuis cedere poteſt iuri ſuo abſque vlla iniuſtitia: & ius ex peccato reſultans eſt proprium ſolius Dei aduerſus peccatorem. Vnde Dauid petens à Deo veniam, clamabat pſalm. 50. 5. *Tibi ſoli peccaui*, concludens poſſe proinde ſibi à Deo condonari peccatum abſque vlla iniuſtitia. Deinde in iſto opere miſericordiæ æquè prouidit Deus ſatisfactioni ſuæ iuſti-

tiæ,

tiæ, cum clariſſimo inſuper documento, & non minùs efficaci incitamento timoris, & ſpei noſtræ, vt dictum eſt. Vitàtum igitur eſt omne inconueniens.

Ad 2. Si Adamus perſeueraſſet innocẽs, accepiſſet vberiora dona gratiæ. quia ipſa innocentiæ conſeruatio fuiſſet donum quoddam ſpeciale, & induxiſſet ſpeciale augmentum gloriæ; eademque eſt ratio de abſtinentia cuiuslibet alterius à peccato perſonali. Chriſtus enim continens in ſe omnia dona gratiæ plus minùſue in ſingulis influit iuxta maiorem, vel minorem ipſorum diſpoſitionem. Timor autem, & ſpes reſpiciunt bona, & mala quatenùs vnũquemque afficientia intrinſecè. Quarè nullum eſt inconueniens donum extrinſecum omnium maximum datum eſſe peccatoribus; quia datum eſt cum inæquali influentia reſpectu ſingulorum, & cum impedibilitate influxus per peccata perſonalia. Peccatum autem originale, ſicut alienà libertate contractum eſt, ita nullum eſt inconueniens ſi alieno merito congruenter ſingulis applicato deleatur; nec enim pro eo vitando ſpes, & timor ingeruntur contrahenti.

Ad 3. Caro à Chriſto aſſumpta nunquã vllo peccato infecta fuit; nec continetur in generalitate teſtimoniorum de infectione humanæ naturæ. Quia non deſcendit per ſeminalem propagationem ab Adamo. Iam teſtimonium illud Geneſeos ſolùm loquitur de corruptione hominum ante diluuium per peccata perſonalia.

Ad 4. Deus condonando peccata impedit progreſſum mali cauſati ab homine, & cuius ipſe non eſt auctor, promouètque bonum naturæ ab ipſo conditæ conferens nouum beneficium ſpecialiter indebitum.

At ſi negaret præmium, & communicatio-tionem ſui debitam bonis iuſtorum operi-bus, quorum ipſe, non minùs quàm homo, ſed multò magis eſt auctor, impediret pro-greſſum ſuorum operum, & negaret finem, ad quem intrinſecè ſunt ordinata per ſuam prouidentiam. Vnde non eſt ſimilis ratio; Deus enim per ſuam bonitatem poteſt cō-trariari malitiæ hominum, tametſi non poſ-ſit ſuiipſius propagationi, & iuſtæ ordina-tioni contrariari.

QVÆSTIO III.

Vtrum incarnatio Verbi Diuini fue-rit conueniens reſpectu crea-turarum omnium.

VIDETVR non fuiſſe. 1. reſpectu eius numero hu-manitatis, quæ aſſumpta fuit à Verbo. Quia per vnionē ad illud ſpoliata eſt ſubſi-ſtentia ſibi connaturali, ad quam propendet appetitu innato; ac proin-de, vt infert Bernal, violentiam paſſa eſt, vti patitur lapis pendens in aere, licet ſit altior locus, quàm qui eſt illi connaturalis. Quod autem eſt violentum, non eſt conue-niens patienti. Quia nihil renititur bono ſuo.

2. Reſpectu cæterarum omnium ſubſtā-tiarum rationalium, tum à fortiori. Quia ſi illi indiuiduæ naturæ, cui immediatè vni-tum eſt Verbum, non fuit conueniens ea vnio, vt modò dictum eſt: multò minùs cō-ueniens eſſe potuit reſpectu cæterarum

ſub-

ſubſtantiarum, ad quas remotiùs pertingit, & non niſi mediatè influit: tum quia eodem indiuiduo exiſtente Deo, & homine, quod per incarnationem Verbi effectum eſt, ſubſecuta eſt in omnibus ſubſtantijs rationalibus ingens confuſio, & diuiſio irreconciliabilis, alijs illud colentibus vt Deum, alijs contemnentibus vt hominem affectatorem diuinitatis. Eiuſmodi autem confuſio, ac diuiſio eſt ſummè diſconueniens toti Reipublicæ rationali, & nociua ſuperalia omnia mala iuxta illud Lucæ 13. 17. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur*: Deſolatio enim eſt ſummum malum: Tum quia indidem ſuborta eſt hominibus, & Angelis vehemens occaſio grauiſſimè peccandi; exigente homine, hoc eſt, ſubſtantiâ paris aut inferioris conditionis, cultum ſibi deferendum vt ſuperiori; quod vehementer impellit ad contradicendum, vt euentus ipſe abundè comprobauit. *Poſitus enim eſt Chriſtus in ſignum, cui contradicetur; in lapidem offenſionis, & petram ſcandali; in laqueum, & ruinam multorum*, vt habetur Iſa: 8. 14: Lucæ 2. 34. ad Rom. 9. 32. & 33. Occaſio autem contradicendi Deo eſt maximum malum, & ſummè diſconueniens poſt ipſum peccatum contradictionis.

3. Specialiter reſpectu Angelorum. Quia per incarnationem Verbi deciderũt à præeminentia ſibi connaturali ſupra homines, & coacti ſunt ſe ſubmittere homini. Quod eſt valdè acerbum, & diſconueniens naturali appetitui prælationis, & contradicens ordini rerum connaturali. Violentum nãque eſt tam reſpectu ſuperioris, quam reſpectu inferioris, naturaliter ſuperiorem conſtitui inferiorem inferiori ſe; cum vnumquodque in loco, & ordine ſuo conquieſcat

quieſcat tanquam in centro, à quo non contingit quidquàm diuelli abſque violentia.

4. Reſpectu irrationalium. Quia hæc ob ſuam limitationem, & coarctationem ad bonum particulare ſunt incapacia omnium donorum, & perfectionum ſupernaturalium: ideòque nullum bonum, nulla perfectio reſultare in illa potuit ex myſterio incarnationis. Ergo hoc myſterium non fuit conueniens poſitiuè reſpectu eorum. Immò fuit diſconueniens. Quia Chriſtus Dominus ad manifeſtandam ſuam Diuinitatem latentem ſub obſcuro humanitatis teguméto, oportuit vt magnis & frequentibus miraculis ſuis, & ſuorum diſcipulorum, turbaret ordinem elemẽtorum & mixtorũ, impediendo operationes eorum connaturales, eademque dimouendo à ſuis ſedibus, & ſuo exiſtendi modo, quæ ſunt violenta, & repugnantia innato appetitui, adeòque diſconuenientia.

5. Non eſt magnum miraculum id euenire quod Deo, ſimul & creaturis conuenit, & vtrorumque proinde inclinationi eſt cõforme. Immò eſſet magis mirabile, ſi id non eueniret. Myſterium autem incarnationis eſt maximum miraculum, & miraculum miraculorum à ſanctis Patribus prædicatur. Ergo ſiquidem eſt Deo conueniens, non poteſt ſimul eſſe conueniens creaturis.

R. Omne bonum creaturæ conſiſtit in propinquitate ad Creatorem; & eò plus participat de bono, quò plus accedit ad ipſum: Sicut corpora eò ſunt magis lucida, quò ſunt propinquiora ſoli. Deus enim eſt principium omnis boni ad eum modum, quo Sol eſt principium lucis iuxta illud Lucæ 1. 27. *Omne datum optimum, & omne donum perfe-*

perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Vnio autem hypoſtatica eſt ſumma propinquitas creaturæ ad Deum. Eadem igitur eſt ſummum bonum creaturæ, & ſummè conueniens eidem. Quia verò non expediebat Deum omnibus creaturis, aut etiã multis immediatè vniri, electa eſt ea potiſſimum ſubſtantia, in quã cętera omnia quodammodo conuenirent, & continerentur, tanquam in eorum omnium confinio, ac compendio. Talis nimirum eſt humana natura conueniens cum puris ſpiritibus ratione formæ ſpiritualis, & cum rebus materialibus ratione corporis, & omne genus perfectionum, ac operationum illis diuiſim conuenientium in ſe complectens indiuiſim. Qua de cauſa, homo dicitur paruus mundus. Conuenientius igitur fuit reſpectu totius vniuerſi humanitatem potiùs, quàm vllam aliam naturam aſſumi, vt inde in omnes creaturas nouus dignitatis ſplendor, & augmentum bonitatis redundaret iuxta illud ad Epheſ. 1. 10. ex ſenſu Irenæi: *ſecundum beneplacitum eius quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra, in ipſo.*

Ad 1. Appetitus innatus cuiuſuis entitatis, vtpotè inditus, ac directus cognitione, & voluntate agentis vniuerſalis, & ordinatus primariò ad bonum itidem vniuerſale, fertur ad omnia bona abſolutè poſſibilia tali entitati; collectiuè quidem in ea, quæ ſunt mutuò compoſſibilia; diſiunctiuè verò in ea quæ ſunt incompoſſibilia. Vnde licet abſolutè nõ debeatur vlli entitati niſi quod eſt infimum inter bona ſua inuicem incompoſſibilia; ſi tamen ei fiat gratia alicuius præſtantioris, vel etiam præſtantiſſimi, nul-

la

la propterea fit illi violētia. Immò magis eius appetitus expletur. Nulla igitur violētia paſſa eſt humanitas Chriſti ob defectū ſubſiſtētiæ ſibi debitæ cōnaturaliter. Quia loco eius data eſt ſubſiſtentia diuina magis perficiens. Lapis autē ideò violenter in aere detinetur, quia is locus nō eſt ipſi melior, ſed deterior, quàm qui eſt inferior, & ei cōnaturalis.

Ad 2. Falsò inprimis ſupponitur, vt oſtenſum eſt, incarnationem non fuiſſe conuenientem humanitati aſſumptæ, eàmque jam aſſumptam non fuiſſe idoneam, ex qua, non quidem æquale, maximum tamen abſolutè bonum in cætera omnia redundaret. Deinde tametſi Verbum incarnatum non fuiſſet, extitiſſet diuiſio piorum, & impiorum; accedentium ad Deum, & ab eodē multipliciter recedentium; eàque diuiſio fuiſſet multò pernicioſior; abeuntibus multò pluribus in partem deteriorem, quos Chriſtus in viam ſalutis reduxit meritis, & exemplis ſuis atque doctrinà. Quod ad deſolationem attinet, inducunt illam quidem in omnes diuiſos diuiſiones fundatæ in adhæſione vtriuſque partis ad bona temporalia; quia hæc bona ſunt multò minora, quàm ſint ipſi, qui ob illa ſe inuicem deſerunt, atque inimicos mutuò reddunt. Vnde conſequitur defectus mutui iuuaminis conſolationis, & officiorum, & ſeminarium continuæ ſolicitudinis, mutuæ amaritudinis, ac vexationis, atque malorum innumerabiliū. Homo enim homini Deus, & homo homini lupus, vt dicitur. Vtraque igitur pars, atque adeò tota collectio totumq. regnū ſic diuiſorum in magnā incidit miſeriā, ac deſolationem. At diuiſio fundata in adhæſione vnius partis ad Deū, ſolūm inducit deſolationē in eam partem quæ ſimul diuiditur, ac recedit

dit à Deo, eamque incomparabiliter minorem, quam ſit fœlicitas adhærentium Deo, qui eſt omne bonum, & à quo nihil exiſtentium tantundem recedere poteſt, quantum eidem coniungitur, qui ex toto corde ipſum diligit. Huiuſmodi autem fuit diuiſio ſubſecuta ad exiſtentiam Chriſti; quatenùs ipſe quibuſdam fuit cauſa adhæſionis ad Deum, & alijs occaſio recedendi ab eodem. Igitur Verbi incarnatio maioris boni cauſa fuit, quàm mali occaſiò; nec deſolationem, vel etiam occaſionaliter in totum regnum inuexit. Denique durum profectò eſt deferre cultum æquali, vel inferiori manente æqualitate, aut inferioritate: idem tamen eſt omninò rationabile, ac debitum, ſuperaddita æquali, ſeu inferiori, perfectione, & bonitate, perquam iam excedat abſolutè. Humanitas autem Chriſti per vnionem ad Verbum perfecta, & dignificata eſt, ſuper omnia purè creata. Quare Chriſtus poſitus eſt in lapidem contradictionis; in laqueum; & ruinam ſolùm reſpectu iniquorum nolentium parere rectæ rationi, & iuſtiſſimis diuinæ ſapientiæ legibus. Quod & diuinitati conuenit ſecundum ſe præcisè conſideratæ.

Ad 3. Patet ex dictis. Angeli enim deciderunt à præeminentia connaturali poſito à parte rei aliquo meliori ac præſtantiori, ex quo in ipſos maiora bona redundarunt, quã futurum eſſet bonum præeminentiæ connaturalis ſupra omnes homines. Et vniuerſaliter magis intereſt inferioris quam ſuperioris coëxiſtentia vtriuſque, quia plus boni redundat ex præſtantiori. Interfuit igitur Angelorum Verbum incarnari.

Ad 4. Irrationalia habent rationem puri

medij

medij respectu rationalium; nec ſunt amabilia propter ſe, ſed præciſè vt vtilia alteri. Medijs autem hoc vnum eſt conuenientiſſimum, vt in altiſſimum finem ordinentur; quod conſecutum eſt ex incarnatione Verbi, hominibus & Angelis eleuatis eius beneficio ad præſtantiſſimum perfectionis gradum. Et quia miracula iuuant ad hunc finẽ, propterea non ſunt contra, ſed ſupra naturam elementorum & mixtorum; nec contradicunt ſimpliciter appetitui innato, quia ſunt conformia inclinationi ad bonum vniuerſi, quæ cunctis entitatibus ineſt, & præualet abſolutè inclinationi ad bonum cuiuſque particulare.

Ad 5. Immo eſt de ratione maximi miraculi, vt maximè deceat Deum, ſitque nobis maximè vtile. Vnde euentus miraculoſi non ſunt mirabiles ex defectu conuenientiæ reſpectu Dei, & noſtri; ſed ex defectu virtutis & diſpoſitione contraria in cauſis naturalibus, quæ ſunt menſura noſtræ cognitionis naturalis. Vnuſquiſque enim miratur effectus, quorũ cauſa excedit ſphæram ſuæ cognitionis; & ſiquidem hic exceſſus fuerit per ſe, effectus erit verum miraculum; ſin minus, quaſi miraculum. Myſterium autem incarnationis in ſe & in ſua cauſa excedit per ſe noſtram cognitionem naturalem, & quidem omnium maximè.

QVAE-

QVÆSTIO IV.

Vtrum incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria, ac minimè libera Deo?

VIDETVR fuiſſe 1. Quia incarnatio eſt conformis inclinationi diuinæ. Vnũquodque enim naturaliter inclinat in id quod eſt ſibi conueniens, & incarnatio eſt Deo conueniens, vt dictum eſt. Inclinationi autem diuinæ reſiſti minimè poteſt; quia Deus violentiam pati non poteſt; & quia omnis eius inclinatio eſt eſſentialiter infinita, ac proinde inducit ſuum terminum infinità vi incapaci reſiſtentiæ, eſtque incompoſſibilis cum omni inclinatione contraria; cùm omne infinitum exterminet à ſe totum contrariũ. Impoſſibile igitur fuit Deum non incarnari.

2. Eſſentiale Deo eſt, vt omnes eius actus ſint optimi, id eſt, tales vt meliores eſſe non poſſint: Atque actus optimus eſt, qui proſequitur optimum obiectum, & fugit ab eius contrario; cùm bonitas actus dependeat à bonitate obiecti. Myſterium autem incarnationis eſt obiectum optimum inter omnia poſſibilia, certè eius oppoſitũ non eſt æquè bonum. Eſſentiale igitur ac minimè liberum Deo fuit, vt haberet actum proſecutiuum huius myſterij, & impeditiuum priuationis eius.

3. Deus eſt ſpecialiter laudabilis ob decretum incarnationis, nec eſſet æquè laudabilis, ſi non contuliſſet nobis iſtud beneficium.

ficium. Repugnat autem deeſſe Deo aliquem laudis titulum, aut eſſe minùs laudabilem, quàm eſt; quia repugnat deeſſe ipſi aliquam bonitatem, aut eſſe minùs bonum, quàm ſit. Atque laus proportionatur bonitati cuiuſque rei.

4. Auguſtinus 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid*, ait, *tibi vera ratione melius occurrit, hoc ſcias feciſſe Deum*. Nihil autem melius vera ratione occurrit, quam myſterium incarnationis. Neque verò poſſum inde rectè deducere, ſcire, ac pro certo ſupponere, vt ibi contendit Auguſtinus, Deum illud feciſſe, ſi nulla nihilominus ad idem volendũ neceſſitate tenebatur. Ergo Deus cum aliqua ſaltem morali neceſſitate, & non cum omnimoda indifferentia, ac plena libertate decreuit exiſtentiam huius myſterij; vt multis alijs ſimilibus teſtimonijs ſuadere conãtur Granados, & Montoya.

R. Nihil creatum vtcunque excellens, præcisè ob magnitudinem ſuæ perfectionis, poteſt inducere aliquam vel minimam neceſſitatem in volũtatem diuinam. Quia Deus neque vt ſit, neque vt perfectè beatus ſit, indiget vlla re creata, iuxta illud pſal. 15. 2. dictum Deo ex perſona Chriſti, vt vult ibi Auguſtinus: *Bonorum meorum non eges*. Quia Deus eſt omne purum bonum adæquate ſibi ſufficiens, nullumque patiens defectum; qui autem nulla re indiget, nullius rei volendæ neceſſitatem ſubire poteſt. Et patet ſpecialiter in Deo: quia quæuis neceſſitas alicuius rei volendæ volitione eſſentialiter inductiua ipſius; qualis eſt omnis volitio efficax Dei, eſt aliqua impoſſibilitas exiſtendi abſque illa re; ſiquidem eſt aliqua impoſſibilitas exiſtendi abſque ipſius volitione eſſentialiter inſeparabili ab eadem. Nulla autem

eſt

eſt manifeſtior indigentia alicuius rei,quàm impoſſibilitas exiſtendi abſque illa. Nulla igitur Deo vel minima neceſſitas conuenit reſpectu vllius obiecti creati, ratione quaſcunque bonitatis eius; ſed plena, & perfectè æquilibris indifferentia, atque ſumma contemnendi ac omittendi facilitas. Quod eſt argumẽtum eiuſdem Auguſtini quæſt. 22. ex 83. *Vbi nulla indigentia, nulla neceſsitas. Vbi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo. Ergo nulla neceſsitas.* Rurſus qui vult aliquid vt finem, & alia vt media, hæc vult cum omnimoda libertate, ac indifferentia, ſi nullatenus ſunt neceſſaria ad illud. Qui enim vult ſanitatem ex. gr. non propterea cogitur velle, quæ non ſunt neceſſaria ad illam. Sed Deus vult ſuam bonitatem vt finem, & omnia creata vt media, iuxta illud Prouerb. 16. 4. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, & nihil creatum eſt neceſſarium ad plenitudinem bonitatis in Deo. Ergo Deus vult omnia cum omnimoda libertate ac indifferentia. Ergo etiam myſterium incarnationis, quatenùs in tempore exiſtens, & in ſe includens aliquid creatum, vult cum eadem indifferentia & libertate; nec vllam vel minimam illius decernendi patitur neceſſitatem.

Ad 1. Tam incarnatio, quàm cœtera omnia creata ſunt conformia inclinationi diuinæ purè approbatiuæ ac beneuolæ; non verò lucratiuæ & impellenti ad beatitudinem, aut perfectionem aliquam eius, cui ineſt. Inclinatio autem purè approbatiua ac beneuola, nullam ſibi adiungens indigentiam aut vtilitatem ſui termini, nullam inducit neceſſitatem, aut vim determinatiuam ad volendum eundem terminum, vt dictum eſt. Vnde Deus, tametſi incarnationem efficaciter

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMAN.

ter noluiſſet, non propterea eiuſmodi ſuæ inclinationi reſtitiſſet, quatenùs reſiſtentia dicit violentam impeditionem conatus alicuius tendentis ad aliquid tanquam vtile conanti; ſed præciſè quatenùs dicit puram non peruentionem ad terminum, ad quem abſolutè peruenire poterat inclinatio ex natura ſua, Quod nullius eſt incommodi, nec infinitudini contradicit; præſertim cùm Deus infinitam ſimiliter inclinationem purè approbatiuam habeat ad priuationem creatarum omnium imperfectionum, ſine quibus nihil creatum eſſe poteſt; adeòque detur perfectum æquilibrium inclinationis diuinæ neceſſariæ.

Ad 2. Bonitas actus dependet adæquatè ex bonitate motiui formalis, non verò ex bonitate obiectorum materialium. Motiuum autem formale adæquatum omnium actuum diuinorum eſt ſola bonitas diuina, & creata omnia ſunt obiecta materialia. Vnde omnes actus diuini ſunt neceſſariò ſummè perfecti, quidquid demum circa creata quælibet decernat.

Ad 3. Deus non eſſet æquè laudabilis à nobis laude gratificanti, ſi noluiſſet incarnari. Quia non contuliſſet tam magnum beneficium; ideòque non fuiſſet tanta gratitudinis materia. At laude magnifaciente tùm et iam fuiſſet æquè laudabilis, quantum eſt ex ſe, quia habuiſſet totam eandem bonitatem, licet minùs laudandus a nobis foret ob defectum cognitionis, quatenùs innotuit magis bonitas Dei executione incarnationis. Itaque ſolùm in nobis fuiſſet defectus, & bonitatis accepto minori beneficio; & cognitionis, quam gignit meliorem de bonitate diuina beneficium Dei maius; nullus verò defectus in Deo fuiſſet.

Ad 4.

Ad 4. Illud teſtimonium Auguſtini accipiendum eſt in ſenſu, qui confert ad ſcopum eorum librorum, in quibus diſputatur contra Manichæos, non de neceſſitate abſoluta Dei ad faciendum aliquid, quam negat Auguſtinus in loco citato, & ſæpè albi; ſed de neceſſitate faciendi optimum abſque vlla mali admixtione, aut peruerſione ordinis congruentis rebus factis, ex ſuppoſitione, quod operetur aliquid ad extra. Nos autem quæſiuimus abſolutè, nullaque facta ſuppoſitione de neceſſitate incarnationis ſecundũ ſe præcisè conſideratæ. Atque hoc fere modo explicanda ſunt cœtera teſtimonia, quæ opponuntur ab illis autoribus.

QVÆSTIO V.

Vtrum incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria, ac minimè libera ex ſuppoſitione Orbis conditi, aut peccati commiſſi?

VIDETVR fuiſſe 1. Ex ſuppoſitione orbis conditi. Quia qui ſapienter operatur, neceſſe eſt, vt velit finem ex ſuppoſitione quòd velit ea, quæ habent rationem medij reſpectu talis finis. Deus autem non poteſt niſi ſapienter operari, & omnia creata diſtincta à Chriſto habent rationem medij reſpectu Chriſti, iuxta illud 1. ad Corint. 3. 23. ex communi interpretum: *Omnia veſtra sũt. Vos autem Chriſti. Chriſtus autem Dei.* Id nimirum

nimirum ſuum cuiuſque eſt, quod ad ipſum, vt ad finem ordinatur, vt dictum eſt quæſt. 2. de iuſt. Eadem igitur ratione dependentiæ mediorum à fine, ob quam impoſſibile fuit Deum velle, quæ ſunt infra hominem, quin vellet ipſum hominem, & ex amore hominis; aut velle Chriſtum, quin vellet ſeipſum, & ex amore ſui ipſius; impoſſibile etiam fuit, vt vellet nos, & quæ infra nos ſunt, quin vellet Chriſtum exiſtere, & ex amore Chriſti cætera.

2. Immo abſolutè repugnat quemquam velle media, quin velit finem. Quia media ſicut nullam habent vtilitatem, aut bonitatem; ita nec amabilitatem habent vllam, niſi in ordine ad finem. Qua de cauſa dixit Ariſt. *Quòd nemo deſperans de fine operatur*. Ergo Deus non ſolùm inutiliter, atque ideò inſipienter operatus fuiſſet; ſed etiam feciſſet aliquid vniuerſaliter repugnans ex terminis, ſi orbem condere decreuiſſet, quin decerneret exiſtentiam Chriſti.

3. Impoſſibile fuit exiſtere Chriſtum, & nullam aliam creaturam exiſtere; cùm Chriſto Domino debeatur ex natura rei ſubordinatio & vſus aliarum creaturarum. Maior autem eſt dependentia mediorum à fine, quàm è conuerſo. Ergo magis impoſſibile fuit exiſtere cæteras creaturas, & non exiſtere Chriſtum.

4. Ex ſuppoſitione peccati. Quia ſi poſito peccato originali Deus non prouidiſſet de remedio per ſanguinem Ieſu Chriſti, totum genus humanum æternaliter perijſſet; quod continet duplex inconueniens. Alterum eſt immiſericordiæ, & crudelitatis in Deo nolente impedire, cum facillimè poſſet, & abſque vllo ſuo diſpendio, ſummam in æternum miſeriam multitudinis prope infinitæ.

nitæ. Alterum eſt mutabilitatis, aut impotentiæ in eodem; ſiquidem humanum genus conditum ab ipſo fuit ex intentione beatitudinis hominum, quæ intentio mutata, vel fruſtrata fuiſſet, nullo homine beatitudinem obtinente. Vnde vlterius conſequitur humani generis conditionem reddendã fuiſſe omninò inutilem, & abſolutè damnoſam. Quod vndecunque proueniat, repugnat operi diuino: Deus enim & natura nil perperam faciunt, nedum perniciosè.

5. Vt nuper ex Auguſtino dicebatur, Deus, ex ſuppoſitione quod operetur, neceſſe eſt vt faciat, quod optimum factu eſt. Ex ſuppoſitione autem orbis cõditi, & peccati permiſſi, optimum factu erat, vt Deus miſereretur generis humani per redemptionem Ieſu Chriſti, iuxta illud pſalm. 144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Quã de cauſa præſtantiſſima quæque Dei opera attribuuntur miſericordiæ toto pſalmo 135. Primò vniuerſim verſu 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in æternum miſericordia eius*. Deinde ſingillatim. Ergo ad vtramque eam ſuppoſitionem, prout de facto contigit, neceſſariò conſecuta eſt incarnatio Verbi Diuini.

R. Pertinet quidẽ ad iuſtitiam Dei, quòd vnicuique rei, ex ſuppoſitione quòd eam creare velit, prouideat bona eidem connaturalia iuxta dignitatem ipſius, & prout cõpetit eius naturæ, eaque propter talia bona habent ex tali ſuppoſitione aliquam neceſſitatem vt ſint. At verò quod Deus alicui rei conferat, quod excedit eius dignitatem, & eſt ſupra naturalem eius conditionem, pertinet ad liberalitatem, & voluntatem purè gratioſam. Nec debetur ex iuſtitia, etiam facta ſuppoſitione exiſtentiæ talis rei.

Eſt autem ſupra dignitatem naturę humanæ quod Verbum diuinum illi immediatè vniatur, vtque idem ſit Deus & homo per identitatem perſonæ. Ergo exiſtentia huius vnionis nullatenus debebatur naturæ humanæ; ac per conſequens neque toti rerum naturalium collectioni; ſed illis ſuppoſitis adhuc fuit purè liberaliter ac gratioſè collata. Iam verò ſuperaddito peccato aucta eſt hæc indignitas humanæ naturæ, quæ ſcilicet per peccatum vileſcit, fitque deterioris longè conditionis, quàm eſſet ex ſe. Ergo ex ſuppoſitione peccati multò minùs fuit debita eadem vnio. Cùm igitur ſuppoſitio nullum inducens debitum alicuius rei conferendæ, conferentis libertatem relinquat in eodem ſtatu, atque erat antea, patet Deum cum plena & perfecta indifferentia decreuiſſe incarnationem Verbi, nihil obſtante vtraque ea ſuppoſitione.

Ad 1. Media intrinſecè ac determinatè ordinata ad aliquem finem non poſſunt eſſe volita, quin ſit volitus ipſe finis; ſed ab eo dependent magis, quàm è conuerſo. Res tamen naturales non ſunt talia media reſpectu Chriſti: Nam quæ ſunt infra hominem, ordinantur intrinſecè, tanquam ad ſuum finem naturalem, ad homines & Angelos, qui ſunt voliti ratione ſui quoad vtilitatem, nec habent naturaliter aliquem vlteriorem finem infra Deum. Quare ex ſuppoſitione quòd Chriſtus exiſtat, homines & Angeli, & omnia quæ ſunt infra ipſos, ſunt propria Chriſti, eumque reſpiciunt tanquam ſuum finem. Verùm quia hæc ſuppoſitio, & ſubordinatio ad eam conſequens, erat ſupra eorum dignitatem, & cum exaltatione rerum omnium naturalium maiori, quàm quæ ipſarum naturæ conueniret; propterea non

ita

ita connectebatur exiſtentiæ rerum naturalium exiſtentia Chriſti, ſicut connectitur exiſtentia hominis exiſtentiæ eorum, quæ ſunt infra hominem; & exiſtentia Dei exiſtentiæ cuiuslibet alterius rei. Ex quibus patet ad 2. & 3.

Ad 4. Non eſt vitium oppoſitum miſericordiæ infligere illud malum, aut non impedire, quod quiſque meretur ratione peccati, ſed eſt omiſſio cuiuſdam operis miſericordiæ per opus iuſtitiæ. Vnde Deus crudelis nequaquam fuiſſet, ſed ſolùm minùs miſericors, & magis iuſtus, quantum ad opus exterius, ſi totum genus humanum manſiſſet æternaliter priuatum beatitudine ſupernaturali ratione peccati originalis. Nec propterea intentio diuina mutata aut fruſtrata fuiſſet, Quia Deus voluntate creandi homines, non intendit abſolutè, ſed tantum conditionatè beatitudinem ſupernaturalem eorum, vel omnium, vel aliquorum; atque conditio non ſubſtitit ex culpa primi hominis, quæ in cæteros redundauit. Nec rurſus inutiliter conditum fuiſſet genus humanum; tum quia plures nihilominùs conſecuti fuiſſent beatitudinem naturalem; tum quia in omnibus manſiſſet bonum ſubſtantiale naturæ manifeſtans bonitatem & miſericordiam Dei, ex qua proceſſit, & malum pœnæ manifeſtans eius iuſtitiam.

Ad 5. Auguſtinus dicebat: Id à Deo factum ſciri, & tanquam certum ſupponi debere, nõ quod abſolutè melius eſt, ſed quod nobis vera ratione melius occurrit. Noſtra autem ratio iudicat non ex immediata aut adæquata omnipotentiæ diuinæ cognitione, ſed ex conſideratione naturæ, & exigentiæ intrinſecæ rerum creatarum; intra quem ambitum, dictum eſt, incarnationem Verbi

diuini minimè contineri. Deinde illis teſtimonijs minimè probatur opus, in quo præeminet miſericordia Dei, eſſe melius quam opus, in quo præeminet eius iuſtitia. Miſericordia enim Dei dicitur ſuper omnia opera eius, non propter maiorem eius excellentiam, ſed, vt exponit ibi Auguſtinus, propter vniuerſalitatem, quatenùs Deus miſericordiam exercet in omni opere ſuo; quod & iuſtitiæ eius commune eſt, iuxta illud pſal. 24. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*. Similiter cum dicitur: *Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia eius*: nō redditur cauſa, ob quam Deus ſolus mirabilia magna faciat, vt enixè idem Auguſtinus ibi contendit; ſed ob quam exhibenda ſit, tanquam Autori magnorum mirabilium, confeſſio laudis, de qua eſt totus ille pſalmus, & ad quam miſericordia potiſſimum diuina efficaciſſime permouet: quatenùs Deus *potentiam ſuam parcendo maximè & miſerando manifeſtat*. Quia per miſericordiam parcentem ſuperat reſiſtentiam indiſpoſitionis ſubiecti prouenientem ex peccato, quæ eſt omnium maxima reſiſtentia, & indiſpoſitio reſpectu beneficiorum Dei.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrum incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria ex natura rei ratione eleuationis hominum in finem ſupernaturalem?

VIDETVR nõ fuiſſe 1. Quia dona ſupernaturalia purè creata, quibus homo eleuatur formaliter ad beatitudinem ſupernaturalem, *diſtant* multò *magis* ab excellentia gratiæ vnionis, quàm res ordinis naturalis diſtent ab excellentia eorundem donorum. Sed res ordinis naturalis non inducunt neceſſitatem ex natura rei exiſtentiæ eorum donorum. Ergo multò minùs eadem dona eandem gratiæ vnionis neceſſitatem inducere valent. Nempe connexio intrinſeca vnius rei cum altera prouenit ex affinitate, & proportione inter ipſas.

2. Si dona ſupernaturalia purè creata, per, quæ homines eleuantur, inducerent naturali neceſſitate exiſtẽtiam Chriſti Domini, oportuiſſet vt ipſe exiſteret ab initio mundi: Quia ex tunc extiterunt ea dona, & quod cum aliquo connectitur ex natura rei, inducit eius exiſtentiam pro quocunque tempore, ipſum exiſtit, vt patet in ſole & luce; igne & calore, aliiſque ſimilibus. Incepit autem exiſtere Chriſtus Dominus multò poſt: *Vbi venit plenitudo temporis*, vt dicitur ad Galatas 4.4. & *in medio annorum*, vt habetur ex Abacuc.3.2.

3. Si hominibus eleuatis in finem ſuperna-

adeò referentis perfectionis viam neceſſe fuit ex natura rei ductorem habere, & exemplar hominem Deum, vt filij adoptiui filio naturali ſibi conſpicuo conformarentur. Nam, vt ait Auguſtinus ſerm. 9. de Natiu. Domini ſub initium: *Homo ſequendus non erat, qui videri poterat; Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergò exiberetur homini & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.* Hanc ipſam exiſtentiæ Chriſti neceſſitatem docet determinatè de fide 11. de Ciuit. cap. 2. & de ſpe etiam & charitate efficaciter vrget 23. de Trinit. cap. 10. Secundò per hos habitus reddimur capaces ad agendum familiariter cum Chriſto cognoſcendo gradū dignitatis ipſi conuenientis; percipiendo omnia eius myſteria, & doctrinam; promittendo mutuò, ſperando, & exequendo, quæ decent homines admiſſos in cōſortium diuinitatis; &, quod hæc omnia includit, exhibendo inuicem dilectionem verè amicabilem, & fraternam, vt habetur toto cap. 15. Ioannis præſertim ad medium: *Iam non dicam vos ſeruos; vos autem dixi amicos: Quia quæcunque audiui, &c.* Et Marc. 3. 35. *Qui enim fecerit voluntatem Dei,* (quod ipſum per hæc gratiæ dona exhibetur) *hic frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.* Habitibus autem, ratione quorum connaturale eſt ſic agere cum Chriſto, nequit non eſſe, pluſquam explicari poſſit, violentum, & innaturale eodem carere. Quia nihil aliud explere poteſt connaturalem tanti boni capacitatem. Tertiò ſpecialiter gratia habitualis, eadem ratione, quæ nos facit filios Dei, & hæredes, facit etiam cohæredes Chriſti, iuxtà illud 8. ad Rom. 17. *Sumus filij Dei; ſi autem filij, & hæredes; hæredes*

qui

quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Facit autem filios, & hæredes Dei ex ſua natura abſolutè, & non ex ſuppoſitione ſibi accidentali; ac proinde non eſt illi accidentalis; ſed per ſe debita ſuppoſitio exiſtentiæ Chriſti eſſentialiter requiſita ad cohæreditatem. Quartò non eſt ſuprà naturam habitus fidei, vt credat exiſtentiam Chriſti, vtque ab ipſo doceatur fidelis; ſimiliterque eſt connaturale habitui ſpei, vt ſperet adventum Chriſti, vtque ſperet in ipſo. Inter potentias autem & habitus, eorumque obiecta connaturalia, datur mutua connexio naturalis, vt inter viſum & colores, auditum & ſonos; & ſubiecta, quibus hæc naturaliter inſunt. Quintò connaturale Chriſto fuit, vt faceret opera, quæ teſtimonium perhiberent de ipſo, vt dictum eſt ex Euangelio Ioannis. Teſtimonium autem nullum perhiberent, ſi non exiſterent homines inſtructi fide, quà valerent eorum ſignificationem percipere. Neceſſe igitur fuit ex natura rei, vt exiſterent homines inſtructi fide ex ſuppoſitione exiſtentiæ Chriſti. Notatum verò modò fuit eandem eſſe connexionem habituum cum ſuis obiectis, quæ eſt è conuerſo. Denique in ſacris litteris paſſim comparantur Chriſtus & fideles vt caput & membra; vitis & palmites; Sol, & Stellæ; lux & radij; fons & riui; quæ & ſimilia permulta denotant mutuã intrinſecam habitudinem & connexionem; atque ex ſingulis eiuſmodi totidem argumenta confici facilè poſſunt in rem noſtrã expenſis ſcripturæ locis, in quibus continentur, quæque infrà producentur opportunè.

Ad 1. Pro connexione vnius rei cum alia non attenditur mutua earum proportio

nimirum ſuum cuiuſque eſt, quod ad ipſum, vt ad finem ordinatur, vt dictum eſt quæſt. 2. de iuſt. Eadem igitur ratione dependentiæ mediorum à fine, ob quam impoſſibile fuit Deum velle, quæ ſunt infra hominem, quin vellet ipſum hominem, & ex amore hominis; aut velle Chriſtum, quin vellet ſeipſum, & ex amore ſui ipſius; impoſſibile etiam fuit, vt vellet nos, & quæ infra nos ſunt, quin vellet Chriſtum exiſtere, & ex amore Chriſti cætera.

2. Immo abſolutè repugnat quemquam velle media, quin velit finem. Quia media ſicut nullam habent vtilitatem, aut bonitatem; ita nec amabilitatem habent vllam, niſi in ordine ad finem. Qua de cauſa dixit Ariſt. *Quòd nemo deſperans de fine operatur*. Ergo Deus non ſolùm inutiliter, atque ideò inſipienter operatus fuiſſet; ſed etiam feciſſet aliquid vniuerſaliter repugnans ex terminis, ſi orbem condere decreuiſſet, quin decerneret exiſtentiam Chriſti.

3. Impoſſibile fuit exiſtere Chriſtum, & nullam aliam creaturam exiſtere; cùm Chriſto Domino debeatur ex natura rei ſubordinatio & vſus aliarum creaturarum. Maior autem eſt dependentia mediorum à fine, quàm è conuerſo. Ergo magis impoſſibile fuit exiſtere cæteras creaturas, & non exiſtere Chriſtum.

4. Ex ſuppoſitione peccati. Quia ſi poſito peccato originali Deus non prouidiſſet de remedio per ſanguinem Ieſu Chriſti, totum genus humanum æternaliter perijſſet; quod continet duplex inconueniens. Alterum eſt immiſericordiæ, & crudelitatis in Deo nolente impedire, cum facillimè poſſet, & abſque vllo ſuo diſpendio, ſummam in æternum miſeriam multitudinis prope infinitæ.

nitæ. Alterum eſt mutabilitatis, aut impotentiæ in eodem; ſiquidem humanum genus conditum ab ipſo fuit ex intentione beatitudinis hominum, quæ intentio mutata, vel fruſtrata fuiſſet, nullo homine beatitudinem obtinente. Vnde vlteriùs conſequitur humani generis conditionem reddendã fuiſſe omninò inutilem, & abſolutè damnoſam. Quod vndecunque proueniat, repugnat operi diuino: Deus enim & natura nil perperam faciunt, nedum perniciosè.

5. Vt nuper ex Auguſtino dicebatur, Deus, ex ſuppoſitione quod operetur, neceſſe eſt vt faciat, quod optimum factu eſt. Ex ſuppoſitione autem orbis cõditi, & peccati permiſſi, optimum factu erat, vt Deus misereretur generis humani per redemptionem Ieſu Chriſti, iuxta illud pſalm. 144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Qua de cauſa præſtantiſſima quæque Dei opera attribuuntur miſericordiæ toto pſalmo 135. Primò vniuerſim verſu 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in æternum miſericordia eius*. Deinde ſingillatim. Ergo ad vtramque eam ſuppoſitionem, prout de facto contigit, neceſſariò conſecuta eſt incarnatio Verbi Diuini.

R. Pertinet quidẽ ad iuſtitiam Dei, quod vnicuique rei, ex ſuppoſitione quòd eam creare velit, prouideat bona eidem connaturalia iuxta dignitatem ipſius, & prout cõpetit eius naturæ, eaque propter talia bona habent ex tali ſuppoſitione aliquam neceſſitatem vt ſint. At verò quod Deus alicui rei conferat, quod excedit eius dignitatem, & eſt ſupra naturalem eius conditionem, pertinet ad liberalitatem, & voluntatem purè gratioſam. Nec debetur ex iuſtitia, etiam facta ſuppoſitione exiſtentiæ talis rei.

Eſt autem ſupra dignitatem naturę humanæ, quod Verbum diuinum illi immediatè vniatur, vtque idem ſit Deus & homo per identitatem perſonæ. Ergo exiſtentia huius vnionis nullatenus debebatur naturæ humanæ; ac per conſequens neque toti rerum naturalium collectioni; ſed illis ſuppoſitis adhuc fuit purè liberaliter ac gratioſè collata. Iam verò ſuperaddito peccato aucta eſt hæc indignitas humanæ naturæ, quæ ſcilicet per peccatum vileſcit, fitque deterioris longè conditionis, quàm eſſet ex ſe. Ergo ex ſuppoſitione peccati multò minùs fuit debita eadem vnio. Cùm igitur ſuppoſitio nullum inducens debitum alicuius rei conferendæ, conferentis libertatem relinquat in eodem ſtatu, atque erat antea, patet Deum cum plena & perfecta indifferentia decreuiſſe incarnationum Verbi, nihil obſtante vtraque ea ſuppoſitione.

Ad 1. Media intrinſecè ac determinatè ordinata ad aliquem finem non poſſunt eſſe volita, quin ſit volitus ipſe finis; ſed ab eo dependent magis, quàm è conuerſo. Res tamen naturales non ſunt talia media reſpectu Chriſti: Nam quæ ſunt infra hominem, ordinantur intrinſecè, tanquam ad ſuum finem naturalem, ad homines & Angelos, qui ſunt voliti ratione ſui quoad vtilitatem, nec habent naturaliter aliquem vlteriorem finem infra Deum. Quare ex ſuppoſitione quòd Chriſtus exiſtat, homines & Angeli, & omnia quæ ſunt infra ipſos, ſunt propria Chriſti, eumque reſpiciunt tanquam ſuum finem. Verùm quia hæc ſuppoſitio, & ſubordinatio ad eam conſequens, erat ſupra eorum dignitatem, & cum exaltatione rerum omnium naturalium maiori, quàm quæ ipſarum naturæ conueniret; propterea non

ita

ita connectebatur exiſtentiæ rerum naturalium exiſtentia Chriſti, ſicut connectitur exiſtentia hominis exiſtentiæ eorum, quæ ſunt infra hominem; & exiſtentia Dei exiſtentiæ cuiuslibet alterius rei. Ex quibus patet ad 2. & 3.

Ad 4. Non eſt vitium oppoſitum miſericordiæ infligere illud malum, aut non impedire, quod quiſque meretur ratione peccati, ſed eſt omiſſio cuiuſdam operis miſericordiæ per opus iuſtitiæ. Vnde Deus crudelis nequaquam fuiſſet, ſed ſolùm minùs miſericors, & magis iuſtus, quantum ad opus exterius, ſi totum genus humanum manſiſſet æternaliter priuatum beatitudine ſupernaturali ratione peccati originalis. Nec propterea intentio diuina mutata aut fruſtrata fuiſſet, Quia Deus voluntate creandi homines, non intendit abſolutè, ſed tantum conditionatè beatitudinem ſupernaturalem eorum, vel omnium, vel aliquorum; atque conditio non ſubſtitit ex culpa primi hominis, quæ in cæteros redundauit. Nec rurſus inutiliter conditum fuiſſet genus humanum; tum quia plures nihilominùs conſecuti fuiſſent beatitudinem naturalem; tum quia in omnibus manſiſſet bonum ſubſtantiale naturæ manifeſtans bonitatem & miſericordiam Dei, ex qua proceſſit, & malum pœnæ manifeſtans eius iuſtitiam.

Ad 5. Auguſtinus dicebat: Id à Deo factum ſciri, & tanquam certum ſupponi debere, nō quod abſolutè melius eſt, ſed quod nobis vera ratione melius occurrit. Noſtra autem ratio iudicat non ex immediata aut adæquata omnipotentiæ diuinæ cognitione, ſed ex conſideratione naturæ, & exigentiæ intrinſecæ rerum creatarum; intra quem ambitum, dictum eſt, incarnationem Verbi

diuini minimè contineri. Deinde illis teſtimonijs minimè probatur opus, in quo præeminet miſericordia Dei, eſſe melius quam opus, in quo præeminet eius iuſtitia. Miſericordia enim Dei dicitur ſuper omnia opera eius, non propter maiorem eius excellentiam, ſed, vt exponit ibi Auguſtinus, propter vniuerſalitatem, quatenùs Deus miſericordiam exercet in omni opere ſuo; quod & iuſtitiæ eius commune eſt, iuxta illud pſal. 24. 10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*. Similiter cum dicitur: *Qui facit mirabilia magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia eius*: nõ redditur cauſa, ob quam Deus ſolus mirabilia magna faciat, vt enixè idem Auguſtinus ibi contendit; ſed ob quam exhibenda ſit, tanquam Autori magnorum mirabilium, confeſſio laudis, de qua eſt totus ille pſalmus, & ad quam miſericordia potiſſimum diuina efficaciſſime permouet: quatenùs Deus *potentiam ſuam parcendo maximè & miſerando manifeſtat*. Quia per miſericordiam parcentem ſuperat reſiſtentiam indiſpoſitionis ſubiecti prouenientem ex peccato, quæ eſt omnium maxima reſiſtentia, & indiſpoſitio reſpectu beneficiorum Dei.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrum incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria ex natura rei ratione eleuationis hominum in finem ſupernaturalem?

VIDETVR nõ fuiſſe 1. Quia dona ſupernaturalia purè creata, quibus homo eleuatur formaliter ad beatitudinem ſupernaturalem, diſtant multò magis ab excellentia gratiæ vnionis, quàm res ordinis naturalis diſtent ab excellentia eorundem donorum. Sed res ordinis naturalis non inducunt neceſſitatem ex natura rei exiſtentiæ eorum donorum. Ergo multò minùs eadem dona eandem gratiæ vnionis neceſſitatem inducere valent. Nempe connexio intrinſeca vnius rei cum altera prouenit ex affinitate, & proportione inter ipſas.

2. Si dona ſupernaturalia purè creata, per quæ homines eleuantur, inducerent naturali neceſſitate exiſtẽtiam Chriſti Domini, oportuiſſet vt ipſe exiſteret ab initio mundi: Quia ex tunc extiterunt ea dona, & quod cum aliquo connectitur ex natura rei, inducit eius exiſtentiam pro quocunque tempore ipſum exiſtit, vt patet in ſole & luce; igne & calore, alijſque ſimilibus. Incepit autem exiſtere Chriſtus Dominus multò poſt: *Vbi venit plenitudo temporis*, vt dicitur ad Galatas 4.4. *& in medio annorum*, vt habetur ex Abacuc.3.2.

3. Si hominibus eleuatis in finem ſuperna-

naturalē eò ipſo deberetur incarnatio Verbi Diuini, gratia vnionis non eſſet donum diſtinctum à dono eleuationis, eadem planè ratione, quà bonum ingenium, bona indoles & ſimilia, non diſtinguuntur in ratione gratiæ à dono creationis. Sequela autem videtur abſurda: Quia per alia dona gratiæ habetur ſolum participatio, & ſimilitudo diuinæ naturæ, pèr gratiam verò vnionis habetur ipſum eſſe diuinum intrinſecè communicatum naturæ creatæ. Quod patet habere rationem gratiæ longè diuerſam, & pertinentem ad aliud genus.

R. Dupliciter cōtingit vnam entitatē, aut genus rerū inferre naturali neceſſitate aliam entitatē aut genus rerū. Primò ratione ſuæ perfectionis, & abundantiæ bonitatis cū virtute illam alijs communicandi. Secundò propter defectum perfectionis, & capacitatem illius ab alio recipiendæ; vt apparet in connexione mutua, quæ eſt inter corpora cæleſtia, & ſublunaria; quatenùs hæc ab illorum influxu dependent. Ex vtroque verò capite maior perfectio vnius extremi connectitur cum maiori perfectione extremi alterius; quò enim maior eſt perfectio effectus, eò poſtulat maiorem perfectionem in cauſa ipſum continente; & quo maior eſt perfectio cauſæ, eò eſt magis communicatiua bonitatis, & inductiua præſtantioris effectus. Et ſimiliter ſubiectum quò eſt nobiliùs diſpoſitum, eò eſt magis idoneum & congruum, in quo expleatur tota actiuitas, & influentia principij nobilioris. Chriſtus autem Dominus eſt principium donorum gratiæ nobiliſſimum ſimpliciter inter omnia, quæ per Dei potentiam fieri poſſunt, *in quo videlicet inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, vt dicitur 2. ad Coloſſ. 9. *Et in*

quo

quo proinde *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, vt habetur ibidem 3. *Et quem* propterea *donando, omnia nobis donauit Deus*, vt dictum eſt ex 8. ad Rom. 32. vt nihil prorſus ſuperſit melius, quod per vllum aliud principium nobilius cõmunicari à Deo nobis poſſit. Rurſus dona, quibus de facto eleuantur homines immediatè in finem ſupernaturalem, tenent primum locum inter omnia dona purè creata abſolutè poſſibilia: Tum quia ipſe finis eſt viſio & poſſeſſio Dei, quo nihil altius puræ creaturæ contingere poteſt; cùm per nihil aliud magis aſſimilari Deo, & appropinquare poſſit. Atque media ſummo ſini proportionata oportet eſſe ſummæ perfectionis in genere medij. Tum quia ea dona data ſunt in præmium meritis Chriſti, quibus nullum aliud meritum maius eſſe poteſt. Atque præmium ſummorum meritorum oportet eſſe ſummum, quantum capacitas eorum, quibus applicantur, permittit. Tum denique, quia ſiquid præſtantius ſupereſſet, non omnia nobis cum filio donaſſet æternus Pater, quod eſt contra teſtimonium Pauli modo citatum. Connectitur ergo ex natura rei exiſtentia Chriſti cũ noſtra eleuatione, & hæc viciſſim cum illa; & vtralibet ad alteram naturali neceſſitate conſequitur, cùm altera principium ſummũ infra Deum, altera effectus ſummos infra hominem Deum in ſe contineat.

Eandem horum donorum connexionem cum Chriſto multiplex eorum conſideratio vlteriùs perſuadet. Primò per habitus virtutum ſupernaturalium inſtruitur homo ad mores planè diuinos, iuxta illud Matth. 5. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter caleſtis perfectus eſt*. Ad capeſſendam autem arduam tam altæ, & diuinam vſque

adeò referentis perfectionis viam neceſſe fuit ex natura rei ductorem habere, & exē-plar hominem Deum, vt filij adoptiui filio naturali ſibi conſpicuo conformarentur. Nam, vt ait Auguſtinus ſerm. 9. de Natiu. Domini ſub initium: *Homo ſequendus non erat, qui videri poterat; Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergò exiberetur homini & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.* Hanc ipſam exiſtentiæ Chriſti neceſſitatem docet determinatè de fide 11. de Ciuit. cap. 2. & de ſpe etiam & charitate efficaciter vrget 13. de Trinit. cap. 10. Secundò per hos habitus reddimur capaces ad agendum familiariter cum Chriſto cognoſcendo gradū dignitatis ipſi conuenientis; percipiendo omnia eius myſteria, & doctrinam; promittendo mutuò, ſperando, & exequendo, quæ decent homines admiſſos in cōſortium diuinitatis; &, quod hæc omnia includit, exhibendo inuicem dilectionem verè amicabilem, & fraternam, vt habetur toto cap. 15. Ioannis præſertim ad medium: *Iam non dicam vos ſeruos; vos autem dixi amicos: Quia quæcunque audiui, &c.* Et Marc. 3. 35. *Qui enim fecerit voluntatem Dei,* (quod ipſum per hæc gratiæ dona exhibetur) *hic frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.* Habitibus autem, ratione quorum connaturale eſt ſic agere cum Chriſto, nequit non eſſe, pluſquam explicari poſſit, violentum, & innaturale eodem carere. Quia nihil aliud explere poteſt connaturalem tanti boni capacitatem. Tertiò ſpecialiter gratia habitualis, eadem ratione, quæ nos facit filios Dei, & hæredes, facit etiam cohæredes Chriſti, iuxtà illud 8. ad Rom. 17. *Sumus filij Dei; ſi autem filij, & hæredes; hæredes*

qui

quidem Dei, coharedes autem Chriſti. Facit autem filios, & hæredes Dei ex ſua natura abſolutè, & non ex ſuppoſitione ſibi accidentali; ac proinde non eſt illi accidentalis; ſed per ſe debita ſuppoſitio exiſtentiæ Chriſti eſſentialiter requiſita ad cohæreditatem. Quartò non eſt ſuprà naturam habitus fidei, vt credat exiſtentiam Chriſti, vtque ab ipſo doceatur fidelis; ſimiliterque eſt connaturale habitui ſpei, vt ſperet aduentum Chriſti, vtque ſperet in ipſo. Inter potentias autem & habitus, eorumque obiecta connaturalia, datur mutua connexio naturalis, vt inter viſum & colores, auditum & ſonos; & ſubiecta, quibus hæc naturaliter inſunt. Quintò connaturale Chriſto fuit, vt faceret opera, quæ teſtimonium perhiberent de ipſo, vt dictum eſt ex Euangelio Ioannis. Teſtimonium autem nullum perhiberent, ſi non exiſterent homines inſtructi fide, quà valerent eorum ſignificationem percipere. Neceſſe igitur fuit ex natura rei, vt exiſterent homines inſtructi fide ex ſuppoſitione exiſtentiæ Chriſti. Notatum verò modò fuit eandem eſſe connexionem habituum cum ſuis obiectis, quæ eſt è conuerſo. Denique in ſacris litteris paſſim comparantur Chriſtus & fideles vt caput & membra; vitis & palmites; Sol, & Stellæ; lux & radij; fons & riui; quæ & ſimilia permulta denotant mutuã intrinſecam habitudinem & connexionem; atque ex ſingulis eiuſmodi totidem argumenta confici facilè poſſunt in rem noſtrã expenſis ſcripturæ locis, in quibus continentur, quæque infrà producentur opportunè.

Ad 1. Pro connexione vnius rei cum alia non attenditur mutua earum proportio

& affinitas, quoad entitatiuam perfectionem ſecundum ſe præcisè. Quia omnia creata connectuntur eſſentialiter cum Deo, à quo diſtant infinitè; ſed attenditur proportio & affinitas in ratione principij, & effectus; obiecti & potentiæ, exemplaris, & exemplati, & ſimilium. Atque ſub hac cõſideratione patet ex dictis ratio diſcriminis.

Ad 2. Chriſtus eſt principium donorum gratiæ cauſalitate meritoriâ; & dona gratiæ feruntur inipſum vt obiectum dirigente fide. Cauſalitas autem meritoria Chriſti, cum operetur intentionaliter per dignitatem eius infinitam, vt exiſtentem in cognitione diuina, à quouis tempore in quæuis quantumlibet diſtantia opera protenditur. Fides ſimiliter cum nihil videat, ſed ſit rerum non apparentium, æquè bene fertur in abſentia, & præſentia. Non igitur neceſſe fuit donis gratiæ purè creatis ſemper coëxiſtere Chriſtum, ſed aliquando.

Ad 3. Quod eſt primum inter ea, quæ mutuò connectuntur, inducit in reliqua rationem debiti abſolutè, eiſque detrahit rationẽ gratiæ ſpecialis; qua de cauſa bona cuique connaturalia dicuntur indiſtincta à dono creationis in ratione gratiæ. Chriſtus autem eſt primum inter omnia ſupernaturalia. Quare reliqua ſupernaturalia debentur ratione eius, nec habent ſecundum ſe rationem gratiæ diſtinctæ ab eodem. Deinde quòd dona gratiæ purè creata connectantur cum Chriſto, illiſque ſuppoſitis ipſe debeatur, non minuit dignitatem, & æſtimationem gratiæ vnionis; ſed tantum manifeſtat excellentiam, & ſublimitatem eorum donorum; Quia connectuntur cum

Chriſto tanquam cum proprio & vnico ſuo principio connaturali infra Deum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum incarnatio Verbi Diuini fuerit neceſſaria ad tollendum peccatum?

VIDETVR non fuiſſe. 1. Quia Deus per incarnationem non eſt factus potẽtior quàm eſſet ex ſe. Ergo peccatum quod de facto abſtulit mediante incarnatione, æquè bene auferre potuit eâ non interueniente.

2. Vt auferatur iniuria alicui illata, non eum neceſſe eſt aliquid facere, qui eam pertulit, ſed eum, qui illam intulit. Peccatum autem continet iniuriam illatam Deo ab homine: atque incarnatio Verbi peracta eſt non homine cooperante, ſed ſolo Deo. Ergo incarnatio neceſſaria minimè fuit ad eum effectum.

3. Ad auferendum quoduis malum ſufficit tantundem boni contrarij, vt ad auferendum quatuor gradus frigoris ſufficiunt quatuor caloris. Bonitas autem incarnationis incomparabiliter præeminet malitiæ peccati. Ergò pro eius remedio non fuit neceſſarium tantum bonum.

4. Vt quis deponat offenſionem conceptam ex iniuria alterius, non neceſſe eſt illũ priùs agere amicabiliter cum iſto. Sic enim ne-

neceſſe eſſet iniuriam condonari antequam condonaretur. Deus autem volendo incarnationem Verbi, egit amicabiliter cum hominibus, qui ipſum offenderant, iuxta illud Ioan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. Eo namque ipſo contulit ſummum beneficium continens in ſe omnia bona, ideſt, omnes effectus amicitiæ. Ergo non fuit neceſſaria incarnatio vt eà mediante perueniretur ad abolitionem peccati, & offenſæ Dei.

R. Poteſt quidem Deus de potentia abſoluta multipliciter infundere gratiam ſanctificantem peccatori: nullo tamen pacto poteſt auferre ab illo peccatum, & condonare, niſi infundendo eam gratiam; in cuius videlicet priuatione peccatum lethale eſſentialiter conſiſtit, vt dicetur in quæſt. de Pœnitentia. Dictum autem eſt incarnationem Verbi neceſſariam fuiſſe ex natura rei etiam ad abolitionem peccati; ſiue Deus vellet condignam eius ſatisfactionem exigere, ſiue nollet; de quo modo præſcinditur, & queſt. 9. inquiretur. Quare licet Deus de potentia abſoluta potuerit auferre peccatum tam originale, quàm quoduis perſonale, abſque interuentione Chriſti Domini, & meritorum eius, de quo dubitandum nullatenùs eſt; congruentius tamen, & rerum naturis abſolutè accommodatum fuit, vt non niſi per Chriſti merita tantum, ac tam ſublime beneficium exhiberet; quod docet Auguſtinus 13. de Trinit. cap. 10. initio, dicens: *Modum alium noſtræ liberationis Deo non defuiſſe cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent; ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ conuenientiorem modum alium non fuiſſe nec eſſe oportuiſſe*. Quo genere locutionis ſigni-

ficare

ficare ſolet Auguſtinus neceſſitatem naturalem vnius rei ad aliam.

Ad 1. Neceſſitas naturalis interponendi cauſas ſecundas efficientes, & materiales pro aliquibus effectibus, & formis producendis, nunquam fundatur in inſufficientia virtutis diuinæ, ſed in natura effectuum & formarum; quatenus talis effectus ex ſua natura eſt participatiuus, & manifeſtatiuus virtutis à Deo communicatæ tali cauſæ ſecundæ, vt fumus ignis, & ſublunaria cæleſtium: atque talis forma eſt ſimiliter perfectiua talis ſubiecti, vt calor ignis, & dona ſupernaturalia naturæ rationalis. Neceſſitas igitur incarnationis, ad ablationem peccati, non eſt ex defectu virtutis in Deo independenter ab incarnatione; ſed quia ablatio peccati eſt donum ſupernaturale purè creatum; atque omne tale donum eſt participatiuum, & manifeſtatiuum virtutis præexiſtentis in Chriſto, aut ad eius perfectionē ordinatum. Itaque Deus potuiſſet æquè facilè auferre peccatum abſque incarnatione, ſed non modo connaturali.

Ad 2. Iniuria illata Deo hoc inter alia differt ab alijs iniurijs, vt non Deo, ſed iniurianti noceat; Nocet verò priuando eum gratiâ gratum faciente, quæ non humanarum virium, ſed diuinæ poteſtatis eſt opus. Quare vt aliæ iniuriæ auferantur per ſolum opus iniuriantis, re ponendo bonum ablatum iniuriato; iniuria tamen, quæ aduerſus Deum committitur, non niſi Deo præoperante auferri poteſt.

Ad 3. Vt forma immediatè excluſiua mali non neceſſariò debeat præeminere bonitate ſua malitiæ præexiſtenti, debet certè præeminere cauſa eam formam inducens; quia debet aduerſus vim mali præualere.

Chri-

Chriſtus autem eſt cauſa inductiua gratiæ, per quam immediatè excluditur peccatum.

Ad 4 Non ſolùm is diligere dicitur, qui alium proſequitur amore amicitiæ, de cuius ratione eſt mutua redamatio; ſed etiam qui operatur ad inductionem amicitiæ ea præſtando, per quæ inimicitia aboleri, & amicitia ſtabiliri poſſit. Atque hoc modo dilexit Deus peccatores per decretum incarnationis, nondum depoſita penitùs offenſione, nec condonato peccato, ſed poſità exiſtentia Chriſti, qui eſt cauſa ſufficiens, per quam ad condonationem peccati, & ſtabilimentum mutuæ amicitiæ perueniri poſſit. *Commendat* enim, vt ait Apoſtolus 3. ad Rom, 8. *Charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus* (hoc eſt in ſenſu compoſito peccati & offenſionis) *Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò magis iuſtificati nunc* (ſcilicet formaliter, & non tantùm cauſaliter) *in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum.* Non igitur condonatio condonationem peccati & offenſæ; ſed cauſa effectum conditionis, & initium amicitiæ conſummationem eius anteceſſit.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum malitia peccati ſit infinita?

VIDETVR eſſe ſimpliciter infinita. 1. in ratione offenſæ. Quia quodlibet peccatum lethale habet rationem offenſæ reſpectu Dei. Ratio antem offenſæ creſcit cum proportione ad dignitatem offenſi, & vilitatem offendentis, vt docet Ariſt. 5. Ethic. cap. 5. Immò, vt quibuſdam videtur. ea dignitas & vilitas, vel ſaltem altera offenſam intrinſecè conſtituit. Ergo quando dignitas offenſi eſt infinita, vt eſt dignitas Dei, & vilitas offendentis eſt itidem infinita, vti eſt vilitas cuiuſuis creaturæ comparatæ cum Deo. ratio offenſæ euadet infinita, Quam in rem eſt ſatis nota vulgaris calculatio deducens ſenſim comparationẽ ab infimo termino vſque ad infinitum, & inde concludens infinitudinem in termino compa ato.

2. In ratione demeriti. Quia pœna, quam meretur peccatum lethale. eſt ſimpliciter infinita; tum qu a eſt æterna, atque quælibet pœna æterna eſt ſimpliciter infinita; vtpotè æquiualens infinitæ intenſioni pœnæ duranti ad tempus; ſicut æquiualet pœnæ vt duo duranti per horam pœna vt vnum durans per duas horas: Tum quia nullam pænam infligere poteſt diuina potentia, quæ ſuperet dignitatem peccati; immò quæ infra illam non ſit. Qua de cau-

ſa communiter dicitur Deum punire citra condignum, & miſericorditer, nec oppoſitum contingere poſſe; atque demeritum inſuperabile, immò & inadæquabile per potentiam punitiuam infinitam oportet eſſe infinitum: Tum quia peccatum lethale priuat peccantem ſummo, & infinito bono, quod eſt Deus: atque quantitas mali, ac demeriti penſatur ex quantitate boni, quo priuat. Tum demum quia peccator eſt dignus annihilatione ſui; atque annihilatio eſt malum infinitum, vtpote transferens ad ſtatũ nociuum diſtantem infinitè ab ſtatu bono exiſtentiæ; cuiuſmodi argumento probari ſolet creationem eſſe ſupra omnem actiuitatem finitam. Demeritum autem inductiuum pænæ infinitæ non poteſt non eſſe infinitum, cũ cauſa adæquata præſertim æquiuoca non poſſit eſſe minor ſuo effectu.

3. In ratione iniuſtitiæ. Quia peccator infert Deo affectiuè infinitum malum, priuando ipſum infinito ſuo bono: Priuat enim illum ratione vltimi finis, id eſt, toto ſuo eſſe, dum collocat, quantum eſt ex ſe, vltimum ſuum finem in creatura. Neque verò peruerſitas affectus, & magnitudo malitiæ eius pendet ab euentu: eadem enim eſt malitia, & iniuſtitia affectus, ſiue ſequatur, ſiue non ſequatur malũ quod intendit.

4. In ratione ineligibilis. Habet enim peccatum ineligibilitatem infinitam, quatenus nequit prudenter eligi pro vllo, ſeu malo vitando, ſeu bono acquirendo; tametſi per poſſibile, vel impoſſibile ſupponatur eſſe infinitum, quod vitandum, aut acquirendum eſſet commiſſo peccato. Infinita autẽ ineligibilitas eſt proprietas fundata in infinito malo.

5. In ratione incompenſabilis. Quia vt exhi-

exhibere tur compenſatio æqualis pro peccato, opus fuit ſatiſfactione Chriſti. quæ eſt ſimpliciter infinita. Infinitum autem eſt, cui nihil infra infinitum æquale eſt.

R. Malum eſt oppoſitum bono debito, & in priuatione boni conſiſtit; ideòque quantitas mali menſuratur ex quantitate boni, quo priuat. Nam vt dicit Ariſt. 8. Ethic. cap. 2. *Sicut bono opponitur malum, ita optimo opponitur peſſimum*; & ſic de cæteris intermedijs proportionaliter. Inter ea verò, quæ eodem bono priuãt, illud eſt deterius, quod magis eo priuat; peſſimũ, quod eodẽ ſummè priuat, & ſiquidem poſſibile fuerit, vt priuet infinitè, erit conſequenter malum infinitum. Priuare autem magis, vel minùs tripliciter contingit ex parte boni terminantis priuationem, & totidem modis ex parte ipſius priuationis.

Ex parte quidem boni. Primò quia auferuntur plures gradus ipſius ſecundum ſe, aut communicationis ad ſubiectum quod priuatur. Secundò quia bonum, aut communicatio ſunt magis ſua ipſius, qui priuatur, magiſque debita eidem. Tertiò quia aufertur pro tempore longiori. Ratione ablationis plurium graduum boni ſecundũ ſe, ſunt deteriores aquæ quatuor gradus caloris, quàm duo: quia per quatuor priuatur pluribus gradibus frigoris ſibi debiti, quàm per duos. Et ſimiliter homini quatuor gradus ſolicitudinis circa temporalia, ſunt deteriores quàm duo: Quia per quatuor impeditur à pluribus gradibus communicationis Dei conſiſtentis in cognitione, & amore ipſius, quàm per duos. Ratione maioris debiti, aut ſuitatis, eſt deterior priuatio boni habiti reipſa, aut pleno dominio, quàm habiti ſpe tantùm, aut iure feudali,

vel

vel vſufructu. Ratione longioris durationis eſt deterius peccatum lethale, quam veniale: quia hoc pro tempore determinato, illud ſine fine priuat beatitudine.

Similiter ex parte priuationis augetur malitia. Primò quia bonum, in quo proximè fundatur priuatio, eſt maius ſecundum ſpeciem, aut intenſionem, vel alias circumſtantias. Eo namque ipſo agens inductiuiù maiì difficiliùs ceſſat à nocendo, propter maiorem inclinationem, & adhæſionem ad maius bonum. Qua de cauſa inter voluptates illicitas, earum proſecutio, cæteris paribus, eſt deterior, ac nocentior, quo ſunt maiores. Secundò quia magis communicatur ſubiecto. Qua de cauſa deterius eſt palato priuari perceptione cibi dulcis per cibi amari perceptionem; aquæ priuari frigore per calorem ſibi inhærentem; & intellectui priuari cognitione vera per errorem; quàm ſi priuentur bono ſibi connaturali per aliquid purè extrinſecum incompoſſibile per ſe immediatè cum tali bono. Tertiò quia redditur difficilior regreſſus in bonum, quo priuatur ſubiectum: ex quo capite infidelitas eſt deterior, quam omiſſio actus præcepti charitatis, & quam etiam odium Dei; quia infidelitas aufert radicitùs charitatem, redditque difficiliorem eius reditum ſublatâ fide, quæ eſt initium ipſius alliciens, & influens ad eiuſdem actus.

Ex nullo inter hæc capite, nec ex eorum omnium aggregatione malitia peccati lethalis eſt ſimpliciter infinita; ſed ex omnibus, & ſingulis concluditur eſſe finita ſimpliciter. Imprimis enim non priuat bono ſimpliciter infinito ſecundum ſe conſiderato: quia ſolus Deus eſt bonum ſimpli-

pliciter infinitum, cuius ſecundum ſe priuatio eſt chymerica; & quiduis exiſtentiũ, vt bonis omnibus alijs ſpoliari poſſit, Deo tamen ſpoliari & carere minimè poteſt à cuius videlicet influxu eſſentialiter pendet. Ac proinde cuiuſuis rei eſt eſſentiale hoc tantum bonum, vt Deum, ac dominum habeat, à quo eſſe recipiat, & cuius regimini ſubſit. Sed neque communicatione Dei infinità, aut finità communicatione infinitè priuat peccatum. Non quidem cõmunicatione infinità: quia quæuis Dei communicatio ad creaturam eſt finita & limitata: Impeditur enim infinitas Dei imperfectionibus cuiuſuis creaturæ eſſentialibus, quominùs illi communicetur, quatenus eſt excluſiuus earum, & quantum ſibi communicetur; quod eſt impediri, ne communicetur infinitè.

Nec etiam finità communicatione priuat infinitè, ſiue ex parte termini priuationis, ſiue ex parte ipſius priuationis. Nam quod ad terminum priuationis attinet, nulla Dei communicatio amiſſibilis per peccatum poteſt habere intenſionem ſimpliciter infinitam; quia infinita intenſio adhæſionis, & inclinationis ad Deum auferret libertatem peccandi, nec poſſet ſuperari vi reſiſtitiuà limitatà voluntatis. Idem dico de infinita intenſione ſuitatis ſeu debiti. Quia hæc infinitas communicationis diuinæ, quæ dignitas ob ſimilem rationem nõ poſſet amitti per peccatum: eſſet enim conſtituta per aliquam aliam infinitam coniunctionem cũ Deo. Supereſt duratio, quæ quia in quauis Dei communicatione ſemper erit categorematicè ſeu actu finita, conſequens eſt, vt nullum peccatum poſſit priuare duratione categorematicè infinità vllius communicationis

tionis diuinæ; eadem verò, quatenus eſt in potentia, priuare nihil poteſt: Quia poſſibilitas rerum eſt neceſſaria, & prorſus inimpedibilis.

Clarius excluditur infinitas ex parte ipſius priuationis; Quia priuatio conſtituens formaliter malitiam peccati fundatur in conuerſione & adhæſione ad bonum creatum, ac proinde finitum & limitatum, & ſimul auertens à Deo; ideòque contemptibile æſtimatione, & amore Dei. Deinde non communicatur infinitè ſubiecto, quia non communicatur illi per identitatem, ſed per phyſicam vnionem, ſicut aliæ formæ communicationis finitæ. Denique eſt de eſſentia peccati, ſicut cuiuſuis alterius priuationis, vt relinquat in ſuo ſubiecto aliquam capacitatem & habilitatem ad formam oppoſitam, quæ videlicet capacitas & habilitas eſt identificata cum ſubiecto; Eadem verò eſt aliqua poſſibilitas, ſiue proxima, ſiue remota, redeundi ad bonum amiſſum. Non ergo ineſt peccato infinita vis impediendi regreſſum ad gratiam, ſed limitatur per aliquam eius regreſſus poſſibilitatem neceſſariò permanentem poſt peccatum. Ex omnibus igitur capitibus malitia peccati eſt ſimpliciter finita.

Accedit, oſtensà limitatione malitiæ peccati quoad aliquid eorum, quæ ſingillatim expenſa ſunt, eò ipſo concludi limitationem eius quoad cætera omnia. Quia quæ ſe tenent ex parte termini priuationis, & ex parte ipſius priuationis, ſunt inuicem correlatiua, & mutuò dependent quoad augmentum, & diminutionem. Vtrumuis autem eorum eſt limitatum quoad omnia ſua prædicata, ſi eſt limitatum quoad aliquod ſuum prædicatum; Quia infinitum cohærere cum

finito

finito per identitatem minimè poteſt. Quà præterea ratione conuincitur, perperam examinari, nedum aſſeri infinitatem malitiæ peccati ſub vna aliqua formalitate, ſuppoſito illam eſſe finitam ſecundum aliquam aliam formalitatem; maximè cùm tota malitia peccati, certè quæ præcipua eſt, & de cuius infinitate dubitari aliqualiter poteſt, tota indiuiſibiliter, & vniformiter fundetur in vnica radice auerſionis à Deo.

Ad 2. Non ita creſcit offenſa ex dignitate offenſi, & vilitate offendentis, vt tanta ſit malitia offenſæ, quanta eſt bonitas eius dignitatis, ſiue ſecundum ſe, ſiue vt comparata cum ea vilitate. Quia offenſa non priuat offenſum ſuà dignitate, ſeu abſoluta, ſeu comparatiua, ſed eo ſolùm cultu & honore, qui ipſi debetur ratione talis dignitatis. Manifeſtum verò eſt non ineſſe tantam bonitatem honori, quanta ineſt dignitati honoris: Melius enim eſt eſſe dignum honore, quàm honorari. Dictum autem eſt menſuram malitiæ eſſe bonitatem, qua priuat. Verùm quia honor & cultus vnicuique debitus ac decens eò eſt maior, quò maior eſt cuiuſque dignitas, tum abſoluta, tùm maximè comparatiua; inde eſt vt malitia offenſæ creſcat cum proportione quadam, infra tamen æqualitatem, iuxta dignitatem offenſi, & vilitatem offendentis. Quare malitia offenſæ contra Deum eſt quidem maior, quam malitia cuiuslibet alterius offenſæ, & participat genus quoddam infinitatis ex termino infinito, non tamen eſt ſimpliciter infinita; quia non eſt æqualis bonitati dignitatis diuinæ, nec vlli bonitati ſimpliciter infinitæ, ſed ſoli bonitati honoris & cultus quatenùs debiti Deo à creatura, vti exponetur quæſtione ſequenti. Conſtat enim

interim

nterim eam bonitatem non poſſe eſſe ſimpliciter infini'am.

Iam argumentum calculatorium habet inſtantiam in cognitione Dei abſtractiua & intuitiua, inque eiuſdem dilectione. Abſolutè dicitur eiuſmodi actuum & obiectorum proportionalitatem non eſſe arithmeticam, ſed geometricam; eamque non ſolùm irrationalem, in qua per nullam alterutrius extremi additionem, aut diminutionem perueniri poteſt ad conſtituendam æqualitatem cum altero extremo; ſed præterea eſſe metaphoricam, & ſimilitudinariam tantùm, cũ ventũ fuerit ad infinitatem ſimpliciter vnius extremi, quod videlicet nec æquari, nec excedi poteſt ab altero extremo vtcunque, & quotieſcunque replicato, ac multiplicato. Igitur ea argumentatio eſt inutilis, cùm agitur de actibus noſtris circa Deum; Idque patet ſpecialiter in re præſenti; Quia rationem offenſæ auget dignitas offenſi, non vt eſt in ſe; ſed quatenùs apparet in cognitione offendentis. Cognitio autem Dei eſt valde imperfecta, & limitata in peccatore.

Ad 2. Quæ adducuntur pro infinitate ſimpliciter pœnæ peccati lethalis, ſunt inſufficientia. Primùm enim duratio eius tantùm ſyncathegorematicè eſt infinita; & quà parte exiſtet actu, ſemper erit finita; quà verò parte adhuc erit in potentia, nondum habebit rationem pœnæ ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid. Vnde non ſubſiſtit comparatio cum pœna infinitè intenſa; quia hæc tota ſimul ?oret in actu. Falſum deinde eſt Deum non poſſe infligere pro vnoquoque peccato totam pœnam, quæ ei debetur, & cuius peccator eſt dignus; nec conſtituere æqualitatem proportionis inter vnumquodque delictum ſecũdum ſe, & eius

ſupplicium. Inde enim fieret dari in peccato dignitatem mali chymerici, hoc eſt, maioris omni poſſibili; & Deum non poſſe omninò iuſtè iudicare, nec exequi per ſe in ſuo iudicio, quod præcipit alijs iudicibus Deuter. 25. 7. *Iuxta menſuram delicti erit & plagarum modus*: & Apoc. 18. 7. *Quantū glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum*. Quare quod communiter & vere dicitur: Deum punire citra condignum, & præmiare vltra condignum, ex eo præciſe verificatur vniuerſaliter, quia plus eſt mali in peccato, quàm in pœna peccati; & è conuerſo plus boni in præmio; quàm in merito. Quòd autem nullum aliud malum poſſit eſſe æquale peccato, prouenit non ex infinitate eius, ſed quia conſtituit ſupremum genus malitiæ. Rurſus nullum peccatum priuat ſummo & infinito bono ſecundum ſe, ſed vt communicabili creaturæ, cui nonniſi finitè ac limitatè communicabile eſt. Denique annihilatio & negatio exiſtentiæ hominis quoad omnes ſuas partes, quatenùs eidem nociua, eſt quid finitum ac limitatum; quia priuat bono finito; & malum non poteſt eſſe maius bono, quo priuat. De creatione alia eſt ratio: quia negatio prout ad illam comparata, præter exiſtentiã rei creandæ, excludit omnem eius habilitatem, etiam extrinſecam ad exiſtendum exigitiuam vtcunque & adiutricem vt exiſtat; qui eſt modus quidam non eſſendi infinitus, nihil differens à negatione exiſtentiæ chymeræ, ſi conſideretur abſolutè extra virtutem Dei infinitam.

Ad 3. Non eſt de ratione peccati grauis, vt intendat Deum non eſſe abſolutè, aut nõ eſſe finem rerum omnium; ſed ſolùm vt priuet illum exercitio vltimi finis reſpectu pec-

catoris, dum elicit talem actum, quod exercitium eſt bonum finitum. Sed nec actus intendens deſtructionem Dei ſecundum ſe, habet propterea malitiam ſimpliciter infinitam; Quia limitatur à præuia cognitione, imperfectiſſima boni, cui opponitur. Quantitas enim malitiæ actus dependet à qualitate cognitionis boni, cui opponitur; & à perſuaſione mali, quod poteſt induci per talem actum, ſiue ſequatur reipſa, ſiue non ſequatur euentus intentus.

Ad 4. Peccatum non ſolùm graue, ſed etiam leue, eſt omninò ineligibile prudenter, non ob infinitatem malitiæ, quæ certè non ineſt veniali, ſed quia diſcordat à voluntate diuina, quæ eſt regula omnis prudentis electionis; Et quia nullum verum, ac æternum bonum, aut conferens ad æternum bonum, hoc eſt, abſolutè præponderans ſuo contradictorio, poteſt induci peccati commiſſione, aut impediri eius omiſſione, tàm ſecundum ſe, quàm ſecundum omne æquiualens, ac ſuperabundans reſpectu eiuſdem boni. Deinde infinitas ſimpliciter eſt contra conceptum eſſentialem ineligibilitatis realis, ſicut & cæcitatis, & cuiuſlibet alterius prædicati realis negatiui. Quia nullum prædicatum reale negatiuum eſt excluſiuum boni ſimpliciter infiniti, vt infiniti; quod videlicet eſt ens neceſſarium, & indiſtinctum à Deo; Atque ſpecialiter ineligibilitas dicitur per excluſionem boni eligibilis, de cuius eſſentia eſt vt habeat rationem medij, ac proinde vt ſit bonum finitum, cùm, quod infinitum eſt, habeat rationem finis vltimi.

Ad 5. Bono infinito non compenſatur peccatum ad æqualitatem, ſed ſuperabundanter, vt dicetur quæſt. Quod non contingeret

tingeret ſi peccatum contineret incompenſabilitatem in ſe intrinſece infinitam. Quare negatur ſuppoſitum argumenti; nempe quod peccatum ſit compenſabile ad æqualitatem.

QVÆSTIO IX.

Vtrum pura creatura poſsit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccato lethali?

VIDETVR poſſe. 1. Quia vno finito ſæpius replicato, & facta additione ſine fine, poteſt conſtitui æqualitas; immo & exceſſus reſpectu alterius finiti, eadem ratione, quà quodlibet finititum finitis ablationibus finitur, vt dicitur 3. Phyſ. cap. 6. Nempe inæqualitas inter duo extrema finita eſt finita, & minuitur, ideſt, aufertur pars eius facta quauis additione ad extremum minus. Malitia autem peccati lethalis eſt finita, vt dictum eſt quæſt. præcedenti, & opera ſatisfactoria puræ creaturæ poſſunt augeri ſine fine quoad intenſionem & multitudinem. Ergo poteſt perueniri ad æqualitatem; immo & ad exceſſum eius malitiæ.

2. Qui reddit quantum abſtulit, ſatisfacit ad æqualitatem pro iniuria. Sed purus homo poteſt diligendo Deum ſuper omnia reddere illi quantum abſtulit per peccatum; nempe rationem vltimi finis, & prælationem reſpectu rerum omnium creatarum cum auerſione ab illis, & conuerſione ad ipſum,

quæ ſola auferuntur per peccatum. Ergo poteſt ſatisfacere ad æqualitatem.

3. Obſequium deletiuum offenſæ, & incompoſſibile cum odio, ira, & iure offenſi ad vindictam, eſt æqualis ſatisfactio pro offenſa: Qui enim id præſtat, per quod extinguitur debitum, omninò ſatisfeciſſe putatur; Cùm repugnet ſupereſſe nihilominus aliquid, pro quo vlteriùs ſatisfaciat. Dilectio autem Dei ſuper omnia eſt eiuſmodi obſequium; Quia Deus diligentes ſe diligit ex 8. Prouerb. 17. Et repugnat dilectum à Deo, dignumque amore eius, ob perfectionem ſibi inhærentem; ſimul eſſe peccatorem, infenſum Deo, & obnoxium iuri ipſius ad vindictam.

4. Æſtimabilitas actus obſequioſi creſcit ex bonitate motiui eius, & difficultate obſequentis, non ſecus ac grauitas offenſæ creſcit ex dignitate offenſi, & vilitate offendentis. Bonitas autem Dei mouens ad actum charitatis non eſt minor, quàm maieſtas Dei læſa per peccatum; quia vtraque eſt infinita, & prorſus eadem; Et difficultas operis heroici ex parte obiecti eò eſt maior, quò maior eſt vilitas operantis. Difficile namque eſt degenerare nobiliter, vt dicitur in panegyri Ennodij; ac proinde vilitas creaturæ auget eadem ratione æſtimabilitatem dilectionis Dei ſuper omnia, quà auget grauitatem offenſæ diuinæ. Ergo dilectio eſt æqualis compenſatio pro peccato.

5. Immò videtur peccatis hominum nullam ineſſe rationem offenſæ aduerſus Deum; vel certè eam non creſcere cum proportione ad eius dignitatem. Quia tranſgreſſio legis, quæ non fertur in fauorem Legiſlatoris, nec tendit ad tuendam eius auctoritatē ac dignitatem, ſed ſolùm ad bonum commune

mune ſubditorum ordinatur, nullam continet rationem offenſę aduerſus Legiſlatorem, nec iuxta maiorem, vel minorem eius dignitatem euadit malitia maior, vel minor; Nec principes vlciſcuntur eiuſmodi tranſgreſſiones tanquam iniurioſas ſibi, aut earum pœnam propria dignitate metiuntur. Leges autem diuinæ non reſpiciunt bonum diuinum, ſed omnes in bonum præciſe noſtrum ordinantur. Nam vt dicitur Iob 35.7. *Si peccaueris, quid ei nocebis; & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Ergo malitia peccati non redditur incompenſabilis ex infinita Dei dignitate, eademque eſt ratio de vilitate noſtra, licet ex vtroque capite creſcat, iuxta doctrinam Philoſophi, proportionaliter malitia iniuriæ in proximum. Quia eò maiorem iacturam patitur cæteris paribus, quò eſt ipſe dignior, & vilior offendens. Quod non habet locum in Deo incapaci iacturæ.

6. Sicut ſe habet præmium ad pœnam, ita ſe habet meritum ad demeritum: Hoc enim poſtulat ratio iuſtitiæ. Sed bonitas præmij eſt maior, quàm malitia pœnæ, vt dictum eſt in quæſt. de beneficentia Dei. Ergo etiam bonitas meritorum eſt maior, quam malitia peccatorum. Ergo hæc eſt compenſabilis per illam, etiam ſuperabundanter.

7. Maior eſt complacentia Dei in bonis iuſtorum operibus, quàm diſplicentia in peccatis. Quia maior effectus ex illa prouenit, quàm ex iſta; magiſque illa prodeſt largiendo gloriam, quàm hæc noceat infligendo pœnam, vt ſuppoſitum modò fuit. Qui autem obſequendo exhibet maiorem cõplacentiæ materiam, quàm exhibuiſſet diſpli-

ſentiæ peccando, ſatisfacit ad æqualitatem, & vltra.

8. Qui poteſt mereri quod maius eſt, poteſt vtique quod eſt minus. Sed purus homo poteſt ſuis operibus mereri gloriã, quæ eſt quid maius, quàm remiſſio peccati: Quia magnitudo remiſſionis peccati commenſuratur magnitudini mali inducti per peccatum; quod malum dictum eſt eſſe minus, quàm ſit bonitas gloriæ. Ergo purus homo poteſt mereri remiſſionem peccati; quod meritum non diſtinguitur ab æquali ſatisfactione pro peccato.

9. Qui facit quantum poteſt ad nihil amplius tenetur; & qui facit quantum ſufficit vt ad nihil amplius teneatur, ſatisfacit ad æqualitatem. Ergo pura creatura faciendo quantum poteſt ſatisfacit ad æqualitatem pro quouis peccato.

10. Pro beneficijs à Deo acceptis debetur gratiarum actio non ſecus, ac debetur ſatisfactio pro peccatis. Sed licet nihil beneficijs Dei æquale reponere poſſit creatura, poteſt nihilominus ſatisfacere adæquatè obligationi gratiarum actionis, gratias agendo, quantas poteſt. Quia, vt dicit Philoſophus agẽs de hoc ipſo 8. Ethic. ſub finem: *Qui quantum poteſt, obſequitur, bonus & iuſtus eſſe videtur*. Ergo ſimiliter poteſt ſatisfieri iuſte, ideſt, æqualiter obligationi compenſandi peccatum lethale peccatore faciente quantum poteſt.

11. Abſurdum eſt Deum, qui eſt ipſa eſſentia bonitatis, dediſſe creaturæ ſuæ maiorem poteſtatem ad malum, quàm ad bonum, maximè cùm ipſe proteſtetur Ezech. 18. 23. *non eſſe voluntatis ſuæ, mortem peccatoris; ſed vt conuertatur, & viuat*. Et ibidem vt tueatur

tur æquitatem prouidentiæ ſuæ aduerſus eius accuſatores. ſimili prorſus modo attribuit conuerſioni peccatoris vim abolendi peccata præcedentia, & auerſioni iuſti vim abolendi præcedentem iuſtitiam: cùm enim verſu 25. præmiſiſſet obiectionem: *Dixiſtis: non eſt aequa via Domini*: adiungit verſu 25. partem reſponſionis: *cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis:* & omninò ſimiliter alteram partem verſu 27. *Cum auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit*. Eadem quoad vtramque partem vniformis comparatio inſtituitur ſemel atque iterum in eo capite. Ergò æquitas prouidentiæ Dei ſubſiſtere non poſſet, niſi poteſtas hominis ad abolenda peccata per ſubſequentem conuerſionem eſſet æqualis poteſtati amittendi gratiam per ſubſequens peccatum.

12. In ſtatu puræ naturæ poſſet aliquo modo aboleri peccatum. Aliàs qui ſemel peccaſſet, incidiſſet eò ipſo in deſperationem veniæ, & ſalutis obtinendæ; hoc eſt in effrænem peccandi licentiam, & profundam vitiorum omnium voraginem; & prætereà perperam inditi fuiſſét naturæ humanæ ſtimuli pœnitendi de malo commiſſo, niſi poſſet illi mederi per pœnitentiam non autem potuiſſet tunc aboleri peccatum per gratiã, cui pro eo ſtatu nullus eſt locus; quia ſtatus puræ naturæ eſt ſtatus puræ iuſtitiæ. Id enim ſolùm vnicuiq. naturale dicitur, quod eſt eidem debitum attenta cõditione, & dignitate naturæ ipſius. Ergò tantum per condignam ſatisfactionem exhibitam ab ipſo peccatore potuiſſet tunc aboleri peccatũ. Non eſt autem deterior hominis conditio

in ſtatu eleuationis, quàm futura fuiſſet in ſtatu puræ naturæ. Ergò etiam modò poteſt peccator exhibere condignam ſatisfactionem pro ſuo peccato.

13. Angelis, quorum natura eſt immobilis in propoſito ſemel concepto, data eſt æqualis poteſtas permanendi inuariabiliter in ſtatu amicitiæ, & inimicitiæ diuinæ. Eadem autem ratione hominibus, quorum arbitrium eſt naturaliter vertibile, ac variabile, debuit dari æqualis poteſtas redeundi in ſtatum amicitiæ, & inimicitiæ diuinæ. Deus enim omnibus ſuis creaturis æqualiter impertitur participationem ſuæ bonitatis iuxta naturam, & proportionem cuiuſque. Ergò ſicut ex vi intrinſeca peccati poſſunt homines à ſtatu iuſtitiæ redire ad ſtatum inimicitiæ Dei: Ita poſſunt è conuerſo ſuum ſtatum malum permutare ex vi intrinſeca; & dignitate operum bonorum.

14. Si peccatum lethale eſſet incompenſabile per opera puræ craaturæ, maximè quia opponitur Deo & eius voluntati. Hoc autem conuenit etiam peccato veniali. Omne ſiquidem peccatum eſt contra voluntatem diuinam: & tamen peccatum veniale certiſſimè eſt compenſabile ad æqualitatem per opera puræ creaturæ. Nulla igitur eſt ratio ſufficiens prædictæ incompenſabilitatis peccati lethalis.

15. Actus intellectus falſi non magis nocent intellectui, quàm proſint eidem actus veri; neque hi minorem habent bonitatem, quàm illi malitiam; ſed magis è conuerſo. Quia intellectus per actus ſuos optimos adhæret vero immobiliter, & abſque vlla formidine; per actus verò falſos, etiam peſſimos, non poteſt vſque adeò adhærere falſo. Bonitas autem voluntatis eſt proportiona-

ta

bonitati intellectus, & vtraque potentia eundem habet auctorem Deum, eumq. æquè beneuolum erga hominem quoad vtramque; nec permiſſurum aliqua ex parte poſſibilitatem mali, niſi cum poſſibilitate, & ex intentione boni maioris. Ergò etiam in voluntate actus optimi præualent bonitate ſua malitiæ actuum peſſimorum.

16. Deus poteſt conferre puræ creaturæ tantam gratiam, quanta collata eſt Chriſto Domino. Immò & infinitam ſimpliciter conferre poteſt de potentia abſoluta. At Chriſtus Dominus ſatisfecit ad æqualitatem. Ergò ſaltem pro eo euentu poſſet etiam pura creatura ſatisfacere ad æqualitatem.

17. Fieri poteſt, vt abſque præuia Dei, legiſque diuinæ cognitione committatur peccatum lethale, volendo ex.gr. occidere innocentem; vel ſi fieri poſſet, annihilare Angelum. Huiuſmodi autem peccatum nullo ex capite haberet magnitudinem malitiæ incompenſabilem per opera puræ creaturæ. Ergò hæc poteſt ad æqualitatem ſatisfacere pro aliquo peccato lethali.

R. Conſideranti, quantum bonum, & quàm debitum impediat peccatum lethale, facilè apparet eius malitiam eſſe inadæquabilem, ac incompenſabilem per quælibet & & quantalibet opera bona puræ creaturæ. Bonum impeditum eſt dilectio Dei ſuper omnia tam actualis, quàm habitualis; dilectio amicabilis Dei erga nos, & gratia ſanctificans, quà reddimur digni tali dilectione; & gloria iiſdem gratiæ & dilectioni correſpondens; idque ſecundum omnes gradus abſolutè poſſibiles: & præterea excluduntur timor, & obedientia Dei ſimul cū reuerentia, & gratitudine aduerſus ip-

ſum. Hæc enim omnia conſtumpit peccatũ lethale, in quacunque demum intenſione præexiſterint; redditque peccantem dignũ illorum iactura abſque vllo limite, quoad intenſionem, & cumulum præexiſtentem; ipſorum, & indignum, cui eadem, etiam in minima intenſione, aliquãd conferãtur; deperdita inſuper facultate adquirendi illa denuò. Nulla autem opera bona puræ creaturæ tantundem boni inducere poſſunt in animam; quemlibet enim, & quantumlibet cumulum operum bonorum puræ creaturæ compenſat Deus augmento determinato gratiæ, & gloriæ, ac virtutum. Compenſat verò vt minimùm ad æqualitatem; cum Deus liberalis potiùs ſit, quàm auarus in præmijs retribuendis. Non igitur ineſt bonis operibus puræ creaturæ tanta vis inductiua bonorum, quanta cuilibet peccato lethali ineſt vis corruptiua, ac impeditiua eorundem; ſiquidem hæc eſt interminata, & abſque limite, illa verò certis limitibus circumcluditur. Ergò bonitas operum puræ creaturæ nullatenus æqualis eſſe poteſt malitiæ peccati lethalis.

Huiuſmodi conſequentiã tenet omninò in comparatione meriti, & demeriti factà relatè ad Deum metientem præmia & ſupplicia præcisè ex bonitate, ac dignitate bonorum & malorum operum, & non etiam, vi fit in iudicio humano, ex ſpe, & metu commodi, & incommodi proprij in futurum. Quo reſpectu contingit vt Principes, & Reſpublicæ propter ius præcauendi malum imminens, & promouendi bonum præſens proprium, eadem iiſdem operibus bonis, & malis præferant, vel pòſtponant quoad veniam, & pœnam, prout contigerit alterutra eſſe priora-

tem-

tempore, vel poſteriora. Quia ex hac circumſtantia pendent ſpes, & metus prudenter in poſterum ab hominibus concipiendi; & a Deo minimè conceptibiles. Ea humani iudicij conditio apparuit in Manlio redempturo procuidubio pœnam capitis, quam ſubijt, ſi vice verſa quoad tempus male & bene ſe geſſiſſet erga Rempublicam.

Iam ſi ad rationem debiti attendatur, clariùs conſpicietur, & à priori idem exceſſus malitiæ peccati. Quia amor Dei, cultus, obedientia, timor & gratitudo, quibus contrariatur peccatum, debentur ratione diuinæ bonitatis, excellentiæ, dominij, poteſtatis ac beneficentiæ, quæ omnia ſunt infinita. Quia verò vnicuique eo magis, & maior debetur amor, quò maior eſt eius bonitas, & ſic de cœteris, patet ea obſequia, quæ denegantur Deo per peccatum, eſſe ſummè debita Deo, & in ſummo gradu. Ea autem eſt obſequiorum, quæ alicui in quouis genere debentur, conditio, vt, quò magis debentur, & in gradu ſubliniori, eò ſit minoris momenti, minùſque æſtimetur eorum exhibitio; & è conuerſo eò ſit deteſtabilior, ac maior malitia denegationis eorundem, iuxta vulgarem doctrinam Philoſophi i dicatam quæſt. præcedenti de augmento offenſæ ex dignitate offenſi, & vilitate offendentis; & è conuerſo de obſequijs. Ergò quæ debentur titulo ſimpliciter infinito, negari non poſſunt per offenſam, niſi habentem malitiam quodammodo infinitam, certè incomparabiliter maiorem, quàm ſit bonitas, & æſtimabilitas quorumlibet obſequiorum puræ creaturæ, vtcunque hæc ſit ſancta & amica Dei, atque illa ſint multa, & optimi generis. Quia

quilibet horum cumulus eſt quid exiguum, reſpectu Dei, & quodlibet peccatum lethale, quod ſolùm habet rationem offēnſæ reſpectu Dei, eſt quid magnum. Nulla igitur bona opera vllius puræ creaturæ poſſunt eſſe æqualis ſatisfactio pro peccato mortali, ſiue originali, ſiue perſonali; ſiue proprio, ſiue alieno.

Et quidem de peccato originali docet id apertè Auguſtinus in Encherid. cap. 108. dicens: *Nam neque per ipſum liberaremur vnū mediatorem Dei & hominum hominem Christum Ieſum, niſi eſſet Deus*: eadèmque eſt communis ſententia Patrum. Ex peccato autem originali deducitur idem etiam circa perſonale; tum quia vnuſquiſque comparatur cum peccato originali quatenus cuiuſque proprio, ſicut cum perſonali; tum quia omnia peccata lethalia conueniunt in conceptu auerſionis à Deo, quæ eſt ſumma ratio, ac veluti prima radix malitiæ eorum. Ac proinde ſi aliquod peccatum lethale eſſet æqualiter compenſabile aliquo determinato numero & qualitate operum puræ creaturæ, poſſet vtique quodlibet ſimiliter compenſari per aliquod augmentum eorundem operum in numero & intenſione.

Ad 1. Non quodlibet finitum ſæpiùs replicatum, & auctum additione ſine fine, poteſt peruenire ad æqualitatem cum quolibet alio finito; vt patet in multitudine, & magnitudine lapidū, & quorumlibet aliorum irrationalium maiori, & maiori ſine fine nunquam peruentura ad æqualitatem cum vno homine; eademque eſt ratio de quauis multitudine & intenſione cognitionum naturalium, vel actuum fidei, comparatà cum viſione beata vtcunque remiſſa, déque aliis ſimilibus. Neceſſe igitur eſt

vtrum-

vtrumque extremum eſſe eiuſdem rationis, & ſubiens vniformiter eandem menſuram, vti contingit in partibus ablatis ex aliquo finito. Non ſunt autem eiuſmodi extrema, peccatum lethale, & opera bona puræ creaturæ; quia ex eadem ad Deum comparatione, qui eſt vtrorumque menſura communis, peccatum euadit quid magnum, & opera bona quid exiguum; & illud eſt in ſupremo genere mali, cum hæc non ſint in ſupremo genere boni.

Ad 2. Peccatum lethale non aufert Deo, nec reddit actus charitatis rationem vltimi finis in ſe intrinſecè; ſed peccatum aufert, quantum eſt de ſe, atque omninò impedit omnem & quamlibet proſecutionem, & cultum tam actualem, quam habitualem debitum ipſi vt vltimo fini, & ſummo bono; eſtque intrinſecum illi, vt hoc præſtet reſiſtendo motioni & exigentiæ totius bonitatis, & dignitatis diuinæ; actus verò charitatis exhibet exiguam ſolùm partem eiuſdē proſecutionis & cultus, eſtque illi eſſentiale, vt non correſpondeat adæquatè bonitati Dei ſecundum eius dignitatem. Quod ſimiliter verificatur de deſiderio correſpondendi, ſi fieri poſſet, adæquatè. Non ergò reponitur, quantum ablatum fuerat.

Ad 3. Obſequium deletiuum offenſæ, & incompoſſibile cum iure vindictæ ſeu punitionis, eſt condigna ſatisfactio, ſi id illi conueniat ex magnitudine ſuæ bonitatis, & iuſtæ æſtimabilitatis; non verò ſi id proueniat ſolùm ex gratioſa promiſſione, ac inſinuatione offenſi inuitantis ad mutuam redamationem, & ex connexione intentionali obſequij cum ea promiſſione, inſinuatione, ac inuitatione. Vis autem deletiua offenſæ, & incompoſſibilitas cum iure vindictæ

conueniens dilectioni Dei, eſt huius poſte-rioris generis; vt conſtat ex dictis, & ex-plicatum fuit in quæſt, de virtutibus Theologicis.

Ad 4. Poteſt aliqua entitas eſſe magna comparata cum alijs rebus eiuſdem generis; ideòque magna abſolutè reputari, quæ ta-men parua ſit comparata cum rebus alte-rius generis. Quâ ratione maximus inter canes eſt paruus comparatus minimo inter elephantes. Ita actus charitatis comparatus cum ali s Dei obſequijs eſt quid magnum; & tamen eſt quid exiguum comparatus cũ minimo inter peccata lethalia. Quia alij omnes actus honeſti conueniunt cum actu charitatis in ratione debiti reſpectu Dei, ſolùmque differunt ex parte motiui, quod quia infinitè præſtantius eſt in actu charita-tis, facit illum longè præeminere. Eadem tamen ratio debiti eundem quàm maximè deprimit comparatione peccati; quia non tantundem correſpondet dignitati amoris, quæ Deo conuenit, quantum ipſi contra-riatur peccatum; nec tanti eſt exhibitio rei debitæ ad conciliandum affectum quanti eius negatio ad gignendam offenſionem. Iam vilitas ea ſolùm, ſaltem directè, reddit difficile opus nobile, & heroicum, quæ fun-datur in prauitate educationis, conſuetu-dinis, & exemplarium hærentium animo ob coniunctionem naturalem, beneuolen-tiam, aut familiaritatem, quæ eſſentialiter inclinant ad deterius; non verò vilitas in-trinſecè ordinata, ac inclinata ad quærendã ſummam ſuam perfectionem, & imitandum ſupremum exemplar. Huius autem poſte-rioris generis eſt vilitas connaturalis ac eſ-ſentalis homini, qui eſt imago Dei reſpi-ciens intrinſecè Deum vt exemplar & finẽ

pri-

prioris vèrò de qua loquitur Ennodius in ſua panegyri.

Ad 5. Diſcrimen legum fauentium, & non fauentium directè honori, & dignitati legiſlatorum obſeruatū optimè fuit à Vaſquez aduerſus vulgarem nonnullorum cogitationem, apprehendentium, & exponentium peccata hominum veluti nocentia Deo, & oppoſita iuſtitiæ commutatiuæ. Sed prætermiſit duplex aliud diſcrimen theologicæ conſiderationis, & rei præſentis maximè propriū, inter legem diuinam, & humanā vt humanā, & vtriuſq; obedientiā ac inobedientiam. Primum pendet ex eo quòd tota perfectio, & bonitas moralis noſtra conſiſtit in honore, & amore Dei, qui eſt bonum communiſſimum, & præ cæteris vniuerſale, finiſque mediatus, vel immediatus omnium honeſtarum operationum. Propterea enim 1. ad Timoth. 1. 5. finis præcepti dicitur charitas: Vnde repugnat legem diuinam ordinari directè ad bonum commune eorū, quibus imponitur, quin ordinetur indiuiſim ad honorem, gloriam, & amorem Dei. At lex humana poteſt directè proſpicere bono ſubditorum, quin ordinetur ad honorem, & ad tuendam dignitatem Legiſlatoris. Quia multiplex bonitas, & perfectio moralis ſubditorum eſt ſeparabilis ab eius honore, cultu, & amore.

Alterum diſcrimen eſt in iniuria irrogata Legiſlatori creato aduerſus legem fauentē eius dignitati, & honori, turpitudinē actionis coniungi cum nocumento eiuſdem legiſlatoris; atque ex hoc illam menſurari: At verò in iniuria commiſſa aduerſus Deum nullus eſt locus nocumento; quia Deus non eſt capax, cui quiſquam noceat, vt dicitur in argumento, Sed non propterea eſt minor

turpi-

turpitudo, & inhoneſtas actionis iniurioſæ; quia non propterea eſt minor ratio debiti, & obligatio quoad honorem, cultum, & amorem Dei; immò eſt maior propè in infinitum. Quia obligatio vnumquemque honorandi, colendi, ac amandi creſcit iuxta eius dignitatem: quæ in Deo eſt infinita. Inhoneſtas autem, & turpitudo actionis creſcit creſcente debito & obligatione illam omittendi, vndecunque hæc proueniat. Nam & ratio iniuſtitiæ aduerſus creaturam ideò eſt maior in nocumento maiori, quia eſt maior obligatio non inferendi nocumentum magnum, quàm non inferendi paruum. Patet igitur in quouis peccato lethali reperiri rationem offenſæ aduerſus Deum, eamque creſcere cum proportione ad eius dignitatem.

Ad 6. Præmium & pœna quoad hoc vniformiter comparantur cum merito & demerito, quòd tàm comminatio vnius, quàm promiſſio alterius ordinantur ad vitandos actus malos, & inducendos bonos; & quòd vtrobique ſeruatur æqualitas proportionis exacta per iuſtitiam legalem. Differunt tamen; quia præmium eſt finis bonorum operum per ſe intentus à Deo, & à merente, & obtinendus per illa vt media; atque ideò mouens ad illorum poſitionem. Quia verò eſt de ratione finis vt præcellat medijs, propterea neceſſe eſt maius bonum ineſſe præmio, quod iuſtis confertur à Deo, quàm meritis eorundem. Pœna autem non eſt finis malorum operum per ſe intentus à Deo, aut à peccatore, & obtinendus per peccata vt media, & mouens ad peccandum; Quia potiùs auertit à peccando, & totum malum, quod eſt in pœna, decernitur ac infligitur à Deo, vt vitetur malum, quod eſt in pecca-

eo. Quia verò nequit maius malum, aut etiam æquale, ſapienter decerni, ac induci ad vitandum minus malum, aut etiam æquale, ſed è contrà minus malum inducitur ad vitandum maius: atque Deus omnia ſapienter operatur; propterea neceſſe eſt, malum quod eſt in pœna, eſſe minus, quàm quod ineſt peccato. Non igitur ita ſe habet præmium ad pœnam, ſicut ſe habet meritum ad demeritum, quoad magnitudinem bonitatis & malitiæ in vtroque extremo comparationis; neque id poſtulat ratio iuſtitiæ, ſed magis ſe habent modo contrario. Quare nulla eſt conſequentia ab exceſſu bonitatis in præmio comparatione malitiæ in pœna, ad ſimilem exceſſum bonitatis meritorũ comparatione malitiæ peccati.

Ad 7. Effectum gloriæ non inducit ſola complacentia Dei in operibus bonis ſecundum ſe præciſè, ſed vt coniuncta cum complacentia circa ipſam hominis ſubſtantiam, ordinante illum ad beatitudinem, & circa gratiam ſanctificantem, quæ dat ius ad eandem. Effectum verò pœnæ æternæ inducit ſola diſplicentia in peccato lethali, & præciſè ratione eius, in peccatore. Quare malitia peccati poteſt eſſe maior, quam bonitas operis meritorij, tametſi effectus gloriæ correſpondens merito ſit maior, quàm effectus pœnæ correſpondens peccato.

Ad 8. Remiſſio peccati eſt inſeparabilis ab infuſione gratiæ, & conſequenter à conceſſione iuris ad gloriam; Non autem quicunqne poteſt mereri aliquid maius ſeorſim, eo ipſo poteſt mereri illud idem vt coniunctum cum aliquo alio minori. Deinde remiſſio peccati, tametſi ratione ſui formaliter ſit minus bonum, quàm infuſio gratiæ; habet nihilominus maiorem rationem præ-

mij

mij propter incomparabilem indignitatem, & difficultatem, quam opponit peccatum aduerſus benignitatem Dei: Auget enim pondus præmij indignitas reddens difficilem eius conceſſionem, tametſi præmium non ſit tantæ vtilitatis, quantæ eſt aliud faciliùs donabile; quale eſt gratia conceſſa innocenti.

Ad 9. Certum eſt facientem quantum poteſt ad nihil ampliùs faciendum teneri; Sed poteſt nihilominus teneri præterea ad aliquid patiendum. Qui autem deliquit, tunc ſatisfeciſſe dicitur ad æqualitatem, cùm ob præſtantiam & dignitatem operis æqualis delicto rationabiliter, & iuſtè liberatur, quominùs quidquam propter delictum patiatur. Quodſi huc peruenire non poſſit, tametſi faciat, quantum poteſt, ideoque ſatisfaciat ad æqualitatem obligationi faciendi, non propterea ſatisfacit ad æqualitatem toti obligationi contractæ per delictum, quia ſupereſt obligatio patiendi. Hinc patet ratio diſcriminis ad 10. Quia obligatio gratitudinis reſultans ex beneficijs, eſt ſolùm obligatio faciendi, ideòque illi ſatisfit ad æqualitatem ab agente & reddente gratias quantum poteſt.

Ad 11. Deus dedit homini maiorem abſolutè poteſtatem ad bonum, quàm ad malum: Quia dedit poteſtatem obtinendi ac recuperandi beatitudinem, cuius bonitas eſt maior, quàm totum malum reprobationis, in quam incidere poteſt. Sed eſt hæc differentia, quod ſufficientiam, vt incidat in reprobationem, habet homo ex ſe, & ex ſola dignitate ſuorum operum continente in ſe adæquatè illum effectum; Beatitudinē autem conſequi non poteſt, & multò minùs recuperare, niſi adiuuante gratia Dei, &

per opera non continentia adæquatè in ſua præciſè dignitate effectum beatitudinis; & gratiæ ſanctificantis primitus infundendæ præſertim antecedenter peccatori, iuxta illud Oſeæ 13.9. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*, & illud aliud ad Rom.6.23. *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Nec propterea male, aut minus beneficè, aut nimis parcè actum eſt cum humana natura; Quia poteſt tantam ſpem concipere de liberalitate, & miſericordia Dei ſibi ſemper opportunè ſubuentura, & ſuppletura defectum ſuæ dignitatis, quantum poteſt concipere metum de ſua fragilitate, & caſu ex ea prouenturo. Hoc ſenſu accipiendum eſt, quod toties dicitur in loco citato Ezechielis. Ibi enim non continetur niſi æqualis infallibilitas vitæ & mortis conſecuturæ ex conuerſione & auerſione hominis; quod ſolùm faciebat ad propoſitum obiectionis. Cæterùm non negatur diſpar origo, & dignitas operis boni & mali, de quibus conſtat ex alijs ſcripturæ locis, vt modo indicatum eſt.

Ad 12. Natura humana per ſe ipſam eſt digna beatitudine naturali, neque, vt eam aſſequatur, indiget aliquo perfectiuo ſibi ſuperaddito, ſed ſola negatione peccati lethalis perſonalis, cuius pœna eſt æterna miſeria: peccatum autem hominis ſubſtantiam non tollit. Quare in ſtatu puræ naturæ poſt quoduis peccatum maneret tota entitas dignitatis ad beatitudinem naturalem. Subiecto autem retinenti dignitatem beatitudinis quoad totum ſuum eſſe poſitiuum, ſolùmque impedito per impedimentum voluntariæ indiſpoſitionis, ſuperueniente contraria voluntaria bona diſpoſitione ad ſuum finem,

debe-

debetur redintegratio in priſtinum ius beatitudinis, non propter æqualitatem, quæ non datur, boni operis conſequentis cum malitia præcedenti, ſed ob coniunctionem diſpoſitionis optimæ cum dignitate retenta, non obſtāte peccato, quoad totā ſuam præſtantiam, & bonitatem poſitiuam.

In ſtatu eleuationis aliter ſe res habet. Quia peccatum lethale hominis eleuati non ſolùm impedit dignitatem beatitudinis ſupernaturalis conſtitutam per gratiam ſanctificantem, quò minùs effectum ſortiatur; ſed præterea eandem gratiam corrumpit quoad ſuam entitatem. Vnde diſpoſitio vtcunque bona ſubſequens poſt peccatum non ſolùm haberi non poteſt abſque auxilio gratiæ prorſus indebito, ſed neque inducere poteſt infallibiliter remiſſionem peccati & ius proximum ad beatitudinem ſupernaturalē, niſi dependenter à liberali & gratioſa Dei promiſſione. Quia non reperit ex parte ſubiecti entitatem poſitiuam dignitatis ad eam beatitudinem, per coniunctionem cum qua poſſit abſque nouo Dei fauore inducere talem effectum. Eſt igitur diſpar manifeſtè ratio vtriuſque ſtatus quoad hoc punctum. Nec propterea homo eſt deterioris conditionis in ſtatu eleuationis; Quia homini eleuato, etiam poſtquam expulit Deum per peccatum, adeſt gratia Dei præueniens, & conſequens: Deus enim excluſus de domo peccatoris *ſtat* nihilominùs *ad oſtium pulſans, vt ei aperiatur ianua*, & promittens ingreſſum, ſi aperiatur, ex Apoc. 3. 20.

Ad 13. Patet ex dictis circa 11, Hominibus enim facta eſt poteſtas tam infallibiliter redeundi ad amicitiam Dei per bona opera, quam infallibiliter ab ea decidunt per peccatum: Sicut Angelis data eſt æqualis firmi-

tas

tas ac immobilitas in bono, & in malo ſtatu. Sed vtriſque bonum opus prouenit ex gratia, & exitus bonæ diſpoſitionis ſuperat dignitatem ipſius: peccatum verò eſt ex imperfectione naturæ, & exitus conformis dignitati peccati. Æqualiter igitur prouidit Deus hominibus, & Angelis iuxta proportionem naturæ eorum.

Ad 14. Peccatum veniale eſt exiguum malum in genere peccati; quia ſolùm opponitur honeſtæ proſecutioni alicuius medij ordinabilis ad Deum, retentâ totâ adhæſione ad vltimum finem, qui eſt Deus; nec continet rationem offenſæ, niſi tantùm ſecundum quid; quia non opponitur voluntati diuinæ, niſi quoad ea, ad quæ parum afficitur. Peccata autem & offenſiúnculæ leues poſſunt compenſari ad æqualitatem per obſequia item leuia & exigua. De peccato lethali alia eſt ratio, vt dictum eſt.

Ad 15. Quoniam *omne bonum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*; omne verò malum, totaque noſtra perditio ex nobis eſt, ex 1. Iacobi 17. & Oſeæ 13. 9. conſequens eſt vt peſſimũ præualeat optimo in eo operationum genere, in quo plus habet homo de ſuo, & poteſt ſe ſubtrahere ab ordine diuinæ directionis, ac influentiæ; Optimum verò præualeat peſſimo in eo operationum genere, in quo minus habet homo de ſuo, & plus de influentia diuina, nec poteſt ab eius ordine & directione ſe ſubtrahere. Operationes autem liberæ, quia ſunt maximè ab intrinſeco, continentur in eo genere, in quo plurimum habet homo de ſuo, & poteſt ſe ſubtrahere ab ordine diuinæ directionis ac influẽtiæ, dum potitur totâ amplitudine indifferentiæ ſibi connaturalis: Operationes verò neceſſariæ quia in agente ſecundo

cundo

cundo ſunt maximè ab extrinſeco, continentur in eo genere, in quo minus habet homo de ſuo, nec poteſt ſe omninò ſubtrahere ab ordine diuinæ directionis ac influentiæ. Cùm ergo actus voluntatis viatricis ſint immediate liberi tota libertate ipſi connaturali; actus verò intellectus ſint neceſſarij, conſequenter malitia actuum peſſimorum inter priores præualet bonitati optimorum inter eoſdem, & è conuerſo inter actus poſteriores. Verùm quia voluntas per actus liberos viæ bonos & malos, meritorios & demeritorios deuenit tandem in actus neceſſarios termini, bonos itidem & malos, beatificos & miſerificos: atque inter iſtos bonitas amoris & gaudij beatifici præualet malitiæ doloris & triſtitiæ miſerificæ, nec non & peccati auertentium à Deo non tam bene cognito, quàm bene cognitus eſt amanti amore beatifico, patet poteſtatem voluntatis ad bonũ præeminere ſimpliciter & abſolutè poteſtati ad malum. Quare in argumento non inſtituitur rectè comparatio; quia ex parte mali in voluntate ponitur peccatum lethale, quod eſt actus ſimpliciter peſſimus; ex parte verò boni ponitur actus inter liberos optimus, qui non eſt ſimpliciter & abſolutè optimus, vt patet ex dictis.

Ad 16. Nulla pura creatura poteſt habere abſolutè tantam gratiam, quanta fuit in Chriſto. Quia gratia vnionis ſuperat quamlibet aliam incomparabiliter. Quòd autem haberet tantundem gratiæ creatæ, non ſufficeret ad æqualem ſatisfactionem pro peccato; quia adhuc obſequium præſtitum à creatura ſic grata foret exiguum reſpectu Dei, cuius comparatione dictum eſt peccatum eſſe quid magnum in ſuo genere. Iam intenſio infinita gratiæ creatæ eſt repugnans ex alibi di-

ctis

ctis in genere; Atque vt admittatur poſſibilis, nihil concluditur; quia eſt infinitudo in certo quodam genere tantùm, quæ comparata cum dignitate Dei infinita ſimpliciter, & in omni genere eſt quaſi nihil, ac proinde quòd illa impendatur in huius obſequium, eſt quid ſimpliciter exiguum in proprio obſequij genere.

Ad 17. dictum eſt in qq. de bonitate & malitia: repugnare peccatum theologicum, hoc eſt, impeditiuum beatitudinis, abſque præuia Dei, & diuinæ legis cognitione actuali; Idque ex eo confirmari poteſt, quia cum D. Thomas in præſenti, & alij communiter doceant peccatum lethale vniuerſim eſſe incompēſabile ad æqualitatem per opera puræ creaturæ, hoc probant, quia habet infinitatem quandam ex infinitate diuinæ maieſtatis. Hoc autem perperam diceretur, ſi non ſupponeretur vt certum eſſe de ratione talis peccati contemptum diuinitatis antecedenter actu præcognitæ ſub aliquo conceptu conuertibili cum ipſa.

Quare propoſitum abſque præuia diuinæ legis cognitione conceptum de inferendo malo, ſeu poſſibili, ſeu ſimpliciter impoſſibili, per occiſionem hominis, aut annihilationem Angeli, eſſet peccatum purè philoſophicum ac ciuile, incomparabiliter minùs quouis peccato formaliter contradicenti diuinæ voluntati ac maieſtati actu præcognitæ, & dignum pœnâ, qualis ſolùm, & quanta ſufficit ad tuendum felicem ſtatum temporalem Reipublicæ, & peccatorē cohibendum a frequenti repetitione, atque in ſe ipſo benè ordinandum cum tranquillitate conſcientiæ, quæque inferri poteſt à Republica, & ab vnoquoque ſibi, & quæ proinde foret incomparabiliter minor, quàm

priua-

priuatio beatitudinis, & annihilatio, quas pœnas ſolus Deus infligere poteſt, & ſolus mereri, qui eum offendit; ſi tamen annihilatio pœna eſſe poteſt.

QVÆSTIO X.

Vtrum valor operis ſatisfactorij creſcat ex dignitate operantis?

VIDETVR non creſcere. 1. quia in iniurijs, & earum compenſationibus nihil refert quis fecerit, & an probus, an prauus is fuerit, ſed ſolum habetur ratio quantitatis in læſione, & eius compenſatione, ſeu ſatisfactione, vt tradit Philoſophus 5. Ethic. cap. 4. Ergò nec reſpectu Dei quidquam refert maior, vel minor dignitas ſatisfacientis ad maiorem, vel minorem valorem, æſtimationem, ac efficaciam operis ſatisfactorij.

2. Eò eſt minoris valoris, minùſque æſtimabile & efficax obſequium, quò eſt magis obligatus ad obſequendum, qui illud exhibet; eò nimirum minùs ſuum eſt, quod dat, magiſque pertinens ad accipientem. Quæuis autem maior dignitas ſatisfacientis Deo, eſt maior obligatio exhibendi ipſi obſequia omnis generis; eò ſiquidem ipſo neceſſe eſt, vt acceperit à Deo maius beneficium. Ergò valor operis ſatisfactorij decreſcit potiùs reſpectu Dei, ex maiori dignitate ſatisfacientis.

3. Non eſt acceptio perſonarum apud Deum,

Deum, vt ſæpè dicitur in ſacris litteris; eſſet autem, ſi retributionem quibuſque operibus præſtandam non metiretur Deus præcisè ex eorumdem ſecundum ſe bonitate; ſed præterea ex qualitate etiam perſonarum maiori vel minori dignitate pollẽtium; hoc eſt, maiori vel minori gratia apud Remuneratorem: Nempe eſſe magis dignum apud Deum, nihil prorſus eſt aliud, quàm eſſe magis gratum eidem. Ergò maior dignitas ſatisfacientis Deo nihil facit pro maiori valore operis.

4. Sicut valor monetæ pendet ex libera Principis voluntate ſic vel aliter ſtatuente, vt ipſi placet, ita valor operum noſtrorum pendet ex libera Dei voluntate taxante tãtum determinatè præmium ſingulis quibuſque actibus, prout ipſi placuerit; vel etiam nolente vllum pro illis præmium aut promittere, aut conferre; quod quidem iure ſuo facere poteſt: cum enim omnia noſtra bona ſint magis propria ipſius, atq. ex eius donatione in nobis exſtant, poteſt illa exigere abſque vlla retributione, aut promiſſione. Ergò valor operis meritorij, aut ſatisfactorij nullatenus pendet ex dignitate operantis maiori vel minori, ſed ex ſola promiſſione, & lege Dei.

5. Si maior dignitas operantis redderet maiorem valorem operis ſatisfactorij, aut meritorij, daretur proceſſus in infinitum inter vnum quoduis meritum & eius præmium augentia ſe inuicem ſine fine; quia eliciens opus aliquod meritorium per gratiam receptam in eius præmium redderetur dignior, quàm antea eſſet. Ergò ſi ex maiori dignitate operantis creſceret valor operis deberet propter idem opus nouâ dignitate auctum nouum præmium conferri

que

quo rurſus creſceret magis dignitas operantis; & ſic proportione ſine fine.

6. Maior dignitas Remuneratoris non auget valorem præmij; aliàs magni principes minus deberent retribuere ſuis pacis, & belli miniſtris; & Deus cuiuslibet rei vtcunque exiguæ largitione compenſaret etiam ſuperabundanter quælibet merita. Ergò nec maior dignitas obſequentis auget valorem obſequij ſeu meritorij, ſeu ſatisfactorij; nec enim debet eſſet melioris conditionis, & magis æſtimabilis dignitas inferioris, quàm ſuperioris.

7. Non minor infligitur pœna in purgatorio ob eadem peccata habentibus maiorē gratiam ac dignitatem. Ergò ſiquidem ſatiſfactio ſubſtituitur pœnæ, non minor ea debetur à magis digno; ac proinde cæteris paribus non euadit propterea maioris valoris.

8 In ſacris litteris operum tantum habetur ratio in ordine ad retributionem; ad Rom. 2. 6. *Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius:* 2. ad Corinth. 5. 10. *Vt referat vnusquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum* pſalmo 27. 4. ſemel atque iterum: *Da illis ſecundum opera eorum: ſecundum opera manuum eorum tribue illis*. Ergò dignitas perſonæ nihil facit ad quantitatem retributionis, & conſequenter neque ad valorem operis.

R. Quoduis concretum cæteris paribus, augetur creſcente qualibet parte ipſum intrinſecè conſtituente. Quia quælibet pars ſecundum ſe totam continetur in ſuo toto, quapropter factà additione in parte, facta erit additio in toto. Redditur verò maius quodlibet finitum, qualibet additione ſibi factà, ſi cætera ſint paria nullaque aliunde

facta

facta ſimul fuerit æqualis diminutio: Gratia autem ſanctificans, per quam habetur dignitas in ordine ad vitam æternam, & alia dona ſupernaturalia, conſtituit intrinſecè valorem operis meritorij, & ſatisfactorij de condigno, vt conſtat ex Conc. Triden. ſeſſ. 6. cap. 16. inter medium & principium, & ſeſſ. 4. cap. 8. inter medium & finem. Per eandem nimirùm formam, qua homo redditur gratus Deo, & dignus vita æterna vt hæreditate, fiunt etiam eius opera grata Deo, & digna vita æternà vt coronà: Vnde ſicut in eadem ſeſſ. 6. cap. 7. ad medium gratia ſanctificans dicitur, *vnica cauſa formalis noſtræ iuſtificationis*: ita in dicto cap. 16. dicitur eandem eſſe, *ſine qua bona opera nullo pacto Deo* (quæ eſt conditio æquè neceſſaria in ſatisfactione & merito) *& meritoria eſſe poſſent.* Verùm ſicut gratia ſanctificans neminem gratum Deo, & dignum vità æterna reddere poteſt, niſi per vnionem ipſi communicetur; ita nec vlla opera reddere poteſt grata Deo, & digna mercede vitæ æternæ, niſi ipſis per verum influxum, & realem cauſalitatem communicetur, tanquam proprium, & per ſe eorum principium. Communicatio enim reſpectu operationis fit per ſolam cauſalitatem, non ſecus ac reſpectu ſubiecti per ſolam vnionem. Et ſanè dignitas elicientis aliquod opus nullatenus impenſa operi, ſed omninò otioſa perſeuerans, nullam illi commendationem, nullùmque valorem adijcere poteſt, aut complacentiam eius, in cuius obſequium peragitur; & potiùs ad reprehenſionem eatenùs valere poteſt. Igitur dignitas operantis, quæ habetur per gratiam, & impenditur operi, conſtituit intrinſecè valorem operis meritorij, ac ſatisfactorij, & conſe-

quenter creſcit is valor, cœteris paribus creſcente eà dignitate.

Ad 1. Philoſophus ibi agit de iuſtitia commutatiua, quæ conſiderat iniurias, earùmque compenſationes, ſolùm in ratione iacturæ, & lucri, intendens æqualitatem arithmeticam inter vtrumque. Deus autem neque iacturæ eſt capax, neque lucri; ac proinde non vtitur iuſtitia commutatiua, vt alibi dictum eſt: Sed præmia, & quæ præmio æquiualet, remiſſionem pœnæ, atque ſupplicia diſpenſat per iuſtitiam legalem, quæ iniurias, & earum compenſationes conſiderat quoad honeſtatem, & turpitudinem ipſarum, & pro vtriſque præmia, atque ſupplicia diſpenſat ſecundum proportionem geometricam, prout expedit ad rectum regimen, & bonum commune Reipublicæ rationalis, ad continendos homines in officio, promouendos honeſtos eorum conatus, & cohibendos inhoneſtos. Confert autem ad hunc finem, vt habeatur ratio dignitatis, & gratiæ gratumfacientis, quæ impenditur operi laborioſo ac pœnali, & datur à Deo non ſolùm vt arrha hæreditatis æternæ, ſed etiam vt talentum exponendum ad lucrum æternæ coronæ.

Ad 2. Omnis obligatio noſtra reſpectu Dei eſt inſtituta in noſtram vtilitaté. Quare potiùs è conuerſo creſcente obligatione eliciendi aliquem actum, creſcit vtilitas elicientis; ſiue augmentum obligationis proueniat ex maiori dignitate obiecti, circa quod verſatur actus, ſiue ex maiori dignitate operantis. Vnde actus charitatis, qui inter noſtras operationes maximè omniū eſt debitus Deo propter maximam ipſius dignitatem vt ametur, eſt maximè omnium meri-

meritorius & ſatisfactorius cæteris paribus. Simili igitur ratione obſequia magis debita Deo propter dignitatem, & gratiam operantis ab ipſo receptã ſunt gratiora eidem, & efficaciora. Alia eſt ratio de obligatione obſequendi creaturæ, quæ inſtituitur nõ in fauorem obligati, ſed creditoris; ideòque quò maior eſt, eò obſequium reddit minùs æſtimabile accipienti, vtpote magis ſuum ipſius ſuitate vtilitatis, cuius Deus non eſt capax. Quà de cauſa in obſequijs homini ab homine præſtitis ea ſolùm maior dignitas obſequentis auget magis valorem operum, quæ magis eum remouet ab obligatione obſequendi,

Ad 3. Acceptio perſonarum vitioſa, & indigna Deo, eſt prælatio vnius perſonæ comparatione alterius ratione dignitatis nihil conferentis formaliter ad rem, in ordine ad quam præfertur. Qua de cauſa non ſolùm dignitates temporales, ſed etiam dignitates, & dona ſupernaturalia, communia iuſtis & peccatoribus, nihil promouēt in genere cauſæ formalis valorem operum coram Deo, apud quem non differunt, nec differre poſſunt, eſſe bonum abſolutè, & eſſe gratum eidem; cùm apud homines frequenter eadem inuicem ſeparentur. Sola itaque gratia ſanctificans eſt dignitas conferens ad vitam æternam, & quò maior eſt, eò maiorem adijcit ſuauitatem in omni opere ſalutari, & conſequenter maiorem huiuſmodi frequentiam operum, intenſionem, & perſeuerantiam inducit. Quapropter expedit plurimùm, vt maioribus præmijs alliciantur homines ac afficiantur, vt operentur, & quia operati ſunt cum maiori gratia ſanctificante.

Ad 4. Merita cauſant præmium iuxtà

menſuram ſuæ æſtimabilitatis permouendo voluntatem præm.autis, non ſecus ac cauſæ phyſicæ producũt ſuos effectus iuxta menſurã ſuæ actiuitatis immediatè influendo in illos. Vnde ſicut cauſis phyſicis ineſt intrinſecè virtus inductiua ex natura rei talis, ac tanti effectus, & a præuia voluntate diuina cooperandi habent præterea infallibilitatẽ illũ inducendi; ita meritis de cõdigno ineſt intrinſecè virtus inductiua ex natura rei tãti ac talis præmij, & à præuia volũtate diuinà promiſſoria habent præterea infallibilitatẽ metaphyſicã illud obtinẽdi. Quòd ſi talis determinata virtus, & connexio ex natura rei nõ ineſſet intrinſecè, aut cauſis phyſicis, aut meritis, ſed omnia vtrobiq penderent à ſola arbitraria, & purè liberali deſignatione diuinæ voluntatis, nihil differret cauſa, ſeu phyſica, ſeu meritoria à puracõditione ſine quia non; nullùmque eſſet diſcrimẽ meriti de cõgruo, & de cõdigno; quæ ſũt abſurda.

Ad exemplum monetæ, quo plures vtuntur in re præſenti, dico cuiuis monetæ ineſſe reipſa valorem intrinſecum determinatum, qui tamen non eſt certò, ac vltimatè cognoſcibilis præſertim à multitudine; & quia in rebus obſcuris ſuboritur varietas opinionum, oportebat verò vt conueniretur, viſum fuit, vt ſtaretur iudicio Principis quoad valorem intrinſecum ipſi manifeſtum, & voluntati quoad latentem. Vnde iniuſtè aget princeps, ſi deſignatione ſua exorbitet à valore intrinſeco manifeſto, & tenebitur ad compenſationem damnorum dummodò non adſint cauſæ iuſtæ exigendi loco tributi detrimentum, quod inde ad vltimum poſſeſſorem redundat. Apud Deum autem nulla eſt ignorantia valoris intrinſeci, & apud eundem eſt neceſſitas, optimè,

ſapien-

ſapientiſſimèque gubernandi, ac dirigendi omnes in ſuum finem: quod fit diſpenſando præmia & ſupplicia proportionata bonis & malis operibus; hoc eſt, non exigendo bona opera tanquam ſua ſuitate vtilitatis, nec prohibendo peccata tanquam nocētia ipſi, ſed omnia ordinãdo in noſtram vtilitatem, & ſuam gloriam, vti poſtulat ſua, & noſtra natura: & rerum omnium cæterarum vtrique intrinſecè ſubordinata, ac contemperata conditio.

Ad 5. Iam dictum eſt dignitatem operantis, quæ nullam exercet cauſalitatem in opus, nullum illi adijcere valorem; atque ex Matth.25. 27.& Lucæ.19.23. conſtat nō poſſe perinde moraliter reputari in ordine ad lucrum, talentum repoſitum in ſudario, & quod ad menſam datum fuerit; id eſt, otioſum,& operoſum, vtcunque cætera ſe habeant. Augmentum autem gratiæ & dignitatis datum in præmium nullam exercet cauſalitatem in opus, cui rependitur.

Ad 6. Qui ſubit laborem, & ſuperat difficultatem propriam operis meritorij, quærit in compenſatione ſuam vtilitatem, cuius menſura eſt,quod accipitur, & non dignitas conferentis. At remunerans præmiando quærit gloriam ex obſequio; nec Deus niſi illam ſolam quærere ſibi poteſt. Ad gloriã autem remuneratoris, confert plurimùm dignitas obſequentis.

Ad 7. Patientes in Purgatorio merè paſſiuè ſe habent reſpectu pœnæ; ac proinde eorum dignitas nullam in ea re cauſalitatē exercet; exercet verò, & quidē ex propria electione, in opere ſatisfactorio,quod ſubſtituitur ſatispaſſioni.

Ad 8. Nomine operum comprehenduntur omnes circumſtantiæ operatrices, &

non purè materialiter, ac concomitanter ſe habentes; atque in omni vniuerſim obſequio attenditur non ſolùm quid, ſed etiam quibus expenſis præſtetur. Dictum autem eſt eius ſolùm dignitatis rationem haberi pro valore operis, quæ illi impenditur.

QVÆSTIO XI.

Vtrum ſatisfactio Chriſti Domini fuerit infinita?

VIDETVR non fuiſſe 1. Quia licet dignitas operantis augeat valorem operis, non tamen auget arithmeticà proportione, ita vt tantus ſit valor operis, & ad tantum præmium, quanta eſt dignitas operantis. Alias enim quilibet iuſtus per quamlibet operationem meritoriam; redderet duplo, vt minimùm, maiorem totam gratiam præexiſtentem, quod eſt incredibile. Auget itaque proportione geometrica maioris ad minus. Ergò licet dignitas Verbi ſit ſimpliciter infinita, non propterea fuit ſimpliciter infinitus valor operum Chriſti Domini, ſed minor infinito, ideòque finitus ſimpliciter.

2. Perſonalitas Verbi dignificat opera humanitatis aſſumptæ, quatenùs ſanctificat ipſam humanitatem; humanitatem autem ſanctificat finitè, vt infrà dicetur. Ergo opera humanitatis dignificat finitè, ac proinde eorum valor eſt finitus.

3. Ex eadem infinitate Dei prouenit

ma-

magnitudo malitiæ peccati, & magnitudo meritorum Chriſti, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd reſpectu peccati ſe tenet ex parte obiecti, reſpectu verò meritorum ex parte principij efficientis: quod nihil referre videtur, cùm actus voluntatis æquè dependeat ex obiecto, & ex principio efficienti, & ad vtrumqne intrinſecè referantur eodem prorsùs modo. At malitia peccati eſt finita, vt dictum eſt, non obſtante infinitate obiecti, cui opponitur. Ergò & valor operum Chriſti eſt finitus, non obſtante infinitate principij, ex quo proueniunt.

4. Merito infinito debetur infinitum præmium. Quia præmium non debet eſſe minus, ſed potiùs maius bonum, quam meritum, vt dictum eſt quæſt 9. ad 6. Præmium autem infinitum repugnat; quia quoduis præmium eſt aliquid creatum, & finita aliqua boni infiniti communicatio, ergo etiam repugnat infinitum meritum: eòdem recidit quòd ex poſſibilitate infiniti meriti ſequeretur eſſe poſſibilem in aliquo maiorem merendi poteſtatem, quàm ſit poteſtas præmiandi Deo conueniens, quod repugnat, quia Deus ſupereminet omnia ſecundum omnem rationem.

5. Infinitum meritum habet vim infinitā inducendi præmium. Infinitæ autem virtuti agenti quantum poteſt, vti agit meritum, quod eſt cauſa neceſſaria, reſiſti nullatenus poteſt. Ergo Deus nec de potentia abſoluta potuiſſet negare præmium meritis Chriſti correſpondens: Quod videtur repugnare ſupremo dominio diuino.

6. Si ſatisfactio Chriſti fuiſſet infinita, fuiſſet etiam ſuperabundans, ſiquidem malitia peccati, pro quo oblata fuit, erat finita,

Superabundans autem, quatenùs tale eſt, eſt ſuperfluum, cuiuſmodi nihil exiſtit autore Deo. Præterea eſt contra rectam prouidétiam adhibere ex parte medij plus quàm requiratur ad finem, vtque ſolutio ſit maior, quàm debitum; præſertim cùm agitur de ſolo bono debitoris, & creditor non eſt capax, qui diteſcat, aut in meliorem fortunam, ac ſtatum promoueatur. Creditor autem, cui ſatisfecit Chriſtus, erat Deus, cuius nihil intererat, vt ipſi ſatisfieret nec meliùs aut deteriùs habere poteſt, quàm habeat ex ſe. Denique omnes actus meritorij & ſatisfactorij, præter primum, nullius quoad nos momenti, nulliuſque fuiſſent vtilitatis; Quia primus, ſiquidem fuiſſet infiniti valoris ſe ſolo ſuffeciſſet ad omnia.

7. Satiſfactio Chriſti non fuit ſufficiens; Tum quia vltra illam requiritur propria cuiuſque peccatoris ſatiſfactio; Tum quia pars pœnæ condonata eſt gratis; cùm independenter à ſatiſfactione Chriſti datus ſit, qui redimere poſſet ipſe Ieſus Chriſtus Dominus noſter, eidemque infuſa ſit inſpiratio, & cogitatio congrua redimendi, & donatus actus ipſe redemptionis: Quorum omnium bonorum priuatio erat debita peccato, vt pars haudquaquam exigua pœnæ illi correſpondentis. Nequit autem eſſe infinita ſatiſfactio, quæ non eſt ſufficiens pro malitia finita peccati.

8. Merita Chriſti non habuerunt vim & poteſtatem inducendi maius præmium, quã quod induxerunt de facto: Induxerũt enim præmium quantum ipſis debebatur; aliàs Deus non fuiſſet iuſtus remunerator, ſed iniuſtus, perſoluens minus quàm deberet. Meritum aute m non habet, vim & poteſtatẽ inducendi præmium, niſi quod ipſi debetur.

Hoc

Hoc nimirum eſt diſcrimen inter cauſam meritoriam, & efficientem, quòd non eſt de cóceptu cauſæ efficientis debere fieri, quidquid fieri ab ipſa poteſt: Deus enim plura facit, & facere multò plura poteſt, quàm debeat ab ipſo fieri; Immò nihil vlli debens cœpit facere, quæ fecit: eſt verò de ratione cauſæ meritoriæ debere fieri, quidquid vi eius fieri poteſt; aliàs poſſet aliquid eſſe præmium meriti, ſimulque eſſe gratia prorſus indebita, quod cótradicit Paulo ad Rom. 4. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Iam verò præmium de facto collatum meritis Chriſti eſt quid finitum ac determinatum. Ergò etiam vis ac poteſtas eorundem ad inducendum præmium fuit finita & determinata. Ergò & ipſa merita fuerunt finita.

9. Non eſt infinitum meritum, cuius vis meritoria exhauriri poteſt, aut impediri. Poteſt autem vis meritoria operis Chriſti exhauriri, dando in præmium aliud eiuſdem opus meritorium, vel aliam vnionem hypoſtaticam: Impediri verò poteſt exiſtente alio Chriſto, & poſtulante per ſua merita oppoſitum euentum.

Sed contra eſt 1. Quia Clemens V I. in extrauaganti: *Vnigenitus*, de pœnitentia, & remiſſione peccatorum, definit theſaurum ſatisfactionum Chriſti non poſſe minui, quia merita Chriſti ſunt infinita. Eodemque plurimùm inclinant multa ſacræ paginæ, & Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ producit Suarez diſp.4.ſect 4.

2. Merita, vt dictum eſt in quæſt. præcedenti, includunt intrinſecè in ſua conſtitutione dignitatem merentis, quæ eſt ipſorũ principium; Atque hæc in Chriſto eſt ſimpliciter infinita. Nequit autem totum eſſe

minus ſua parte, aut includens incluſo. Ergò meritum Chriſti non poteſt non eſſe infinitum ſimpliciter.

3. Infinitum eſt, vnde licet accipere ſine fine; Ex theſauro autem meritorum Chriſti licet accipere ſine fine, ſemperque ſupereſt, quod de nouo accipiatur, perinde atque ſi nemo antea accepiſſet; quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus* ex Ioan. 1.16. ſemperque vniformiter aderit plenitudo, ex qua poſteri accipiant, quoties volent per applicationem Sacramentorum, & propriam cuiuſque diſpoſitionem.

R. Magnitudo cuiuſque meriti poteſt cõſiderari tùm quoad multitudinem & qualitatem præmiorum, quæ poteſt inducere; tum quoad vim & efficacitatem; quà poteſt illa ſiue pauca, ſiue multa, ſiue parua, ſiue magna inducere. Maior enim perfectio cauſæ apparet, tum in eo quòd plures, aut maiores effectus inducere poſſit; tū in eo quòd eos maiori cum efficacitate, ac inimpedibilitate inducat. Rurſus vis inductiua plurium, aut maiorum effectuum (quæ idoneè perfectio eius extenſiua appellatur) poteſt conſiderari, tum in actu primo, tum in actu ſecundo; Quæ quidem diſtinctio locum habet in agente libero & electiuo potẽte plus vel minus applicare in actu ſecundo virtutem, quà pollet in actu primo. Similiter vis, & efficacitas, ſeu inimpedibilitas (quæ perfectio intenſiua idoneè appellatur) poteſt prouenire, vel ex connexione intentionali actionis cum voluntate diuina de inducendo effectu, vel ex magnitudine perfectionis præexiſtentis in principio, atque inde reſultantis in actionem. Et ſiquidem prouenerit ex connexione intentionali, non poterit inde menſurari magnitudo principij aut actionis;

nis; poterit verò, ſi prouenerit ex perfe-ctione principij.

Iam magnitudo extenſiua meritorum Chriſti in actu ſecundo non eſt ſimpliciter infinita; Quia ex dignitate Chriſti erat, vt nec maius, nec minus, nec aliud præmium ipſi pro ſuis meritis conferretur, quã quod ipſe intendiſſet, & per ſuos ipſos actus meritorios efficaciter voluiſſet; ne perperam conaretur, quod eſt homine Deo prorſus indignum, ſi minus obtinuiſſet, quàm intendiſſet: Aut degenerem de Patre Deo Deus filius ſpem conciperet, quod eſt non minùs indignum, ſi minora ſperaſſet, ac voluiſſet, quam par erat vt reciperet, eratque à iuſtiſſimo remuneratore recepturus: Aut tanquam æqui rectique, & omninò conuenientis ignarus ageret, quod plenitudini ſcientiæ Chriſti inferiùs aſſerendæ repugnat, ſi ſe, ſuorumque laborum exitus & effectus omnes, diuinæ prouidentiæ cæco modo cõmitteret; vti expedit vt nos faciamus, tùm ob ignorantiam, tum ob affectus facilè exorbitantis lubricam conditionem. Voluit igitur Chriſtus Dominus ea omnia & ſola prẹmia per totam ſuorum operum, & meritorũ collectionem obtinere, quæ de facto obtinuit, fuitque ijſdem meritis intrinſecum, ne plura, aut maiora mererentur, aut obtinerent. Quia verò, quæ de facto ſuis meritis obtinuit Chriſtus Dominus, fuerunt finita, & intra finitum numerum, intenſionem, ac perfectionem contenta, efficitur valorem eorum, magnitudinem, & vim meritoriam extenſiuam in actu ſecũdo fuiſſe limitatam, ac finitam.

At magnitudo intẽſiua meritorum Chriſti in actu ſecundo, & conſequenter magnitudo etiam extenſiua in actu primo, fuit

ſimpliciter infinita: Eàdem nimirùm ratione, quà fieri minimè poteſt, vt contemnatur hic homo Chriſtus, quin contemnatur diuinitas Verbi intrinſecè illum conſtituentis, nec etiam fieri poteſt, vt contemnatur meritum huius hominis Chriſti, quin contemnatur eius dignitas, quæ eſt indiſtincta à diuinitate, & quà idem meritum intrinſecè conſtituitur, vt apparet ex quæſt. præcedēti. Meritum autem, quod dimittitur abſque præmio ſibi congruente, eo ipſo contemnitur, vel abſolutè ſecundum ſe, vel comparatione alicuius boni incompoſſibilis cum eodem præmio. Cùm igitur contemptus diuinitatis, tum abſolutè ſecundum ſe; tum ſub qualibet comparatione, ſit intrinſecè inhoneſtus, ac turpis; atque Deo repugnet, quidquid eſt intrinſecè inhoneſtum ac turpe: patet Deo repugnare, vt aliquod Chriſti meritum dimittat abſque præmio congruente ipſi, idque ob magnitudinem infinitam dignitatis intrinſecè incluſæ in tali merito; Qua in re dictum eſt conſiſtere infinitatem intenſiuam meriti. Ergò merita & ſatisfactio Chriſti, de qua eſt eadem ratio, ſunt infinita ſimpliciter intenſiuè etiam in actu ſecundo, inferentia ſcilicet exiſtentiam ſui præmij vi infinita, & eſſentialiter inimpedibili ob ſuam perfectionem, quominùs conſequantur præmium ſibi correſpondens.

Indidem deducitur infinitas extenſiua in actu primo; Quia poterat Chriſtus Dominus intendere & poſtulare quodlibet præmium maius & maius in infinitum pro compenſatione cuiuſuis ſui operis meritorij, quin propterea excederet dignitatem operis, quæ videlicet erat, vt dictum eſt, eadem cum dignitate infinita diuinitatis. Sed in actu ſecundo reſtringitur amplitudo iſta & capa-

citas ſimpliciter infinita præexiſtens ex parte actus primi: reſtringitur, inquam, ex intentione, & voluntate efficaci Chriſti Domini, ad præmium finitum, & determinatū, ad eum ſcilicet cumulum bonorum, quem expediebat iuxta præſentem huius Vniuerſi conditionem, & ſtatum, vt ipſe nobis obtineret. Ad eum profectò modum, quo omnipotentia latè patens in infinitum ex parte actus primi, determinatur in actu ſecundo ex libera Dei electione, ad finitū ac determinatum iſtum, qui de facto exiſtit, numerum, & magnitudinem effectuum. Æquiparatur enim vis meritoria Chriſti actiuitati phyſicę omnipotentiæ diuinæ ob eandem diuinitatis infinitudinem vtrobique inexiſtentem.

Sententiam iſtam bimembrem confirmant argumenta in vtramque partem quæſtionis propoſita. Sed quatenùs quæ pro vna quaslibet parte ſunt poſita, poſſunt aliquod ſpecimen habere aduerſus alteram, neceſſe eſt omnia reſpondendo, & exponendo percurrere.

Ad 1. Igitur partis negatiuæ. Inter dignitatem finitam puri hominis, & infinitam dignitatem Chriſti Domini, hoc eſt vniforme, quod neutra dignificat opus ad præmiū arithmeticè æquale dignitati operantis. Sed in eo eſt diſparitas, quòd in homine puro gratia creata, ideòque limitatæ dignitatis, & vtilitati ac indignitati aliorum comprincipiorum attemperata, nec potens tantundem, ſed multò minus præſtare in obſequiū & gloriam alterius, quem ſolùm reſpicit vt terminum extrinſecum, quàm in vtilitatem & decus proprij ſubiecti, quod intrinſecè perficit, non ſolùm nequit dignificare opus ad gratiam arithmeticè æqualem, verum nec poteſt dignificare indiſcriminatim ad quemlibet

libet gradum gratiæ infra eandem æqualitatem, ſed ad multò minorem cum proportione geometrica maioris ad multò minus.

At ſanctitas increata Verbi, ideòque infinita, nec limitabilis, ac deprimibilis per vilitatem aliorum comprincipiorum, & infinitè magis communicata Deo, cui obſequitur per opera humanitatis, quàm eidem humanitati, poteſt ea dignificare infinitè magis, vt mox ad 2. clariùs dicetur, quàm ipſam humanitatem; ideòque poteſt communicare ipſis valorem intenſiuè infinitum, & ſufficientem ad quoduis indiſcriminatim præmium infra ſibi arithmeticè æquale; hoc eſt, ad quoduis abſolutè poſſibile, & conferibile à Deo, perinde atque ſi abſque miniſterio & conſortio vllius creaturæ Deus Deo obſequeretur. Hæc nimirùm eſt prærogatiua boni ſimpliciter, & in omni genere infiniti, vt coniunctum cum imperfectione rei creatæ non propterea vileſcat, ſed perinde debeat æſtimari, atque ſi eſſet ſolum & ſeiunctum ab omni imperfectione, vtpote continens in ſe iuamiſſibiliter perfectionem contrariam tali imperfectioni.

Ad 2. Sanctitas infinita Verbi non dignificat opera humanitatis tantùm mediatè, dignificando immediatè humanitatem, ſed dignificat immediatè; quia eſt immediatum eorum principium tanquam vltimum complementum ſubſtantiale humanitatis influentis efficienter, & non potentis influere, quin pro priori naturæ præſupponatur ſubſiſtens, & vltimò completa. Vnde eſt, vt etiam immediatè in genere cauſæ formalis, vel quaſi cauſæ formalis, conſtituat intrinſecè valorem meritorium eorundem operum. Quapropter ly, quatenùs ſanctificat, admittitur

vt

vt ſignificat ſanctificationem humanitatis priorem natura quàm dignificationem operum, eamque ſanctificationem eſſe per ſe prærequiſitam ad iſtam dignificationem; non verò vt ſignificat mediatam tantùm operum dignificationem, ſicuti contẽdit P. Vaſquez.

Ad 3. Peccatum contemnit Deum, non vt eſt in ſe ipſo, ſed vt apparet in præuia cognitione; Apparet verò in ea cognitione inadæquatè, & imperfectè; ideòque refundit in peccatum malitiam finitam, ac limitatam. At verò Verbum Diuinum eſt principium particulare operum Chriſti meritoriorum, ac pœnaliũ, vt eſt phyſicè in ſe ipſo, inque illa demittitur ſecundum totam ſuam dignitatem infinitam; atque ideò ea dignificat illimitatè ac infinitè ratione vnionis, & actionis applicantium totum hominem Deũ, vt eſt in ſe. Quod ſignificatur 5. ad Epheſ. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*: & 2. ad Philipp. 8. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem*. In quibus certiſſimè ponderatur dilectio, traditio, & humiliatio, non humanitatis in abſtracto, ſed hominis in concreto prout includentis infinitam Verbi Diuini maieſtatẽ, vt eſt in ſe: Vnde Chryſoſtomo dicere licuit homilia 7. in ea verba ad Philipp. col. 3. fine: *Quantum habuit celſitudinis, tantum humilitatis viciſſim ſubijt*: id eſt, humilitas fuit æſtimabilis iuxta æſtimationem eius celſitudinis, quæ profectò erat ex diuinitate.

Ad 4. Merito infinito extenſiuè in actu ſecundo debetur præmium infinitum, non verò infinito tantùm intenſiuè, vel etiam extenſiuè, ſed solùm in actu primo; Quà etiam diſtinctione occurritur illationi de minori poteſtate Dei ad præmiandum: Hæc

enim

enim eſt maior quauis poteſtate merendi, vt redacta ad actum ſecundum. Iam præmium debere eſſe maius merito, verificatur de ea parte meriti, quæ eſt opus laborioſum, & habet rationẽ puri medij in ordine ad præmium, non verò de quauis forma, aut quaſi forma dignificante tale opus, nec habente rationẽ puri medij, qualis eſt dignitas Verbi Diuini exiſtens ratione ſui eſſentialiter. Hoc enim modo faciendam eſſe comparationem pro exceſſu præmij ſupra meritum, ſatis apertè docuit Apoſtolus dicens 2. ad Corinth. 4.17. *Momentaneum & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur.* Vbi cum magnitudine præmij comparat ſolùm, quod habet rationem tribulationis, & adhibetur vt medium, & ceſſat obtento præmio.

Ad 5. Nullum eſt inconueniens diuinitatem ſeipſa ſibi imponere neceſſitatẽ aliquid faciendi; ſed quòd talem neceſſitatem illi imponat aliquid purè creatum, hoc eſt incõueniens. Meritum autem Chriſti habet ab ipſa diuinitate formaliter vim neceſſitandi ad præmij collationem, & non aliunde, vt dictum eſt.

Ad 6. Remedium poteſt eſſe ſuperabundans, vel quia aliquid minus ſufficeret, & tunc datur ſuperfluitas in ratione remedij; vel quia licet nihil ſit minus, quod ſufficiat, datur tamen in eo plus boni, quàm eſſet malum præcedens; & tunc nulla eſt ſuperfluitas. Quia omne id, ſine quo aliquid haberi non poteſt, eſt neceſſarium ad illud, & neceſſarium opponitur ſuperfluo; Atque hoc ſecundo modo eſt ſuperabundans ſatiſfactio Chriſti, vt conſtat ex quæſt. 5. Neque verò eſt contra rectam prouidentiam adhibere aliquid plus hoc modo ex parte medij

& face-

& facere ſolutionem maiorem, quàm ſit debitum, ſi, quod adhibetur vt medium, aut datur in pretium, non habet rationem puri medij, & puri pretij ſecundum eum exceſſum, ſed eſt eatenùs appetibile per ſe vt finis. Operationes autem pœnales Chriſti ſecundum ſuam præcisè entitatem, ſecundū quam habent rationem purij medij, & pretij, ſunt quid minus quàm malitia peccati. Subſtantia verò Chriſti, & dignitas, prouenìens ex Verbo Diuino, quam intrinſecè includunt eædem operationes quatenùs ſunt meritoriæ & ſatisfactoriæ de condigno, & ſecundum quam ſolam conuenit illis exceſſus ſupra malitiam peccati, non habent rationem puri medij & pretij, ſed ſunt æſtimabiles & appetibiles per ſe vt finis. Demum nec reliquæ operationes meritoriæ & ſatisfactoriæ Chriſti, præter primam, ſunt ſuperfluæ; Quia Chriſtus per totam ſuorum actuum collectionem, & non per partem eorum, voluit operari noſtram reparationem. Vnde nullus eorum ſeorſim ab omnibus alijs habuit vim in actu ſecundo ſufficientem ad inducenda præmia, quæ de facto collata ſunt Chriſto, aut partem eorum, vt liquet ex priori parte reſponſionis ad quæſtionem. Vt verò ita vellet Chriſtus Dominus fuit omninò conueniens propter alias rationes, de quibus alibi.

Ad 7. Peculiaris ſatisfactio cuiuſque peccatoris eſt neceſſaria non ex defectu valoris intenſiui in actu ſecundo, & extenſiui in actu primo conuenientis ſatisfactioni Chriſti; Sed quia ad bonum regimen generis humani, & ad homines in officio continendos expediebat, vt merita Chriſti non prodeſſent ad remiſſionem peccatorum, niſi depēdenter ab applicatione per ſacramenta, &

actus

actus cuiuſque proprios; eaque ratione voluit Chriſtus Dominus vt ita fieret: Vt autē non exiſteret Chriſtus, vel vt iam exiſtens non haberet vnde ſatisfacere poſſet, & quo ſatisfaceret, non erat imprimis pœna debita peccato; Quia peccatori non debetur malum directè nocens exiſtentiæ innocentis, & impediens ea bona, quæ ipſi debentur ex ſuppoſitione quòd exiſtat, maximè verò vt vtatur ſua libertate prout libet, licet inde poſſit maximum peccatoris bonum reſultare: ſed ſolùm eſt indignus peccator ratione peccati, vt, quantum ad ipſum attinet, & intuitu ipſius, talia bona exiſtant. Deinde hic agitur de neceſſitate, ſufficientia, & ſuperabundantia ſatisfactionis Chriſti ad remiſſionem peccati quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ damnationis ſecundum ſe, nō quoad reatum aliarum pœnarum accidentalium, ſeu ad tempus, aut quoad bona extrinſeca, de quibus non eſt difficultas. Vnde illud argumentum, quod originem ducit ex P. Vaſquez, non attingit ſcopum quæſtionis iuxta ſenſum eius communem apud Theologos.

Ad 8. Conceditur totum: ſolùm enim probat, idque benè, meritum Chriſti non fuiſſe infinitum ac indeterminatum extēſiuè in actu ſecundo.

Ad 9. Vnum opus laborioſum, quale eſt omne opus meritorium, non poteſt eſſe præmium, ſaltem adæquatum, alterius operis laborioſi, præſertim ſi non ſit magis lucratiuum ac pretioſum, quàm opus, cui ipſum rependitur, vt ſupponitur in Chriſto: Ex. gr. vnum ieiunium non eſt ſe ſolo bonum præmium alterius ieiunij, & labor diurnus in vinea alterius laboris diurni in eadem.

eadem. Quia eſt de conceptu meriti eſſe, allatiuum boni formaliter per ſe ipſum vtilis, ac delectabilis, & permutantis laborem cum requie; vtque ſit vel purum pretium, vel certè vt habeat plus de ratione pretij, quàm ſolutionis; quod ſufficit vt illi repugnet infinitas in ratione præmij, ac proinde vt ſit præmium æquale alterius infiniti meriti. Deinde cuiuis Chriſti merito debetur præmium æternum, cùm & noſtris meritis tale præmium debeatur: repugnat autem merito eſſe æternum, quia eſſentialiter eſt tendentia ad terminum à Deo præfixũ, nec eſt prudenter eligibilis labor nunquam ceſſaturus, nec peruenturus vnquam ad requiem: Meritum verò eſſentialiter eſt opus prudenter eligibile.

Multò minùs vnio alia hypoſtatica poteſt rependi vt præmium merito Chriſti: Quia, exiſtentia alterius hominis Dei, ac proinde paris cum Chriſto dignitatis, ac poteſtatis, potiùs præiudicaret ſupremo, & vnico dominio ac principatui creato Chriſti debito ſibi ex natura rei ſupra totum vniuerſum. Eſt verò contra rationem præmij vt afferat præiudicium præmiato. Deinde nec meritum ſuperadditum merito, nec alia vnio hypoſtatica afferret infinitam vtilitatem, vel Chriſto Domino, vel vlli alteri; & conſequenter cùm præmium æſtimetur ex vtilitate, neutrũ eſſet æquale operationi prout infinitæ ſimpliciter in ratione meriti, quod non æſtimatur ex magnitudine vtilitatis inde reſultantis in remuneratorem, vt dictum eſt quæſt. præcedenti ad 7.

Quod ad impeditionem attinet meriti Chriſti per meritum contrarium alterius Chriſti, valdè imprimis probabile eſt, vt dicetur alibi, requgnare metaphyſicè, vt duæ

duæ naturæ ſimul aſſumantur ab eadem, vel diuerſis Perſonis diuinis atque ex ſuppoſitione implicanti ſequantur per ſe implicantia. Deinde, vt id eſſet poſſibile, non eſt periculum, vt naturæ deificatæ ita ineptirent operando, & inuicem ſibi repugnando, altera intendente remiſſionem peccatorum, infinito ad id exhibito pretio, altera volente æqualibus impenſis tam honeſtum conatum impedire, & nihil aliud. Sicut nos ineptire poſſumus cogitando, & inuicē circa hæc contendendo; ſed prima inuiolabilis lex perfectionis propriæ earum eſſet, vt amicabiliter, ac vnanimiter operarētur, vtraque volente, vt honeſtiora intendenti cederet prout intendiſſet; & ſic, vel in alium ſimilem modum, inter ſe immediatè paciſcendo, aut reijciendo in iudicium electionēmque diuinam, exitum & applicationem abſolutam ſuorum meritorum.

Denique, quod caput eſt, ex impeditione æqualis per æquale neutrius dignitas, vel indignitas determinatè concluditur; ſed eſt aliundè alterutra pars probanda. Idem ſimiliter dico de alio Chriſti merito, & alia vnione hypoſtaticâ datis in præmium Chriſto Domino, ſi ſupponatur, vti ſupponitur in argumento, meritum Chriſti, & vnionem hypoſtaticam eſſe tanti valoris, ac æſtimationis in ratione præmij & compenſationis, atque ſunt meritum quidēm in ratione obſequij, vnio verò in ratione dignationis. Admiſsâ enim ea ſuppoſitione aliundè oſtēdendum eſt de vtroq. ſimul extremo, vel altero, an ſit finitum, an infinitum.

Ad 1. Partis affirmantis. Illa cauſalis: *Quia merita Chriſti ſunt infinita:* accipienda eſt de infinitate intenſiua. Inde enim fit, vt ſatisfactio Chriſti poſt quaſlibet peccatorū remiſ-

remiſſiones inducat nouam remiſſionem, cum eadem ſemper vi & efficacitate infinita, abſque vlla quoad hoc diminutione, perinde atque ſi nihil antecedenter operata fuiſſet. In hoc eodem ſenſu accipienda ſunt cætera eiuſdem generis teſtimonia. Secundum ſimiliter nihil probat de infinitate extenſiua in actu ſecundo.

Ad 2. Numerus accipientium, immò & potentium accipere ex theſauro meritoris Chriſti, eſt finitus & determinatus; ſimiliterque eſt finitum & determinatum tempus, pro quo poſſunt accipere, nec non virtus & opportunitates accipiendi. Multiplicatio enim hominum, & tempus, pro quo erunt Viatores, ideſt, capaces de nouo accipiendi, habent finem; ac per conſequens opportunitates etiam, & virtus accipiendi, sūt finitæ. Quapropter omnes accipient de plenitudine nunquam diminuta ſenſu explicato ad 1. huius partis; poterunt verò accipere ſemper, & quotieslibet, his duabus particulis determinatis ex parte materiæ: *ad tempus finitum, & finitum numerum opportunitatum*; ita vt aptitudo accipiendi ſit ſimpliciter ſine fine ex parte actus primi.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

Vtrùm ſatisfactio Chriſti fuerit ex iuſtitia commutatina?

VIDETVR ſpecialiter repugnare ſatisfactioni Chriſti, vt fuerit ex hac iuſtitia. 1. Quia eſt de ratione virtutis iuſtitiæ, vt ſit ad alterum; nemo enim ſatisfacit ex iuſtitia ſibi. Principium autem, *Quod*, ſatisfactionis exhibitæ à Chriſto eſt Verbũ diuinum, quod non diſtinguitur à Deo creditore, cuifacta eſt ſatisfactio. Defecit ergò alteritas ſatisfacientis, & creditoris neceſſaria ad iuſtitiam ſatisfactionis.

2. De conceptu ſatisfactionis ex iuſtitia eſt, vt ſit debita ab exhibente. Quia quod non debetur, non redditur ex iuſtitia, ſed erogatur ex liberalitate, aut alia ſimili virtute. Satisfactio autem æqualis peccato, nec erat debita à peccatoribus, qui ſcilicet exibere illam minimè poterant, vt dictum eſt, nec erat debita à Chriſto Domino, qui non peccauerat.

3. Solutio ex iuſtitia oportet vt fiat à debitore; nec enim Petrus debitor abſoluitur à debito propter pecunias erogatas creditori à Paulo: Chriſtus autem nec ſatisfactionis, quam exhibuit, nec ſatis paſſionis, cui nos eramus obnoxij, debitor erat. Sed neque vt fideiuſſor debere poterat: quia repugnat vt debeat fideiuſſor, quod non debebat is, cui fideiubet. Nos autem, ſatisfactionem, quam exhibuit Chriſtus

Do-

Dominus, non debebamus, vtpote nobis impoſſibilem; & ſatispaſſionem, qualem debebamus, non ſubijt, nec fieri potuit vt deberet ſubire.

4. Eſt de eſſentia iuſtitiæ commutatiuæ, vt conſtituat æqualitatē arithmeticam inter datum & acceptum; inter debitum & ſolutionem: Satisfactio autem Chriſti nō fuit æqualis arithmeticè, ſed ſuperabundans, & quidem infinitè, vt dictum eſt: Et præterea ratione formæ, ſeu quaſi formæ eſſentialiter indiuiſibilis, & includentis infinitatem ſecundum quamlibet formalitatem, neque per rationem poterat ſeiungi aliquid æquale.

5. Non poteſt ſolutio eſſe iuſta, ſi fiat ex bonis creditoris, aut ex debitis eidem alio titulo. Quidquid autem exhibuit Chriſtus Dominus, erat proprium Dei creditoris, eidèmque independenter à peccato debebatur omne obſequium poſſibile ratione infinitæ ſuæ maieſtatis, ratione creationis aliorumque innumerabilium beneficiorum. Et ſpecialiter Chriſtus Dominus debebat quidquid pro nobis præſtitit, ratione præcepti ſibi impoſiti, vt id omne præſtaret. Ac demum, quod in ſatisfactione Chriſti erat maximè æſtimabile, erat diuinitatis dignitas infinita, quæ eſt maximè propria Dei per identitatem.

R. Dictum eſt in quæſtionibus de Iuſtitia, Repugnare iuſtitiam commutatiuam tum Deo reſpectu aliorum, tum alijs reſpectu ipſius. Vnde in præſenti ſupponitur abſolutè, ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe ex iuſtitia commutatiua, ſed ex charitate religioſa erga Deum, & miſericordi erga nos, adiuncta inſuper virtute obedientiæ, quatenùs Chriſtus Dominus per ſua merita;

ex

ex amore Dei, honorem eius, & cultum peccato læſum reparauit, & noſtræ indigentiæ ac miſerijs ſubuenit, obediens præcepto impoſito ſibi a Patre vt vtrumque præſtaret.

Cæterùm nulla eſt ſpecialis ratio, quæ oſtendat repugnare iuſtitiam commutatiuã, aut Deo reſpectu Chriſti, aut e conuerſo, permittatque vt inter ipſos ea iuſtitia negetur, ſiue mutuò, ſiue non mutuò, quoad exhitionem ſatisfactionis ex vna parte, & remiſſionis peccatorum, aliorumque donorum ex altera; ſi inter Deum & aliquem alium pro aliquo cuiusuis generis euentu, aut aliqua rerum vltrò citròque exhibendarum conditione eadem admittatur. Quia diuerſitas voluntatum, & liberarum facultatum, penes quas eſt iurium diuerſitas, totaque alteritas ſpectans ad rationem iuſtitiæ, vt conſtat ex ijsdem quæſtionibus de Iuſtitia datur inter Deum & Chriſtum Dominum, quàm maxima dari abſolutè ac deſiderari poteſt. Iam ratio debiti nulla maior eſſe poteſt aut in nobis reſpectu Dei, quàm quæ fundatur in peccato lethali, pro quo Chriſtus ſatisfecit, aut in Deo reſpectu alicuius alterius, quàm quæ fundatur in infinito Chriſti merito. Demum æqualitas illa eſt exactiſſima inter datum & acceptum à Deo & homine, cùm vtrique eſt intrinſecum, & eſſentiale, vt neque plus aliquid, neque minùs dari poſſit in compenſationem alterutrius eorum; atque hoc modo diximus ſe habere meritum Chriſti reſpectu præmij, quod accepit à Deo. Hæc autem ſunt, ex quibus conſurgit conceptus adæquatus iuſtitiæ commutatiuæ. Nulla igitur ſpecialis ratio excludere illam poteſt à ſatisfactione Chriſti, &

com-

compenſatione illi à Deo facta, ſi aliunde vniuerſaliter non excludatur à Deo, & reſpectu Dei.

Et quidem rationes in contrarium propoſitæ, præter quartam, quæ non eſt melior reliquis, ſiquid probarent, probarent vt que contra certum dogma fidei; nullam prorſus ex vlla virtute veram, ac propriam ſatisfactionem exhibere Deo potuiſſe Chriſtum; Quia ad quamlibet eiuſmodi ſatisfactionem pro offenſa, eſt æquè neceſſarium, vt detur diſtinctio inter ſatisfacientem, & eum, cui ſatisfit: Vt præſupponatur debitum extinguendum per ipſam: Vt exhibeatur à debitore per ſe, vel per alium, loco & nomine ipſius operantem, & habilem, qui eum repræſentet, atque moraliter in ſe quoad eã actionem contineat: Vt quod exhibetur, ſit proprium exhibentis, & non debitum alio titulo eiuſdem rationis, quæ ſunt omnia capita argumentorum, præter quartum. Et quod ad ipſum quartum argumentum attinet, exceſſus obſequij præſtiti a Chriſto ſupra debitum præcedens eſt ſimpliciter infinitus; quod autem ita excedit, dicendum potiùs eſſet abſolutè à formalitate præualenti, liberalis ſupererogatio, quam ſatisfactio & pretium: cùm tamen in ſacris litteris operationes Chriſti ſignificentur abſolutè vt purum pretium & ſatisfactio. Omnes igitur, ſiue admittant, ſiue negent, vel abſolutè, vel ex ſuppoſitione, iuſtitiam commutatiuam in ſatisfactione Chriſti, tenentur æqualiter ad ſolutionem eorum argumentorum.

Ad 1. Datur inter Deum & Chriſtum diſtinctio realis naturarum, voluntatum, & liberæ facultatis; Atque hæc, & non ſuppoſitorum alteritas pertinet ad diuerſitatem

iurium, & conſequenter ad rationem iuſti-tiæ commutatiuæ, vt dictum eſt. Vnde nullum eſt inconueniens deeſſe inter mutuã-tes diſtinctionem ſuppoſitorum, dummodo ſola hæc deſit.

Ad 2. Sufficit ad iuſtitiam commutatiuam, vt, quod ſoluitur, debeatur formaliter aut æquiualenter, determinatè aut diſiunctiuè, vel conditionatè. Satisfactio autem exhi-bita à Chriſto æquiualet ſatiſpaſſioni debitæ pro peccato; & peccator tenetur ratione peccati ad ſatisfactionem, vel ſatiſpaſſionẽ, aut ad iſtam determinatè ſub hac conditio-ne, quod illam priùs non præſtiterit.

Ad 3. Chriſtus Dominus eſt caput gene-ris humani, & nos ſumus eius membra. Vn-de potuit iure ſuo nos repræſentare, & no-mine noſtro ſatisfacere, ſubſtituens ſe nobis pro noſtro debito ex conſenſu creditoris iuxta illud: *Dolores noſtros ipſe tulit, & lan-guores noſtros ipſe portauit.* Atque hoc ſuffi-cit ad rationem iuſtæ ſolutionis, & commu-tationis, ſi nihil obſtet.

Ad 4. Æqualitas inter datum & acceptũ propria iuſtitiæ commutatiuæ in hoc conſi-ſtit, vt neuter commutantium plus, aut mi-nus dare aut accipere debeat; idque ita acci-dat ex natura ipſa eorum, quæ quiſque dat & accipit. Dictum autem eſt in quæſt. præ-cedenti adfuiſſe hanc æqualitatem in ſatisfa-ctione Chriſti ob eius valorem extenſiuè fi-nitum, & omninò commenſuratum præmijs, quæ de facto ratione ipſius collata ſunt, & quorum priuatio erat debita ratione pecca-ti; tametſi idem valor fuerit intenſiuè infi-nitus, & ſuperabundans, quod nihil obeſt iuſtitiæ commutationis; quæ videlicet ſolam reſpicit æqualitatem iuriũ, ita vt neutri parti quidquam iuris ſuperſit ad aliquid amplius.

Ad 5. Poteſt imprimis eàdem actione ſatisfieri multiplici obligationi iuſtitiæ, aliarumque virtutum. Si enim centum, quæ debes, ſoluas creditori erga te benefico, conſtituto in graui neceſſitate, & præcipiente ſuperiore, ſatisfactum erit indiuiſim obligationi iuſtitiæ, gratitudinis, charitatis, miſericordiæ, & obedientiæ. Sic igitur etiam in re noſtra fieri potuiſſet, ſi aliud commune Chriſto & cœteris non obſtitiſſet.

Deinde operationes Chriſti erant tam propriæ ipſius, quàm proprium poteſt eſſe aliquid aliud alicuius alterius, non obſtante dominio Dei ſuper omnia, quod eſt diuerſæ rationis à Dominio naturæ creatæ; Illud enim eſt ſolius excellentiæ, iſtud verò vtilitatis; ideòque ſunt inuicem compoſſibilia, immò & eſſentialiter connexa circa eaſdem res, licet ſint eſſentialiter incompoſſibilia duo dominia in ſolidum duplicis creaturæ circa eandem rem, de quo dictum eſt in quæſtionibus de iuſtitia.

Denique dignitas infinita Verbi Diuini facta eſt propria humanitatis quoad omnem vtilitatem, quæ inde poteſt reſultare; facta enim eſt ea vnio gratiâ humanitatis vt finis cui vtilitatis. Vnde Chriſtus ſatisfaciens per opera vt dignificata per Verbum Diuinum ſatisfecit ex proprijs eo genere proprietatis, quo cuiuſque ſunt propriæ res purè creatæ quàm maximè ſuæ. Neque quidquam obeſt eandem Verbi dignitatem eſſe propriam Dei per identitatem; quia hæc proprietas eſt alterius generis, & compoſſibilis cum proprietate vtilitatis ad alium pertinente, vt modò dicebatur.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum remedium peccati fuerit cauſa finalis adæquata incarnationis Verbi Diuini?

VIDETVR fuiſſe 1. Quia de finibus operum Dei non poteſt nobis conſtare niſi ex ipſius reuelatione, quæ in ſacris litteris manifeſtatur. In ſacris autem litteris solùm remedium peccati exprimitur vt finis incarnationis. Lucæ 19. 10. *Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat*: Ad Rom. 3. 25. *Quem Deus propoſuit propitiationem per fidem &c. propter remiſſionem præcedentium delictorum*. Ad Galatas 4. 5. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret*. 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere*. 1. Ioan. 3. 8. *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli*. Et ibidem cap. 4. verſu 10. *Miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*. Idem vniformiter habetur, vbicunque fit mentio huius miſſionis, & cauſæ mittendi: Vnde in Nicæno ſymbolo fidei hoc idē vnice credendum proponitur circa hoc punctum: *Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis*. Ergo remedium peccati, & noſtra ſalus, quatenùs per illud obtenta, credenda eſt vnica & adæquata cauſa finalis incarnationis.

2. Auguſtinus lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 26. initio cùm propoſuiſſet aceruatim cogere, vti facit capite ſequenti, teſtimonia

modo

modò indicata cum multis eiuſmodi alijs: *Quibus*, inquit, *appareat Dominũ Ieſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe, ac formâ ſerui acceptâ factum obedientem vſque ad mortem crucis, niſi vt hac diſpenſatione miſericordiſſimæ gratiæ omnes, quibus tanquam membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt, ad capeſſendum regnum cælorum, viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui priùs fuiſſent in peccatorum morte, languoribus &c.* Proſequitur enim fuse eandem confirmando, & multipliciter replicando ſententiam. Ergò ex Auguſtino remedium peccati, & nihil aliud fuit cauſa finalis incarnationis Verbi; Nec niſi in hoc ſenſu accipi poſſunt loca ſcripturæ, in quibus ſignificatur motiuum incarnationis; hoc enim exprimunt clarè illa verba: *Quibus appareat non aliam ob cauſam*. Eodem ferè modo loquuntur, inque eundem ſenſum plurimùm inclinant plerique alij Patres.

3. Maximi myſterij conueniebat præſtantiſſimum eſſe finem; Sapiens enim Architectus non iacit fundamentum, niſi quale intendit erigere ædificium. Myſterium autem incarnationis eſt omnium maximũ poſt myſterium Trinitatis. Ergo finis proprius eius id ſolùm eſſe debuit, quod eſt præſtantiſſimum infra finem diuinæ Trinitatis, qui eſt ipſe Deus: Cuiuſmodi porrò finis eſt remedium peccati; quod apparet ex tribus. Primò quia hoc remedium fit formaliter & immediatè per dona gratiæ & gloriæ, quæ ſunt maxima inter omnia purè creata, & quorum priuatio inducta erat per peccatum. Secundò quia peccatum ex ſuo genere eſt malum omnium maximum, & peruaſerat totũ genus humanum: Remedium verò maximi mali eſt maximum bonum; & quod pertinet

igitur eſt primò ac principaliter gratia ſui, & vt ſubordinans ſibi ſecundum ſe reliquas exiſtentiæ ſuæ cauſas finales extra Deum.

Cæterùm inter omnia purè creata remedium peccati fuit proculdubio cauſa finalis præcipua, non tamen vnica & adæquata incarnationis. Non quidem vnica & adæquata; Quia nihil boni actu, & præter intentionem diuinam prouenit ex operibus Dei; ſed omnia & ſingula bona, quæ inde proueniunt, intendit formaliter vt fines ſuæ operationis ad extra: Omnes namque cauſas diſponit per prouidentiam comprehenſiuam earum, atque adeò ordinatiuam ipſarum ad omnes & ſingulos effectus ac fines, ad quos futuræ ſunt vtiles; nec fieri poteſt, vt prætergrediantur in bono limites ſuæ intentionis beneficæ. Ex incarnatione autem Verbi Diuini alia bona prouenerunt præter remedium peccati: nimirum dona gratiæ Angelis collata, necnon primis parentibus ante peccatum, vt infrà dicetur. Sed neque gratiam medicinalẽ induxit incarnatio Verbi præcisè quatenùs neceſſaria erat ad excluſionem peccati; verùm multò vberiorem iuxta illud Ioan. 10. 10. *Ego veni vt vitam habeant* (quæ non habetur ſine excluſione peccati) *& abundantius habeant*: quod aliquid proinde ſuperaddit vltra eandem excluſionem.

Remedium verò peccati fuiſſe finem inter purè creata præcipuum, probant efficaciter rationes dubitandi propoſitæ: hoc enim vt minimùm illis eſt concedendum. Veruntamen in ipſo remedio duo ſunt conſideranda, nempe terminus à quo, & terminus ad quem; hoc eſt, malum quod excluditur, & bonum quod inducitur; Atque inter hæc duo inductio boni præminet excluſioni

mali,

mali, & habet rationem finis præcipuè intenti magis quàm excluſio mali. Quia odium mali fundatur in amore boni, & non è conuerſo: Ita vt ratio fugæ a malo ſit adhæſio ad bonum, non verò ea fuga huius adhæſionis: Bonum enim eſt appetibile ſecundum ſe, tametſi nullum præcedat malum excludendum eius inductione; Malum verò non fugitur, niſi adſit bonum inducendum eius excluſione. Appetitur namque ſanitas corporis, & gratia animæ, tametſi nulla præcedat ægritudo, aut peccatum, quæ excludantur per ea bona. At de ægritudine & peccato pellendis nemo ſollicitus eſſe poteſt, niſi intuitu bonorum, quæ per ea mala impediuntur. Mouet autem magis quod per ſe, quàm quod ratione alterius mouet. Dona igitur gratiæ, quæ per Chriſtum obuenere, præcipuè ſunt intenta à Deo, habentque magis rationem finis, quatenùs ſunt poſitiuè perfectiua & ſanctificatiua hominis, quàm quatenùs ſunt medicinalia, & reparatiua peccati. Propterea in citato teſtimonio ad Galatas 4.5. fit gradus ex redemptione ſeu liberatione à peccato ad adoptionem filiorum, vt ad finem vlteriorem, & maximè intentum: *Vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*.

Verùm quia dona gratiæ collata ſunt Chriſto vt præmium meritorum, & rationem præmij commendat plurimùm difficultas obtinendi bonum, quod datur in compenſationem meriti; atque difficultas, quæ per peccata obijcitur beneficientiæ diuinæ, eſt quam maxima, propterea finis extrinſecus incarnationis potiſſimùm, & vt plurimùm ſignificatur in ordine ad deletionem peccatorum formaliter, vt patet ex ſupra poſitis teſtimonijs. Et quod Chriſtus præ-

ſtitit, exprimitur per conceptum victoriæ, vt liquet ex Apoc. 5. 5, *Ecce vicit leo de tribu Iuda*; & ad Corinth. 15. 54. *Abſorpta eſt mors in victoria*: & iterum; *Deo autem gratias, qui dedit victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Ad 1. In illis locis agitur de fine extrinſeco, & creato incarnationis: nimirùm de opere, ad quod perficiendum venit Chriſtus. In quo genere iam dictum eſt remedium peccati fuiſſe finem præcipuum, & quà ratione id verificetur.

Similiter Auguſtinus in 2. agit de fine, incarnationis relatè ad genus humanum, vniuerſim: nec vt aliò vniuerſaliùs, aut magis in particulari reſpiceret, permittebat eius ſcopus illo in loco. Scopus enim erat illatio peccati originalis ex inſtitutione baptiſmi facta pro poſteris Adæ etiam paruulis. Quare illa negatiua. *Non aliam ob cauſam in carne veniſſe*; reſtringenda eſt ex ſubiecta materia & ſcopo ad finem creatum extrinſecum Chriſto, & in ordine ad communitatem generis humani; præterquàm quòd omnia alia ordinata ſunt aliquo modo, & conduxere de facto ad remedium peccati: Idque ſufficit vt ſine violentia verificetur, nullam aliam fuiſſe cauſam, præter remedium; id eſt, nullam fuiſſe adæquatè diſtinctam ab iſta, & quæ ad eam non reuocetur, tametſi aliqua intenta ſimul ſit ratione ſui & ob innocentes.

Ad 3. Chriſtus Dominus non habet rationem puri medij, ſicut artefacta, ſed eſt principaliter ratione ſui: Quia eſt præſtantior ijs, quæ mediante ipſo obtenta ſunt. Deinde non eſt inconueniens cauſam nobiliſſimam ordinari ad plures effectus inter ſe inæquales, dummodò adſit vnus nobiliſſimus,

mus, ad quem præcipuè ordinetur; qualis effectus eſt remediũ peccati reſpectu Chriſti, vt dictum eſt. De reliquo fauet noſtræ ſententiæ illud argumentum, & bene probat.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum remedium originalis, an verò actualium peccatorum fuerit cauſa finalis præcipua incarnationis Verbi Diuini?

VIDETVR remediũ actualium fuiſſe cauſam præcipuã. 1. Quia remedium mali maioris eſt præſtantius, ac proinde magis intentum. Malitia autem peccati actualis eſt maior, quia eſt magis voluntarium, magiſq. ab intrinſeco, quiaque non ſolum inducit pœnam damni, quæ eſt communis originali, ſed præterea pœnam æternam ſenſus, quam non inducit originale. Immò & ipsa pœna damni eſt maior, & acerbior reſpectu peccati actualis; quia originali debetur minima pœna, vt dicit Auguſtinus lib. 5. cõtra Iulianum cap. 8. ad finem.

2. Apoſtolus ad Galatas 2. 20. dum dixit: *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemet ipſum pro me.* docuit vnumquemque æſtimare ſatisfactionem Chriſti perinde atque ſi pro ipſo ſolo exhibita fuiſſet. Hoc autem ſubſiſtere non poſſet, ſi Chriſtus

ſtus, & eius ſatisfactio primò, & principaliter ordinatæ fuiſſent in remedium originalis, quod indiuiſim pertinet ad totum genus humanũ, ſecundariò verò tantũ, & acceſſoriè pro peccatis actualibus, quæ ita sũt cuiuſq. propria, vt non ſint aliis cõmunia.

3 Immò videtur Chriſtum pro ſolis actualibus ſatisfeciſſe, & non pro originali: quia ſatisfactio pro eo tantùm peccato valet, cum cuius ſatiſpaſſione, & propria pœna proportionem habet. Quia Chriſtus ſuſtinuit pro peccatis pœnam ſenſus, quæ ijs pœna debetur peccatis actualibus, cùm originali ſola pœna damni debeatur, quam non ſubijt Chriſtus Dominus: Nunquam enim caruit viſione, & frui ione Dei.

4. Peccata actualia ſunt multò plura, quàm originalia. Quia in vnoquoqne non datur niſi vnum peccatum originale; actualia verò in plurimis ſunt quàm plura, ita vt facta computatione vtriuſque multitudinis, pluſquam ſingula ſinguliſ hominibus correſpõdere videantur. Malo autem latiùs patenti potiſſimùm ſubueniendum eſt, ſubueniatque primo ac maximo conatu neceſſe eſt, qui agit ex vera, & pura dilectione, vti agit Deus, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum &c.*

R. Peccatum originale & perſonale ſe habent tanquam excedens, & exceſſum. Quia peccatum originale eſt maius extenſiuè, quatenùs amplectitur totum genus humanum; Perſonale verò eſt maius intenſiuè, vt liquet ex maiori pœna quam inducit, & ex maiori voluntarietate. Vnde vnuſquiſque in particulari maius beneficium recipit per remiſſionem cuiuſuis ſui peccati lethalis, quàm per remiſſionem ſui præcisè peccati originalis, Cæterùm remedium vniuerſale

ſale peccati originalis eſt maius abſolutè beneficium, quamremedium omnium peccatorum actualium; quia illud eſt bonum totius communitatis, iſtud verò ſingulorũ; atque bonum communitatis diuinius, & eminentius eſt, iuxtà Ariſt. 1. Eth. cap. 2. fine. Licet autem tam malum, quàm bonum communitatis vſque adeò poſſit eſſe leue, vt præponderet maximum, ſeu malum, ſeu bonum aliquorum particularium; tamen peccatum originale non eſt malum leue, etiam præcisè vt eſt vniuſcuiuſque ſeorſim proprium: Nec ita illi præponderat peccatũ lethale actuale, ſicut præponderat communitas particularibus perſonis; ſiquidem reddit hominem abſolutè malum, & inimicum Dei, & priuat in æternum beatitudine ſupernaturali, conſtituitque in maximo periculo peccatorum actualium, debilitatis admodũ, nec vno modo, viribus animæ quoad intellectum, & voluntatem: Remedium igitur originalis ob vniuerſalitatem, tanti, & tam multiplicis mali fuit magis neceſſarium, maiorisque momenti, & conſequenter principaliùs intentum. Id quod apparebit magis ex reſponſione ad 4.

Ad 1. Peccatum lethale actuale eſt, maius malum intenſiuè, vt dictum eſt, idque ſolùm illis rationibus probatur; ſed originale eſt maius malum extenſiuè, eàque extenſione coniuncta cum intenſione, qualem inſinuatum eſt illi conuenire, concluditur ipſum eſſe omnibus conſideratis maius malum abſolutè.

Ad 2. Non obſtante præcipua intentione diuina remedij quatenùs vniuerſalis, adſunt duæ rationes, obquas perinde æſtimare quiſque poſſit ſatisfactionem Chriſti, atque ſi pro ipſo ſolo exhibita fuiſſet. Primò, quia

meri-

meritum Chriſti tanta cum efficacitate, & plenitudine virtutis vnicuique ſubuenit, atque ſi nihil aliud operaretur, vt dictum eſt quæſt. 11. Secundò, quia vnio charitatis efficit in voluntate bene ordinata, vt bonum aliorum reputet tanquam proprium, & ex eo augmentum gaudij potiùs quàm diminutionem conſequatur, & gratias proinde agat pro omnibus bonis tanquam ſolummodò ſuis.

Ad 3. In ſatisfaciente ſolùm ſpectatur pœnalitas contrariâ delectationi, obquam illata fuit iniuria & offenſa; vtque ea pœnalitas valeat tantundem vt mimimũ, atque tota pœna debita peccato in ordine ad placandum offenſum, quod in Chriſto non defuit, ſed ſuperabundauit. Vt verè eadem pœnalitas conueniat genere proximo cum pœna debita delicto, minimè id requirit, præſertim ſi id non ferat conditio & dignitas perſonæ ſatisfacientis, iſque præſtet abundè in genere ſibi poſſibili. Aliàs neque pro actualibus ſatisfeciſſet Chriſtus, niſi quoad reàtum pœnæ ſenſus, cùm pœnam damni ſubire neque pro vno inſtanti poſſet; & tamen eſt certum ex Fide ſufficientiſſimè, & adæquatè eum ſatisfeciſſe, quantum eſt ex ſe, pro omni peccato tam originali, quàm actuali quoad reatum culpæ, & vtriuſque pœnæ, vt conſtat ex Apoſtolo toto cap. 2. ad Coloſſ. maximè à verſu 5. & ex 1. Ioannis 2. 2. doceturque diſtinctè ab Auguſtino in Enchir. cap. 49. verſus finem.

Ad 4. Sicut ciuitas deteriùs haberet, ſi omnes incolæ, nullo excepto, decumberent ſimplici, nec vſque adeò graui morbo correpti, ità tamen vt nullus ſupèreſſet idoneus alijs ſubuenire, & progreſſum mali

cohi-

cohibere: quàm ſi aliqui, vel etiam permulti multiplici, & grauiſſimo morbo laborarent, ſuperſtitibus aliquibus ſanis: Ità genus humanum deteriùs haberet infectum per originale, & inde valdè decliue in actualia omnis generis; quàm ſi peccata actualia, vtcunque multa, & grauia, quàm plurimos corrumperent, ſuperſtitibus nonnullis cum perfecta innocentia, qui per bona exempla & ſanam cæleſtem docrinam reliquis ſubuenirent. Accedit in re noſtra, quod eſt maximè conſiderandum, perfectã innocentiam, & inde conſequentem æternam beatitudinem vel etiam vnius tantummodò hominis præualere exuberanti ſuæ bonitatis magnitudine toti malo, qualiſcunque damnationis quàm plurimorum; quod non eſt huius loci explicare, ſed eſt veriſſimum. Nulla igitur eſt comparatio inſtituta in argumento.

QVÆSTIO XV.

Vtrum detur in Deo multiplex decretum incarnationis ſecundum varias rationes?

VIDETVR dari. 1. Quia intendens in aliquo opere plures fines, quorum vnus non depèndet ab alijs, ſed eſt ſeparabilis ab eis, neceſſe eſt vt habeat plures circa illos intentiones, quarum vna non dependeat ab alijs, ſed ſit ſeparabilis ab eis, maximè ſi intentiones ſint inſeparabiles eſſentialiter à finibus per ipſas intentis: quales

QVÆSTIO XIII.

Vtrum remedium peccati fuerit cauſa finalis adæquata incarnationis Verbi Diuini?

VIDETVR fuiſſe 1. Quia de finibus operum Dei non poteſt nobis conſtare niſi ex ipſius reuelatione, quæ in ſacris litteris manifeſtatur. In ſacris autem litteris solùm remedium peccati exprimitur vt finis incarnationis. Lucæ 19. 10. *Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat:* Ad Rom. 3. 25. *Quem Deus propoſuit propitiationem per fidem &c. propter remiſsionem præcedentium delictorum.* Ad Galatas 4. 5. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.* 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* 1. Ioan. 3. 8. *In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Et ibidem cap. 4. verſu 10. *Miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Idem vniformiter habetur, vbicunque fit mentio huius miſſionis, & cauſæ mittendi: Vnde in Nicæno ſymbolo fidei hoc idē vnice credendum proponitur circa hoc punctum: *Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis.* Ergò remedium peccati, & noſtra ſalus, quatenùs per illud obtenta, credenda eſt vnica & adæquata cauſa finalis incarnationis.

2. Auguſtinus lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 26. initio cùm propoſuiſſet aceruatim cogere, vti facit capite ſequenti, teſtimonia

modò indicata cum multis eiuſmodi alijs: *Quibus*, inquit, *appareat Dominũ Ieſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe, ac formâ ſerui acceptâ factum obedientem vſque ad mortem crucis, niſi vt hac diſpenſatione miſericordiſſimæ gratiæ omnes, quibus tanquam membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt, ad capeſſendum regnum cælorum, viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui priùs fuiſſent in peccatorum morte, languoribus &c.* Proſequitur enim fuse eandem confirmando, & multipliciter replicando ſententiam. Ergò ex Auguſtino remedium peccati, & nihil aliud fuit cauſa finalis incarnationis Verbi; Nec niſi in hoc ſenſu accipi poſſunt loca ſcripturæ, in quibus ſignificatur motiuum incarnationis; hoc enim exprimunt clarè illa verba: *Quibus appareat non aliam ob cauſam*. Eodem fere modo loquuntur, inque eundem ſenſum plurimùm inclinant plerique alij Patres.

3. Maximi myſterij conueniebat præſtantiſſimum eſſe finem; Sapiens enim Architectus non iacit fundamentum, niſi quale intendit erigere ædificium. Myſterium autem incarnationis eſt omnium maximũ poſt myſterium Trinitatis. Ergo finis proprius eius id ſolùm eſſe debuit, quod eſt præſtantiſſimum infra finem diuinæ Trinitatis, qui eſt ipſe Deus: Cuiuſmodi porrò finis eſt remedium peccati; quod apparet ex tribus. Primò quia hoc remedium fit formaliter & immediatè per dona gratiæ & gloriæ, quæ ſunt maxima inter omnia purè creata, & quorum priuatio inducta erat per peccatum. Secundò quia peccatum ex ſuo genere eſt malum omnium maximum, & peruaſerat totũ genus humanum: Remedium verò maximi mali eſt maximum bonum; & quod pertinet

ad communitatem, eſt præ cæteris omnibus diuiniſſimum, vt dicit Philoſophus. Tertiò quò eſt difficiliùs opus, eò eſt nobilius ac glorioſius, magiſque demonſtrat, atque commendat virtutem ſui principij; Remedium autem peccati eſt opus omnium difficillimum; Quia reliqua omnia opera perficit Deus, vel præexiſtente idoneà diſpoſitione ex parte ſubiecti, atque ideò facillimè; vel certè nulla præexiſtente diſpoſitione contrarià, atque ideò abſque vlla difficultate; quandoquidem peccatum eſt vnicum impedimentum donorum Dei, vtpote vnicè auerſiuum diuinæ voluntatis à benefaciendo; cuiuſmodi ſolùm impedimenti, ac indiſpoſitionis retardantis opus capax eſt Omnipotens. Omnipotenti enim nulla poteſt occurrere difficultas, poſtquam voluit, ſed ſolùm quominùs velit, occurrente cauſa odij, diſplicentiæ, & auerſionis, quæ cauſa eſt ſolùm peccatum. Cætera namque omnia placent Deo, vtpote facta ipſo volente ac intendente.

R. Omnium & quarumlibet rerum amabilitatem actu ipſis conuenientem explet neceſſariò amor diuinus; & quem vnumquodque gradum bonitatis & perfectionis obtinet in ſe comparatione aliarum rerum, eundem teneat neceſſe eſt in proportionali quantitate amoris diuini; Quia diuina voluntas, eiuſque inclinatio eſt cauſa & menſura omnis bonitatis; nec fieri poteſt, vt id contingit in noſtra voluntate ratione ſuæ imperfectionis, & eius, quæ ineſt cognitioni, qua dirigitur, & cauſalitatis obiectorum in eius actus prout apparentium in eadem cognitione admodum fallaci quoad ſubſtantiam, & modum repræſentandi alia, & aliter atque ſunt in ſe; Non, inquam, ita fieri poteſt,

teſt, vt Deus magis ad minùs bona afficiatur, & minùs ad meliora; ſic enim fieret vt menſuratum non correſponderet ſuæ iuſtæ menſuræ, & effectus prætergrederetur limites ſibi præfixos à ſua cauſa.

Cùm ergo Chriſtus Dominus præcellat bonitate & perfectione cæteris omnibus infra Deum, conſtat ipſum dilectum à Deo eſſe præ cæteris omnibus, iuxta illud Matth. 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: dilectione videlicet, & complacentia paternâ, qui eſt affectus in vnoquoque maximus ex natura rei infra eum, quo Deum, & poſt Deum ſe quiſque proſequitur. Quia verò finis amatur magis, quàm quæ ſunt ad finem, conſtat rurſus Chriſtum Dominum extitiſſe primò ac principaliter gratiâ ſui, & per ſe ipſum fuiſſe cauſam finalem huius myſterij primariam infra diuinitatem ſecundum ſe, quæ eſt finis vltimus rerum omnium. Quod & ab Apoſtolo ſignificatur in illis eius verbis expenſis quæſt. 5. in primo argumento: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti; Chriſtus autem Dei*. Eandem in intentione diuina præeminentiam Chriſti ſuper omnia creata prædicat magnificè idem Apoſtolus 1. ad Coloſſ. 18. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum*. Intentus eſt itaque Chriſtus a Deo vt caput Eccleſiæ, vt principium totius gratiæ, vt primogenitus inter omnes mortales, & inter omnia abſolutè creata primatum tenens, priùs vt habens in ſe omnem omnium donorum plenitudinem, & deinde vt deriuans partem eius in cæteros pro eorum reconciliatione. Intentus

igitur eſt primò ac principaliter gratia ſui, & vt ſubordinans ſibi ſecundum ſe reliquas exiſtentiæ ſuæ cauſas finales extra Deum.

Cæterùm inter omnia purè creata remedium peccati fuit proculdubio cauſa finalis præcipua, non tamen vnica & adæquata incarnationis. Non quidem vnica & adæquata; Quia nihil boni actu, & præter intentionem diuinam prouenit ex operibus Dei; ſed omnia & ſingula bona, quæ inde proueniunt, intendit formaliter vt fines ſuæ operationis ad extra: Omnes namque cauſas diſponit per prouidentiam comprehenſiuam earum, atque adeò ordinatiuam ipſarum ad omnes & ſingulos effectus ac fines, ad quos futuræ ſunt vtiles; nec fieri poteſt, vt prætergrediantur in bono limites ſuæ intentionis beneficæ. Ex incarnatione autem Verbi Diuini alia bona prouenerunt præter remedium peccati: nimirum dona gratiæ Angelis collata, necnon primis parentibus ante peccatum, vt infrà dicetur. Sed neque gratiam medicinalē induxit incarnatio Verbi præcisè quatenùs neceſſaria erat ad excluſionem peccati, verùm multò vberiorem iuxta illud Ioan. 10. 10. *Ego veni vt vitam habeant* (quæ non habetur ſine excluſione peccati) *& abundantius habeant*: quod aliquid proinde ſuperaddit vltra eandem excluſionem.

Remedium verò peccati fuiſſe finem inter purè creata præcipuum, probant efficaciter rationes dubitandi propoſitæ: hoc enim vt minimùm illis eſt concedendum. Veruntamen in ipſo remedio duo ſunt conſideranda, nempe terminus à quo, & terminus ad quem; hoc eſt, malum quod excluditur, & bonum quod inducitur; Atque inter hæc duo inductio boni præeminet excluſioni

mali,

mali, & habet rationem finis præcipuè intenti magis quàm excluſio mali. Quia odium mali fundatur in amore boni, & non è conuerſo: Ita vt ratio fugæ a malo ſit adhæſio ad bonum, non verò ea fuga huius adhæſionis: Bonum enim eſt appetibile ſecundum ſe, tametſi nullum præcedat malum excludendum eius inductione; Malum verò non fugitur, niſi adſit bonum inducendum eius excluſione. Appetitur namque ſanitas corporis, & gratia animæ, tametſi nulla præcedat ægritudo, aut peccatum, quæ excludantur per ea bona. At de ægritudine & peccato pellendis nemo ſollicitus eſſe poteſt, niſi intuitu bonorum, quæ per ea mala impediuntur. Mouet autem magis quod per ſe, quàm quod ratione alterius mouet. Dona igitur gratiæ, quæ per Chriſtum obuenere, præcipuè ſunt intenta à Deo, habentque magis rationem finis, quatenùs ſunt poſitiuè perfectiua & ſanctificatiua hominis, quàm quatenùs ſunt medicinalia, & reparatiua peccati. Propterea in citato teſtimonio ad Galatas 4.5. fit gradus ex redemptione ſeu liberatione à peccato ad adoptionem filiorum, vt ad finem vlteriorem. & maximè intentum: *Vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

Verùm quia dona gratiæ collata ſunt Chriſto vt præmium meritorum, & rationem præmij commendat plurimùm difficultas obtinendi bonum, quod datur in compenſationem meriti; atque difficultas, quæ per peccata obijcitur beneficientiæ diuinæ, eſt quàm maxima, proptereà finis extrinſecus incarnationis potiſſimùm, & vt plurimùm ſignificatur in ordine ad deletionem peccatorum formaliter, vt patet ex ſupra poſitis teſtimonijs. Et quod Chriſtus præ-

ſtitit, exprimitur per conceptum victoriæ, vt liquet ex Apoc. 5.5, *Ecce vicit leo de tribu Iuda*; & ad Corinth. 15.54. *Abſorpta eſt mors in victoria*: & iterum; *Deo autem gratias, qui dedit victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Ad 1. In illis locis agitur de fine extrinſeco, & creato incarnationis: nimirùm de opere, ad quod perficiendum venit Chriſtus. In quo genere iam dictum eſt remedium peccati fuiſſe finem præcipuum, & quâ ratione id verificetur.

Similiter Auguſtinus in 2. agit de fine incarnationis relatè ad genus humanum vniuerſim: nec vt aliò vniuerſaliùs, aut magis in particulari reſpiceret, permittebat eius ſcopus illo in loco. Scopus enim erat illatio peccati originalis ex inſtitutione baptiſmi facta pro poſteris Adæ etiam paruulis. Quare illa negatiua. *Non aliam ob cauſam in carne veniſſe*; reſtringenda eſt ex ſubiecta materia & ſcopo ad finem creatum extrinſecum Chriſto, & in ordine ad communitatem generis humani; præterquàm quòd omnia alia ordinata ſunt aliquo modo, & conduxere de facto ad remedium peccati: Idque ſufficit vt ſine violentia verificetur, nullam aliam fuiſſe cauſam, præter remedium; id eſt, nullam fuiſſe adæquatè diſtinctam ab iſta, & quæ ad eam non reuocetur, tametſi aliqua intenta ſimul ſit ratione ſui & ob innocentes.

Ad 3. Chriſtus Dominus non habet rationem puri medij, ſicut artefacta, ſed eſt principaliter ratione ſui: Quia eſt præſtantior ijs, quæ mediante ipſo obtenta ſunt. Deinde non eſt inconueniens cauſam nobiliſſimam ordinari ad plures effectus inter ſe inæquales, dummodò adſit vnus nobiliſſimus,

mus, ad quem præcipuè ordinetur; qualis effectus eſt remediũ peccati reſpectu Chriſti, vt dictum eſt. De reliquo fauet noſtræ ſententiæ illud argumentum, & bene probat.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum remedium originalis, an verò actualium peccatorum fuerit cauſa finalis præcipua incarnationis Verbi Diuini?

VIDETVR remediũ actualium fuiſſe cauſam præcipuã. 1. Quia remedium mali maioris eſt præſtantius, ac proinde magis intentum. Malitia autem peccati actualis eſt maior, quia eſt magis voluntarium, magiſq. ab intrinſeco, quiaque non ſolum inducit pœnam damni, quæ eſt communis originali, ſed præterea pœnam æternam ſenſus, quam non inducit originale. Immò & ipſa pœna damni eſt maior, & acerbior reſpectu peccati actualis; quia originali debetur minima pœna, vt dicit Auguſtinus lib.5. cõtra Iulianum cap.8. ad finem.

2. Apoſtolus ad Galatas 2.20. dum dixit: *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemet ipſum pro me.* docuit vnumquemque æſtimare ſatisfactionem Chriſti perinde atque ſi pro ipſo ſolo exhibita fuiſſet. Hoc autem ſubſiſtere non poſſet, ſi Chriſtus

ſtus, & eius ſatisfactio primò, & principaliter ordinatæ fuiſſent in remedium originalis, quod indiuiſim pertinet ad totum genus humanũ, ſecundariò verò tantũ, & acceſſoriè pro peccatis actualibus, quæ ita sũt cuiuſq. propria, vt non ſint aliis cõmunia.

3 Immò videtur Chriſtum pro ſolis actualibus ſatisfeciſſe, & non pro originali; quia ſatisfactio pro eo tantùm peccato valet, cum cuius ſatispaſſione, & propria pœna proportionem habet. Quia Chriſtus ſuſtinuit pro peccatis pœnam ſensus, quæ is pœna debetur peccatis actualibus, cùm originali ſola pœna damni debeatur, quam non ſubijt Chriſtus Dominus: Nunquam enim caruit viſione, & fruitione Dei.

4. Peccata actualia ſunt multò plura, quàm originalia. Quia in vnoquoqne non datur niſi vnum peccatum originale; actualia verò in plurimis ſunt quàm plura, ita vt facta computatione vtriuſque multitudinis, pluſquam ſingula ſingulis hominibus correſpõdere videantur. Malo autem latiùs parenti potiſſimùm ſubueniendum eſt, ſubueniatque primo ac maximo conatu neceſſe eſt, qui agit ex vera, & pura dilectione, vti agit Deus, iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum &c.*

R. Peccatum originale & perſonale ſe habent tanquam excedens, & exceſſum. Quia peccatum originale eſt maius extenſiuè, quatenùs amplectitur totum genus humanum; Perſonale verò eſt maius intenſiuè, vt liquet ex maiori pœna quam inducit, & ex maiori voluntarietate. Vnde vnuſquiſque in particulari maius beneficium recipit per remiſſionem cuiuſuis ſui peccati lethalis, quàm per remiſſionem ſui præcisè peccati originalis, Cæterùm remedium vniuerſale

ſale peccati originalis eſt maius absolutè beneficium, quam remedium omnium peccatorum actualium; quia illud eſt bonum totius communitatis, iſtud verò ſingulorũ; atque bonum communitatis diuinius, & eminentius eſt, iuxtà Ariſt. 1. Eth. cap. 2. fine. Licet autem tam malum, quàm bonum communitatis vſque adeò poſſit eſſe leue, vt præponderet maximum, ſeu malum, ſeu bonum aliquorum particularium; tamen peccatum originale non eſt malum leue, etiam præcisè vt eſt vniuſcuiuſque ſeorſim proprium: Nec ita illi præponderat peccatũ lethale actuale, ſicut præponderat communitas particularibus perſonis; ſiquidem reddit hominem abſolutè malum, & inimicum Dei, & priuat in æternum beatitudine ſupernaturali, conſtituitque in maximo periculo peccatorum actualium, debilitatis admodũ, nec vno modo, viribus animæ quoad intellectum, & voluntatem: Remedium igitur originalis ob vniuerſalitatem, tanti, & tam multiplicis mali fuit magis neceſſarium, maioriſque momenti, & conſequenter principaliùs intentum. Id quod apparebit magis ex reſponſione ad 4.

Ad 1. Peccatum lethale actuale eſt maius malum intenſiuè, vt dictum eſt, idque ſolùm illis rationibus probatur; ſed originale eſt maius malum extenſiuè, eaquè extenſione coniuncta cum intenſione, qualem inſinuatum eſt illi conuenire, concluditur ipſum eſſe omnibus conſideratis maius malum abſolutè.

Ad 2. Non obſtante præcipua intentione diuina remedij quatenùs vniuerſalis, adſunt duæ rationes, ob quas perinde æſtimare quiſque poſſit ſatisfactionem Chriſti, atque ſi pro ipſo ſolo exhibita fuiſſet. Primò, quia meri-

cohibere: quàm ſi aliqui, vel etiam permulti multiplici, & grauiſſimo morbo laborarent, ſuperſtitibus aliquibus ſanis: Ità genus humanum deteriùs haberet infectum per originale, & inde valdè decliue in actualia omnis generis; quàm ſi peccata actualia, vtcunque multa, & grauia, quàm plurimos corrumperent, ſuperſtitibus nonnullis cum perfecta innocentia, qui per bona exempla & ſanam cæleſtem docrinam reliquis ſubuenirent. Accedit in re noſtra, quod eſt maximè conſiderandum, perfectã innocentiam, & inde conſequentem æternam beatitudinem vel etiam vnius tantummodò hominis præualere exuberanti ſuæ bonitatis magnitudine toti malo, qualiſcunque damnationis quàm plurimorum; quod non eſt huius loci explicare, ſed eſt veriſſimum. Nulla igitur eſt comparatio inſtituta in argumento.

QVÆSTIO XV.

Vtrum detur in Deo multiplex decretum incarnationis ſecundum varias rationes?

VIDETVR dari. 1. Quia intendens in aliquo opere plures fines, quorum vnus non dependet ab alijs, ſed eſt ſeparabilis ab eis, neceſſe eſt vt habeat plures circa illos intentiones, quarum vna non dependeat ab alijs, ſed ſit ſeparabilis ab eis, maximè ſi intentiones ſint inſeparabiles eſſentialiter à finibus per ipſas intentis: quales

& decreto de eiuſdem meritis, & noſtra redemptione.

3. Decretum remiſſiuum noſtrorum peccatorum præſupponit ſcientiam viſionis, quâ cognoſcuntur merita Chriſti vt abſolutè exiſtentia; eandemque ſcientiam non præſupponit, ſed potiùs præſupponitur ad eam, decretum de exiſtentia Chriſti, & meritorum eius. Quia Deus remittit nobis peccata propter merita Chriſti vt abſolutè exiſtentia; quod fieri non poteſt, quin antecedenter ea merita præuideat vt in ſe abſolutè exiſtentia. Motiuum enim volendi aliquid neceſſariò præcognoſcitur ante actum, quo id ipſum eſt volitum. Ad eam porrò præuiſionem determinatur Deus per exiſtentiam abſolutam meritorum in ſe ipſis, quæ merita antecedit Chriſtus, vt eorū cauſa, & Chriſtum antecedit ſimiliter, vt eius cauſa, decretum de ipſius exiſtentia; ac per conſequens non conſequitur ad eādem ſcientiam, ſed potiùs ipſam antecedit. Nequit autem idem decretum reſpectu eiuſdem ſcientiæ eſſe antecedens, & non eſſe antecedens, ſed conſequens: Admittendum eſt igitur circa ea obiecta pluſquàm vnum decretum.

4. Noſtra ſalus, & remiſſio peccatorum eſt cauſa exiſtentiæ Chriſti, & meritorum eius in genere cauſæ finalis, vt conſtat ex duplici quæſt. præcedenti. Et è conuerſo Chriſtus & eius merita ſunt cauſa noſtræ ſalutis, & remiſſionis peccatorum in genere cauſæ meritoriæ, vt infrà dicetur. Hoc autem fieri non poteſt, quin decretum intētiuum noſtræ ſalutis & remiſſionis peccatorum ſit aliquomodo cauſa decreti de exiſtentia Chriſti, & meritorum eius: Et è conuerſo decretum executiuum exiſtentiæ Chriſti

Chriſti, & meritorum eius, ſit mediantibus ipſis aliquomodo cauſa decreti exequentis noſtram ſalutem, & remiſſionem peccatorum. Quia cauſa finalis, & meritoria non exercent vllam immediatam cauſalitatem in media, & præmia, ſed mediante voluntate efficientis & præmiantis cauſata immediatè à fine & merito per præuiam cognitionem, ipſius quidem meriti vt exiſtentis in ſe abſolutè; atque ideò vt præſupponentis voluntatem ſui executiuam, & intentiuã præmij; ipſius verò finis vt poſſibilis exiſtere mediante vna voluntate indiuiſim intentiua ſui, & mediorum; & deinde alia executiua mediorum; & alia demum executiua ſui. Oportet igitur diſtinguere, vt minimùm, quadruplex decretum; nempè duplex intentiuum, & duplex executiuum, vt verificetur meritum Chriſti fuiſſe propter præmium ipſi collatum, & hoc propter illud in diuerſo genere cauſæ: Et non purè materialiter, ac concomitanter alterutrum alteri coexiſtere.

3. Si vnicum decretũ diuinũ virtualiter indiuiſibile ſimul cõplecteretur, vellètque efficaciter, abſolutè, & omninò determinatè exiſtentiam Chriſti quoad ſubſtantiam, eiuſdem paſſibilitatem, paſſionem, & omnia ac ſingula merita, remedium peccatorum actualium, & originalis, nec non auxilia gratiæ, qualia ſingulis diſtributa ſunt de facto ex meritis Chriſti; alijs videlicet cum efficacia in actu ſecundo, alijs verò cum ſola ſufficientia; ſequeretur (vt nihil in præſenti dicatur de interitu libertatis Chriſti reſpectu ſuæ paſſibilitatis, paſſionis, & meritorum omnium; & libertatis noſtræ ad aſſenſum, & diſſenſũ reſpectu auxiliorũ gratiæ per Chriſtum ob decreti ſimpliciter antecedentis, & in

in impedibilis tam Chriſti quàm noſtra libertate, connexionem eſſentialem cum ijs omnibus & ſingulis; de qua re alius eſt differendi locus) ſequeretur, inquam, decretum incarnationis non eſſe beneficum, nec ipſam incarnationem habere rationem beneficij reſpectu eorum, qui abutuntur, maximè per impœnitentiam finalem, auxilijs gratiæ datis ex meritis Chriſti. Quia tale decretum eſſet intrinſecè connexum, cum omnibus & ſingulis peccatis impedientium in ſe fructum incarnationis Verbi, & paſſionis Chriſti. Decretum autem eſſentialiter connexum antecedenter cum peccatis nequit eſſe beneficum reſpectu peccãtium: nec reſpectu eorundem poteſt habere rationem beneficij quidquam ex eodem decreto reſultans, maximè ſi ſit antecedens ad actus peccaminoſos, & tale vt eo non dato peccata committi non poſſent; Qualia ſunt auxilia inefficacia gratiæ; & Chriſtus, quatenùs eſt eorum principium. De ratione nimirum voluntatis beneficæ, & beneficij eſt eſſe optabile, & eligibile prudenter à beneficiario; Siquidem beneficium non confertur rationabiliter inuito. Nihil autem antecedens exiſtentiam peccati, maximè impœnitentiæ finalis, & cum eadem connexum, ſeu præuiſum coniungendum cum illa, eſt optabile, & eligibile prudenter. Quia præ omnibus alijs eligendum eſt ne detur peccatũ præſertim impœnitentiæ finalis. Iam verò ſequela, quòd decretum incarnationis non ſit beneficum reſpectu omnium, & ſingulorum hominum, & quòd exiſtentia Chriſti nõ habeat rationem beneficij ſimiliter vniuerſalis, eſt prorſus abſurda: Quia Deus, vt cõſtat ex Rom. 8. 32. & Ioan. 3. 16. Non pro aliquibus tantùm hominibus tradidit filium

ſuum

ſuum, *ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: idque præſtitit totius mundi, & non vnius tantùm partis dilectione, quæ duo vniuerſalem beneficentiam eſſentialiter in ſe includunt.

6. Qui vult abſolutè & efficaciter aliquem finem, neceſſe eſt vt eo ipſo velit illa omnia, ſine quibus talis finis exiſtere nequit, ſi antecedenter non præuideantur iam aliunde exiſtentia. Remedium autem peccati eſt finis, qui exiſtere nequit non præexiſtentibus abſolutè peccatis. Ergò Deus, cùm peccata velle non poſſit, nec remedium eorum velle potuit efficaciter, & abſolutè ante præuiſionem abſolutam eorundem. Decretum autem de exiſtentia Chriſti ſecundum ſe fuit ante præuiſionem abſolutam peccatorum, quibus reſiſtitur auxilijs gratiæ Dei per Chriſtum; & maximè eorum, quæ contra ipſam Chriſti perſonam commiſſa ſunt: Quia fuit ante præuiſionem abſolutam exiſtentiæ Chriſti, & auxiliorum gratiæ, quæ ex eius meritis redundarunt. Ergò decretum de remedio peccati, ſeu de Chriſto vt redemptore, fuit diſtinctum à decreto de exiſtentia Chriſti ſecundum ſe, vtpote eo poſterius à fortiori.

R. Supponitur in præſenti ex dictis in quæſtionibus de Voluntate Dei. Actus liberos diuinos eſſe adæquatè intrinſecos Deo; atque hàc ſuppoſitâ ſententiâ tria videntur eſſe certa. Primum eſt: nullam realem multiplicitatem decretorum admittendam eſſe in Deo; Quia id repugnat diuinæ ſimplicitati, & indiſtinctioni quoad omnia abſoluta, quæ eſt certa ex fide. Secundum eſt: admittendam nihilominus eſſe multiplicitatem rationis extrinſecam decretorum per connotata creata, iuxta multiplicitatem rea-

lem

ſem obiectorum ſeorſim conceptibilium; ac præſertim actuum noſtrorum circa ſimilia obiecta. Cùm enim Deus non cognoſcatur à nobis in via, niſi mediantibus creaturis tanquam ſpeculo, & per ſpecies proprias earum, neceſſe eſt, vt ſubeat multiplicem in noſtro intellectu apparentiam, iuxta multiplicem earum ſpecierum & rerum diuerſitatem; ad eum modum, quo idem reipſa color alius atque alius multipliciter apparet iuxta multiplicitatem colorum, qui inſunt conſpicilis interpoſitis ad viſionem illius. In eiuſmodi autem multiplici rei in ſe vnius apparentia ſuborta ex reali medij multiplicitate, ac diuerſitate, conſiſtit diſtinctio, ac multiplicitas rationis purè extrinſeca. Tertium eſt: eiuſmodi diſtinctionem rationis purè extrinſecam inter actus liberos diuinos, eorundemq; ordinem prioris & poſterioris conſtitutum ex modo noſtro concipiendi pure extrinſece per relationem ad actus noſtros circa obiecta ſimilia, vel ad ipſa obiecta, nihil conferre ex ſe præcisè ad verificandas propoſitiones cauſales de rebus aut diuinis, aut creatis, vt ſūt in ſe; aut ad diluendas difficultates, quæ propoſitæ ſunt in rationibus dubitandi, & fundantur in prædicatis conuenientibus decreto, ſeu decretis, eiuſque, ſeu eorum obiectis, vt ſunt à parte rei. Quia opus rationis nequit variare naturas rerum, ac proinde neque quidquam conferre, vt ea verificentur, vel non verificentur, quæ conueniunt rebus vt ſunt in ſe, ſi per ſe ipſas non ſufficiant ad eam verificationem, vel falſificationem. Quare ea diſtinctio, & ordo rationis ſolùm deſeruit, vt diuina commodè apprehēdamus, & exponamus ordinatè modo humano, & ad inſtar rerum humanarum.

Supereſt

Supereſt itaque hæc ſola quæſtio: An in voluntate, Dei vt terminata ad Chriſtum ſecundum diuerſas rationes ſit admittenda multiplicitas alia, & diſtinctio decretorum, media inter realem, & rationis purè extrinſecam, quæ virtualis intrinſeca, ſeu eminentialis; rationis cum fundamento in re, & rationis ratiocinatæ; realis ſecundum quid; formalis, ſeu ex natura rei, magna cum cõfuſione ab alijs, atque alijs nominatur; & à Scoto optimo nomine dicitur *innominata*; Dicetur tamen in progreſſu diſtinctio virtualis intrinſeca ob vſum iam communiorem ſic loquendi in ſcholis; & hæc diſtinctio conſiſtit in diſcrepantia reali quoad aliquod prædicatum inter duas formalitates identificatas inter ſe realiter: ita vt de altera, prout eſt in ſe à parte rei, ſit affirmabile aliquid, quod ipſum ſit ſimiliter negabile de altera; cùm ambæ ſint nihilominus affirmabiles inuicem. Adeſt exemplum in eſſẽtia, & perſonalitate diuinis, quæ identificãtur realiter inter ſe, & ſunt affirmabiles inuicem, prout ſunt in ſe à parte rei; & nihilominus diſcrepant realiter quoad hoc prædicatum, *commune tribus perſonis*, quod affirmatur de eſſentia, prout eſt in ſe a parte rei, idemque ſimiliter negatur de qualibet perſonalitate. Quæ igitur ſic ſe habent formalitates, eæ ſolæ, & omnes diſtinguuntur inter ſe virtualiter intrinſecè.

Dicendum eſt nullam eſſe admittendam multiplicitatem ſeu diſtinctionem virtualem intrinſecam in decretis diuinis circa myſterium incarnationis, & eius circumſtantias, aut circa vlla alia obiecta; ſed de omnibus & ſingulis rebus creatis, quoad omnia & ſingula ipſis conuenientia, diſponere Deum per vnicum ſimpliciſſimum actum, nõ ſolùm reali-

realiter, ſed etiam virtualiter intrinſecè indiuiſibilem. Quia quò quiſque eſt mente capacior, eò poteſt ad plura ſimul attēdere, ſiue intellectu, ſiue voluntate; & per vtrāque potentiam vel figitur ad principium vniuerſalius, vel illud complectitur cum maiori adæquatione & vniuerſalitate, atque ad plura ſub eo contenta deducit per ſimplicem in ipſum tendentiam: Atque oppoſitum huius ſolùm ex imperfectione, ac limitatione prouenire poteſt. Quod quidem de hominibus experientià ſatis clarè cōſtat; in quibus experientia quoque ſenſuum, ac præſertim viſus eidem veritati ſuo modo ſuffragatur apertè. De Angelis ſimiliter cōmunis, & vera fert opinio, vnumquemque, quò perfectior eſt, eò vniuerſalioribus vti ſpeciebus, & ex vi principij aut vniuerſalioris, aut vniuerſaliùs ac meliùs penetrati, in plura ex eo pendentia obiecta ſimultaneè ferri per ſimplicem tendentiam. Iam de Beatis non dubitatur, quin pro maiori vbertate luminis gloriæ, & habitus charitatis vnicuique contingente ad plura ſimul diffundantur per ſimplicem diuinitatis attingentiam.

Quamuis autem gradationis, ac inductionis huius quoad omnes infra Deum ſubſtantias, & earum ſtatus, efficacia vniuerſalis manifeſtiùs percipiatur; Quod ad intellectum attinet; dubitandum tamen minimè eſt, eandem eſſe rationem in voluntate, propter huius ad illum ſubordinationem & iuſtam commenſurationem ſeruatà proportione Et quia per actum neceſſarium fertur toto impetu, perinde ac intellectus, ea omnia ſimul ac indiuiſim complectendo, quæ amplectenda ſimiliter intellectus proponit abſque indifferentia; per actum verò liberū

non

non minùs fertur indiuiſim in omnia, quæ cum vltima deliberatione indiuiſim proponuntur, ea vel amplectendo vel reijciendo, quatenùs placet, in quo ſolo libertas ſita eſt. Sed nec illud eſt minùs certum, in cognitionibus, & affectionibus creatis, vbi deeſt multiplicitas & diſtinctio realis, deeſſe etiã multiplicitatem & diſtinctionem virtualem intrinſecam; cui videlicet in rebus creatis nullus eſt locus, de quo alias: Et quia vnitas actus prouenieus ex vnitate motiui formalis adæquati excludentis in ſe diſtinctionem virtualem intrinſecam, neceſſe eſt, vt careat eàdem diſtinctione; cuius videlicet non eſt fundamentum in obiecto cauſante actum.

Cùm igitur Deus ſit capacitatis ſimpliciter infinitæ tàm ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, poterit vno ſimpliciſſimo actu etiam virtualiter intrinſece indiuiſibili infinita, atque adeò omnia ſcibilia & volibilia ſimul complecti. Et quia vt fecùs fiat, nonniſi ex imperfectione ac limitatione prouenire poteſt, quæ Deo repugnat, abſolutè repugnat vt ſecùs fiat. Vis huius gradationis, & inductionis concludit a fortiori; Quia exceſſus perfectionis & capacitatis diuinæ ſupra omnem perfectionem, & capacitatem conuenientem ſubſtantiis quibuſuis creatis cognoſcitiuis ac appetitiuis eſt incomparabiliter maior, quàm exceſſus tum perfectionis inter quaſlibet ex his ſubſtantijs; tum multitudinis & magnitudinis obiectorum omnium creatorum cognoſcibilium, & volibilium a Deo ſupra multitudinem & magnitudinem obiectorum ſimul atque indiuiſim cognoſcibilium ac volibilium a quauis ſubſtantia creata; Quia prior exceſſus eſt ſimpliciter, & in omni genere infinitus, qualis

lis nullus eſſe poteſt inter vllas res creatas; vtpote eſſentialiter finitas, ac limitatas quoad magnitudinem perfectionis.

Adde actus intellectûs & voluntatis non neceſſarios, quibus Deus fertur in res creatas, non eſſe minoris perfectionis & excellentiæ, ſed prorſus eiuſdem cum ea, quâ præditi ſunt actus neceſſarij, quibus ſe ipſum cognoſcit & amat. Deus autem per ſimplicem actum tam intellectus, quam voluntatis, abſque vlla formalitatum diſtinctione virtuali intrinſeca, aut ordine obiectiuo prioris & poſterioris inter illas, ſe totum complectitur quoad omnia ſua prædicata neceſſaria, tametſi inter illa detur non ſolùm diſtinctio virtualis intrinſeca formalitatum, ſed etiam diſtinctio realis, & ordo itidem realis prioritatis & poſterioritatis inter perſonalitates. Quod modo ſupponitur ex dictis in quæſtionibus de ſcientia & voluntate Dei, iuxta communiorem, & veram Theologorum ſententiam, eorum maximè, qui effuſiſſimè omnium indulgent multiplicitati obiectiuæ decretorum Dei liberorum. Ergò ſimiliter creata omnia complectitur Deus per actum tam intellectûs, quàm voluntatis eodem modo ſimplicem, non obſtante multiplici inter illa diſtinctione reali, & ordine prioris & poſterioris. Tametſi enim Deus verſetur liberè circa hæc, & circa ſe neceſſariò; nihilominus perfectio actus vtrobique eſt prorſus eadem, ac per conſequẽs eſt eadem neceſſariè, quæ in illa fundatur, ſimplicitas, & indiſtinctio actus complectentis indiuiſim, & ordinantis, quæ ſunt diſtincta inter ſe realiter, & ordinata, abſque vlla formalitatum in ipſo actu diuiſione, aut ſucceſſione obiectiua. Nec enim eſt ma-

gis de ratione actus liberi, quàm neceſſarij multiplicatio, aut ordinatio intrinſeca ex parte ipſius iuxta multiplicitatem, a c ordinem obiectorum; cùm vterque poſſit æquè bene vtramque inducere in obiecta cauſaliter, quin vtrālibet præhabeat in ſe formaliter; Siquidem vterque habeat perfectionem eodem modo ſimplicem, qua indiuiſim cōtineat in ſe eminenter, quæ ſunt inter ſe diuiſa.

Demum, tam ex parte obiecti, quàm ex parte principij, eſt interclusus omnis aditus multiplicitati, & diſtinctioni virtuali intrinſecæ actuum Dei liberorum. Ex parte quidem obiecti, quia multiplicitas, & diſtinctio ſiue virtualis, ſiue realis obiectorum purè materialium; & ordo prioris ac poſterioris inter ſe ipſa, in qualicunque aliorum in alia cauſalitate fundatus, nihil prorſus confert ex ſe præcisè ad inducendam multiplicitatē aliquam, aut aliquod diſtinctionis vel ordinis genus in actus ad ipſa tendentes. Cùm enim obiecta purè materialia nullam exerceant cauſalitatem in actus, qui ad ipſa terminantur, nullius prædicati in actibus reperti cauſa eſſe poſſunt ex ſe præciſe, ac proinde nec diſtinctionis, & ordinis alicuius intrinſeci inter ipſos. Quare ſi motiuum formale adæquatum actùs fuerit omninò expers multiplicitatis & ordinis, nulla erit multiplicatio, diſtinctio aut ordo intrinſecus in actu, quantum eſt ex parte obiecti, vtcunque ſint multa & ordinata obiecta materialia: Vt apparet in volente ſanitatem, qui eodem actu, quo illam vult, fertur indiuiſim in omnia media, quibus ſanitas eſt obtinenda, tametſi ea ſint multa, & ſerie ſucceſſiuæ cauſalitatis inter ſe ordinata.

Motiuum autem formale adæquatum vo-

luntatis diuinæ ſiue neceſſariò, ſiue liberè volentis, eſt ſimpliciſſimum, & expers omnis diſtinctionis tam realis quam virtualis; ſolùmque ex parte obiectorum materialium datur multiplicitas & diſtinctio. Quia ſola eſſentia diuina, quæ ſe ſolà eſt omne purum bonum, omniſque perfectio ſine imperfectione, & caret omni ſui in ſe diſtinctione tum reali, tum virtuali intrinſeca, eſt motiuum formale adæquatum diuinæ voluntatis, in quo ſolùm ipſa, tanquam in centro, & fine, ſeu quaſi fine adæquato conquieſcit, atque inde in cœtera omnia diffunditur, non vt in cauſam, vel etiam partialem, vllius ſuæ inclinationis, appetitionis, delectationis, ac felicitatis fundatæ in illorum bonitate, aut ex illis hauriendæ; ſed ſolùm vt illis omnem bonitatem, & perfectionem pro cujuſque capacitate communicet. Eſt nimirum Deus bonum ſibi ſufficientiſſimum, & cui nihil extra ſe prodeſſe quidquam poſſit. Rem proinde noſtram agit, non ſuam, dum exit extra ſe amore ſuo; ageret verò etiam ſuam, ſi cauſam aliquam finalem, vel partialem alicuius ſui effectùs extra ſe poſitam haberet. Quicunque enim afficitur ad aliquid tanquam ad cauſam finalem, & motiuum ſui actùs, ita illo habito conquieſcit, & delectatur, vt eo nondum obtento aliquatenùs ſolicitetur, nec tam bene ac tranquille habeat, atque habet eodem obtento. Aliàs conueniret ratio motiui rei nihil mouenti, neque quidquam conferenti ad perfectam vndequaque tranquillitatem mobilis. Motiuum igitur formale adæquatum omnis actùs diuini, eſt eſſentia diuina; ac per conſequẽs nullus patet aditus ex parte obiecti præcisè ſecundum ſe vlli multiplicitati, ac diſtinctioni-

ctioni ſeu reali, ſeu virtuali intrinſecè actuũ Dei liberorum.

Iam ex parte principij efficientis, ſeu quaſi efficientis, nulla poteſt dari ratio alicuius multiplicitatis, & diſtinctionis actuũ, nullà eiuſmodi ratione exiſtente ex parte motiui, niſi quia vel non attingit illud adæquatè, & comprehenſiue per ſuum actum, vel aliter ad ipſum ſecundum ſe comparatur, atque comparetur ad aliqua ſub eo cõtenta. Ex primo capite prouenit in nobis diſtinctio realis actuum, quibus credimus Deo, ſpetamus in ipſum, eundemque diligimus, tametſi ex parte motiui eorũ, quod eſt Deus, nulla detur realis diſtinctio: inadæquatè enim ipſum attingimus per quemlibet actum noſtrum, ob noſtram imperfectionem ac limitationem, ideoque multiplicatis actibus indigemus, vt adæquatè, ſeu potiùs minùs inadæquatè eum attingamus. Intellectus autem, & voluntas diuina ſunt omninò commenſuratæ veritati & bonitati diuinæ; vtpote eiuſdem prorſus perfectionis exiſtentes cum vtriſque; ac proinde, vtraſque adæquatè & comprehenſiuè attingunt per ſuum actum. Quare ex hoc capite nulla poteſt eſſe ratio vllius multiplicitatis, ac diſtinctionis obiectiuæ.

Quoad modum, quo Deus vt principium ſuorum actuum ad obiecta comparatur, hæc ſola diuerſitas exiſtit, quod ad aliqua obiecta dicit habitudinem neceſſariam, ad alia verò non neceſſariam. Et propter diſcrepantiam quoad prædicata neceſſariæ habitudinis, quæ conuenit Deo quatenùs cognoſcenti & volenti obiecta omnia abſolutè neceſſaria reſpectu ſui quatenùs cognoſcentis & volentis quæ contingentia ſunt,

dantur

dantur in Deo duo actus virtualiter intrinſecè diſtincti, quorum altero fertur in omnia abſolutè ac determinatè neceſſaria, altero in omnia abſolutè ac determinatè contingentia, vt nihil in præſenti dicatur de tertio alio actu circa conditionatè, aut tantum diſiunctiuè contingentia, de quo alibi eſt dicendum. Diſtinctionis virtualis intrinſecæ dictorum duorum actuum datur etiam fundamentum ex parte eſſentiæ diuinæ, quatenùs habet rationem motiui reſpectu intellectus, & voluntatis diuinæ; Quia ad cognitionem & volitionem aliquorum mouet cum neceſſitate & determinatione; ad aliorum verò cognitionem & volitionem cum indifferentia & indeterminatione. Cæterùm tum ad totam collectionem obiectorum abſolutè ac determinatè neceſſariorū; tum ad totam collectionem abſolutè ac determinatè contingentium, mouet vniformiter ac indiuiſim; Quia reſpectu vtrorumuis habet eſſentialiter rationem motiui vniuerſalis vnitiuè continentis in ſe, tum vt in ſpeculo, tum vt in fine, omnem veritatem, omnemque bonitatem vtcunque multiplicem, & cum varia diſtinctione diſtributam per obiectorum materialium vniuerſitatem. Quia verò Deus quatenùs eſt principium, ſeu quaſi principium actiuum, habet eandē prorſus perfectionem, & vniuerſalitatem, fit planè vt non poſſit per vllum ſuum actum ferri in ſeipſum vt eſt motiuum, niſi comprehenſiuè, & adæquatè exhauriendo totā vim motiuam, per actum quidem neceſſariū reſpectu neceſſariorum; per actum verò liberum reſpectu omnium contingentium; Ita vt minimè liberum ſit minori cum perfectione, ac vniuerſalitate ſeipſum aut cognoſcere aut velle. Ergo nec ex parte

motiui, nec ex parte principij actus Dei liberi vllus patet aditus cuiquam eius multiplicitati ac diſtinctioni virtuali intrinſecæ.

In eadem principij vniuerſalis ratione, quæ Deo eſſentialiter conuenit cum ſumma & infinita perfectione, fundatur alia conſideratio pro eadem veritate. Architectus enim magnum ædificium erecturus, imperfecte ageret ac imprudenter, ſi manum operi admoueret, aut de vna aliqua eius parte ſic vel aliter diſponenda ſtatueret, anteq am animo bene comprehenſam, & ſub vno proſpectu ſibi propoſitam haberet reliquarum omnium & ſingularum partium cum illa vna conſonantiam & harmonſiam; aut deinde non de omnibus,& ſingulis partibus ſimul ſic vel aliter diſponendis, ſed ſucceſſiue de ſingulis ſeorſim abſolutè decerneret. Eadem eſt ratio de Duce inſtructe exercitum ad prælium,& de omnibus alijs generaliter, quibus vniuerſalis cura incũbit circa multa quatenus ad vnum aliquid ordinata. Cum igitur Deus ſit eſſentialiter vniuerſale principium rerum omnium quatenùs ordinatarum ad ipſum vt ad vnicum earum omnium vltimum finem; impoſſibile eſt vt ſit, aut concipiatur ſapienter, & ſumma cum perfectione operans, vti decet vniuerſalitatem prouidentiæ ad ſe pertinentis, niſi concipiatur, & reipſa præexiſtat inſtructus imprimis cognitione omnium, & ſingularum rerum poſſibilium quoad omnia & ſingula, quæ conueniunt, tum vnicuique rei ſecundum ſe, tum omnibus copulatiuè, & diſtributiuè inuicem comparatis, tam quoad entitates in genere cauſæ formalis, quam quoad actiones in genere cauſæ efficientis, materialis, & finalis, quoad omnes & ſingulos effectus, ſiue neceſſariò,

ſiue

ſiue contingenter emanabiles ex illis, & emanaturos ſi applicentur ad opus; antequā de vllo ſuo effectu executioni mandando, aut ſuſpendendo abſolutè decernat. Deinde verò non de aliqua parte totius operis priùs determinet, quaſi incertus adhuc animi circa reliquas partes, & expectans aliquod boni de earum directione conſilij adminiculum ex notitia experimentali operis iam peracti, & non ſatis intenſiuè, & extenſiuè; abſolutè & comparatiuè cōſiderati ac comprehenſi, priuſquam perageretur; ſed vnum de toto opere vniuerſale, ſimulque ſpecialiſſimum decretum concipiat, ita in ſe indiuiſum, ſicut eſt vna in ſe, ac indiuiſa ſumma, & vltima ratio decernendi, quæ eſt eius eſſentia omnis expers diſtinctionis in ſe virtualis intrinſecæ, & ſimilis formalitatum ſucceſſionis obiectiuæ.

Qui quidem operandi modus, vti eſt proculdubio decentiſſimus Deo, & quem ex ipſa terminorum apprehenſione pronus & plenus ſponte ſubſequatur aſſenſus ſolidà pietate ſuffultus eximente Deum à modo, & imperfectionibus noſtræ tenuitatis ac limitationis; ita eſt conſtantiſſime retinendus aduerſùs metaphyſicas nonnullas difficultates occurrentes in exacta diuinæ circa res ſingulas prouidentiæ expoſitione, ad quam in diuinis quibuſque myſterijs, & operibus ad vltimas vſque fibras euoluendis non ita ſufficimus, ſicut ſufficimus ad perſpiciendū in vno omnium cumulo ſub conceptu generali, & generico, quod Deum maximè decet. Quæ autem ſunt clariſſima, & luce veritatis placidiſſima, intellectum ad ſe pertrahunt, ijs ſunt præponenda, quæ ſunt obſcuriora, & implicant magis, quàm illuſtrant, ſuntque valentiora ad præcipitandum intellectum

ſolentem ſiſtere gradum, quàm ad eum perducendum ad apicem vſque veritatis. Quare pro myſterio incarnationis, omnibuſque eius motiuis & effectibus in communi & particulari vnicum à fortiori admittendum eſt decretum abſque vlla multiplicitate, & diſtinctione, prioritate & poſterioritate, virtuali intrinſeca formalitatum.

Ad 1. Vt fines operis alicuius diuini ſint inuicem ſeparabiles realiter, quantum eſt ex natura ſua, & ordinati cum reali alterius ad alterum prioritate, & poſterioritate, nō neceſſe eſt, vt de facto detur in Deo multiplex decretum cum virtuali intrinſeca alterius ab altero diſtinctione, & ſubſecutione. Sufficit enim poſſibile Deo fuiſſe decretum aliud diuerſum ab eo quod nunc exiſtit, ſimiliter indiuiſibile, quo vellet alterum ex illis finibus exiſtere, & alterum non exiſtere, vtque decretum de facto exiſtens velit vnum ex illis finibus exercere cauſalitatem reſpectu alterius, non mouendo Deū ad ſuum actum, ſed vel mouendo cauſam ſecundam executiuam talis finis, vel inducendo actione, aut vnione ſui aliquam vtilitatem reſpectu eius finis, cui ipſe ſubordinatur voluntate diuina, vt dicetur diſtinctius ad 4. Quare fines myſterij incarnationis de facto intenti efficaciter à Deo, ſunt quidem inuicem inſeparabiles extrinſecè, vt ſubſunt tali intentioni diuinæ; ſunt tamen ſeparabiles abſolutè, quantum eſt ex ſua natura; Quia potuerunt terminare aliam Dei intentionem indiuiſim proſecutiuam vnius, & excluſiuam aliorum.

Ad 2. Si futurum fuiſſet, vt Chriſtus nollet redimere mundum, hoc vtique præſciuiſſet Deus; & conſequenter vel noluiſſet exiſtentiam Chriſti, vel certè voluiſſet alio

decre-

decreto diuerſo ab eo, quod datur de facto; nempe voluiſſet decreto minimè connexo cum noſtra redemptione. Quare Chriſtus Dominus, omittendo actum meritorium noſtræ redemptionis, potuit impedire, non quidem omne decretum de exiſtentia ſua, bene tamen decretum, quale de facto eſt, intentiuum efficaciter noſtræ redemptionis, & cum ea connexum. Quod autem ita eſt antecedens phyſicè ex parte cauſæ primæ in genere efficientis, vt ſimul ſit impedibile à cauſa ſecunda, ac proinde intentionaliter conſequens ad eius operationem in genere determinantis electiuè, nihil nocet perfectæ indifferentiæ & libertati eiuſdem cauſæ ſecundæ, vtcunque ſit determinatè connexum cum vna parte contradictionis, minimèq; indifferēs ad vtramq; partē vt dic.

Ad 3. Deus vult remiſſionem peccatorum propter merita Chriſti, ly, *propter*, dicente cauſalitatem meritorum in gratiam ſanctificantem, quà remittuntur peccata; non verò ly, *propter*, dicente cauſalitatem in volitionem diuinā remiſſiuam peccatorum; Id eſt, Deus vult merita Chriſti eſſe cauſam infuſionis gratiæ, & remiſſionis paſſiuæ peccati; non tamen id vult volitione cauſatâ per merita. Quia nihil creatum poteſt in vllo genere eſſe cauſa actus diuini; qui videlicet ſecundum ſe totum eſt ens à ſe realiter, nec poteſt ſecundum aliquid ſui ſimul eſſe ab alio. Vt autem velit Deus emanationem remiſſionis ex meritis, neceſſe nequaquam eſt, vt præcedat ſcientia viſionis de meritis iam abſolutè exiſtentibus à parte rei, ſed ſufficit, ſi præcognoſcat, vti certiſſimè præcognoſcit, poſſe ſe voluntate ſua infallibiliter inducere exiſtentiam meritorum & remiſſionis peccatorum, & huius ab illis ema-

nationem : Hac enim præeunte cognitione, poteſt decreto virtualiter intrinſecè indiuiſibili illa tria ſimul velle; & de facto ita voluit propter ſolam ſuam bonitatem, & quia ipſam decet ea ſic velle ac ordinare.

Idem dicitur de voluntate exiſtentiæ Chriſti, & cæterarum vniuerſim rerum omnium creatarum. Nullius namque ex ibſis vt abſolutè in ſe iam exiſtentis viſio dirigit Deum, aut mouet ad rem aliquam peragendam. Nec enim is eſt Deus, qui inſtruatur, aut alliciatur iam factis ad fienda, & conſilium capiat ex euentu priorum ad ſtabilimentum ſubſequentium; ſed antequã quidquam contingentium liberè determinet, circumſpicit omnia per ſcientiam ſibi non liberam; & præſcius omnium euentuũ, qui ex cauſis quibuſuis creatis prouenire poſſunt, prouenientque, ſi adhibeantur, de omnibus ſimul & cauſis & effectibus, & de eorum inter ſe ordine, vt principium formaliter; & non tantum materialiter vniuerſale, perfectè ac indiuiſim decernit; iuxta illud *Sap.* 11. 21. *Omnia in menſura, & numero, & pondere conſtituiſti:* & alia ſimilia permulta, quæ clare continent diſpoſitionẽ de vnoquoque relatiuam, & comparatiuam ad cætera omnia, & ſingula, propriam authoris eſſentialiter vniuerſalis omnium. Falſa igitur eſt illa qualiſcunque anteceſſio, & ſubſecutio decretorum Dei ex parte obiecti ad ſcientiam viſionis de hac vel illa re.

Ad 4. Ita datur ordo cauſalitatis in omni genere, ſiue mutuus, ſiue non mutuus inter res creatas dependẽter à voluntate diuina, eum ordinem volente, & cauſante; vt nullus viciſſim ſimilis ordo cauſalitatis reſultet ex rebus creatis in actus diuinæ voluntatis; Quia Deus omnia vult ex motiuo ſolius ſuæ boni-

bonitatis eminenter ac indiuiſim continente in ſe quælibet alia ſecundum ſe, & ſecundum ordinem eorum ad inuicem. Quare, licet ſit de ratione cauſæ meritoriæ, & finalis, vt non exerceant cauſalitatem in media, & præmia, niſi mediante voluntate efficientis, & præmiantis; non tamen eſt de ratione vtriuſuis, ne exerceant ſuas cauſalitates, niſi mediante actu voluntatis cauſato per ipſa: Hoc enim in Deo non habet locum. Vult itaque Deus præmia homini proponi, vt illis permotus eliciat actus meritorios; & ſiquidem eos elicuerit, eo ipſo præmium exercet cauſalitatem finalem in illos, ſed nō in aliquem actum Dei, qui id voluit ex motiuo alio ſuperiori. Vult rurſus vt præmium v. g. gloriæ conferatur facienti opera digna tali bono, & non conferatur, non facienti; & ſiquidem quis fecerit, & ſic tale bonum obtinuerit, eo ipſo ea opera in id bonum, & in gaudium reſultans ex eo vt habito per proprios actus cauſalitatem meritoriā exercent, licet nullam exerceant cauſalitatem in actū voluntatis Dei præmiantis.

Ex ijs liquet quomodo inuicem ordinentur merita Chriſti, & remiſſio peccatorum abſque vllo ordine obiectiuo inter actus diuinæ voluntatis, ſiue intentiuos, ſiue executiuos, quorum nulla eſt diſtinctio obiectiua, neque etiam virtualis intrinſeca in Deo. Indidem conſtat petentem à Deo aliquid non intendere, certè non debere intendere, neque vllatenus conſequi poſſe, vt petitione ſua, tanquam cauſa actus diuini, inducatur in Deo voluntas dandi, ſed vt res petita inducatur per cauſalitatem impetratoriam petitionis, ad eum modum, quo dictum eſt de merito, dependenter à decreto diuinæ voluntatis iam præexiſtente ad petitio-

nem, eamque ordinante ad rem petitã iuxta illud: *Petite, & accipietis*: Vbi non dicitur: Petite, & ſic facietis me velle, vt accipiatis; ſed præſupponitur iam volens vt accipiamus, ſi petierimus.

Ad 5. Non putaui; Sperabam; Quis credidiſſet? Mea intentio fuit bona, & bonum ex ſe opus; Quì potui euentum in proſperum prædiuinare latentem in alterius arbitrio, cuius receſſus ſoli Deo patent? & his ſimilia, poſſunt eſſe honeſtæ, & ſolidæ defenſiones humani beneficij, maximè præſtiti ab hebete, aut præcipite in agendo ex genio aut caſu, quorum opus magni ſæpè æſtimatur æſtimatione fundata in cõtemptu æquè magno operantis. At beneficium diuinum nec honeſtè poteſt, nec ſolidè ſic defendi: Nec enim Deus vt aſſeratur beneficus in omni opere ſuo, negandus eſt præſcius alicuius euentùs cõſecuturi ad aliquod ſuum opus, aut fingendus aliquam eiuſmodi præſcientiam præoccupare voluntate operandi. Alterum namque horum ignorãtiam; alterum immaturam operandi præcipitantiā adſcribit Deo; vtramque abſurdè, & contrà quàm docet Apoſtolus ad Rom. 9. maximè verſu 18. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*: Cuiuſmodi libera electio miſerationis, & indurationis, dari profectò non poteſt, quin voluntatem diuinam quatenùs præparatiuam humanæ præeat cognitio de effectu miſerationis ſpecialis, & de duritie, ſubſecuturis ad vnumquemque præparationis modum. Igitur nec ex defectu præſcientiæ euentùs, nec ex determinatione diuinæ voluntatis præoccupante eam ſcientiam, peti poteſt defenſio beneficientiæ diuinæ in conferendis auxilijs, & remedijs, quæ euadunt inefficacia. Certè Deus

ex neutro horum capite ſe quoad hoc punctum tuetur; ſed quia ita præſtat, quæ non debet, vt nihil neget eorum, quæ deinde debet conferre. Hinc enim ſe oſtendit beneficum cultorem arbitrij creati, & iuſtum ſterilitatis exprobratorem ac vindicē Iſa. 5. interponens beneficio ac vindictæ argumētum vtriuſque, dum clamat verſu 4. *Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* Videri etiam poteſt ſimilis defenſio efficax beneficentiæ Dei reſpectu peccatoris, Eccleſiaſtici 15 maximè à verſu 11.

Dicendum itaque eſt cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 165. art. 1 ad 2. vbi clarè ponit Deum præſcium euentûs etiam mali ſubſecuturi ex noſtra voluntate ſic vel ſic diſpoſita in actu primo, antequam abſolutè determinet eundem actum primum ponere à parte rei; Dicendum, inquam, eſt Deum, non obſtante eà præſcientia, eſſe beneficum; Quia imprimis, quod ipſe dat, eſt ſecundum ſe bonum, & eatenus eligibile prudenter ab eo, cui datur; & dat cum voluntate ſimiliter bona, quantum eſt ex ſe. Deinde non tenetur ad dandum aliquid melius, quo præcaueatur malum, quod inde prouenire poteſt, proueniet que de facto; Ita tenetur vt author vniuerſalis ad dandum id quod dat, vel aliquid minus, non obſtante abuſu accipientis. Debetur enim homini ex ſua natura, facta ſuppoſitione gratuita ſuæ exiſtentiæ, libertas ad bene & malè agendum, vtque *relinquatur in manu conſilij ſui, appoſitis ante ipſum igne & aquâ; vita & morte*, vt habetur in citato Eccleſiaſtici loco; Idque ei deberi non poſſet, ſi Deus deberet ſemper cum infallibilitate impedire omne eius peccatum. Denique ſcientia, & voluntas Dei, quibus confertur auxilium, vel remedium, quod

euadit

euadit inefficax habent connexionem cum inefficacia & peccato hominis, præcisè quatenus ſunt conſequenter ad liberam electionem, & abuſum eiuſdem hominis, vt colligitur ex dictis ad 2. Ac proinde tale auxilium, vel remedium, vt ſubſunt tali ſcientiæ & voluntati diuinæ, habent ineligibilitatem reſpectu accipientis præcisè ratione ſui abuſus, & aliorum, quod ad abuſum conſequitur. Quod profectò non eſt id eſſe ineligibile quod datur ſiue ſecundum ſe, ſiue vt ſubeſt cognitioni, & voluntati conferentis, quatenus antecedenti; ſed eſſe ineligibilem coniunctionem eorum cum eo, quod prætereà ſuperaddit liberè accipiens. Licet enim non ſit liberum homini, vt tale quoad entitatem auxilium, vel remedium abſolutè à Deo accipiat, vel non accipiat; eſt tamen eidem liberum & ad liberam ipſius electionem eſſentialiter conſequens, vt non niſi dependenter à ſcientia & voluntate diuina connexa cum ſuo peccato & euentu improſpero conferatur.

Eſt autem proculdubio beneficus, qui dat aliquid ex ſe bonum, cum voluntate ſimiliter bona, quantum ad ipſum ſpectat, vtpote impellente ad bonum vſum per conſilium, aut præceptum, & per promiſſionem præmij, atque ſupplicij comminationem; tametſi poſtea ſubſequatur ex libera electione accipientis malus & noxius vſus, ad cuius impeditionem non teneatur, ſed potiùs teneatur ad eius permiſſionem, qui dedit tale bonum; nec enim, qui accipit rem aliquam, poteſt nocere beneficientiæ dantis ratione ſui abuſus, & eorum, quæ ad eum abuſum conſequuntur; ſi quidem ad horum impeditionem efficacem non tenetur, qui talem rem dedit, ſed potiùs tenetur ad permiſ-

miſſionem abuſus; nec poteſt eo permiſſo vitare conſecutionem cæterorum vtcunque ineligibilium formaliter reſpectu accipientis; quia nihilominùs ſunt eligibilia prudẽter ab ipſo omnia antecedẽtia quatenus ſũt ſimpliciter antecedentia, & ab eo inimpedibilia. Potuit igitur hac ratione decretum incarnationis eſſe beneficium reſpectu omnium & ſingulorum hominum abſq; vlla ſui multiplicatione virtuali, intrinſeca.

Difficultatem in hac re pariunt noſtræ apprehenſioni aduerſus plenum aſſenſum conſpicuæ veritatis. Primò quòd omnis noſtra naturaliter poſſibilis præcognitio abuſus liberi futuri eſt omninò antecedens, nec impedibilis ab accipiente rem, quam illi damus quatenus libero ad eius vſum. Secundò quod ſumus cauſæ particulares inuicem obligatæ, vel lege, vel ſaltem conſilio ad mutuum iuuamen, quantum poſſumus, pro vitandis peccatis, & ad non exhibendas alijs res, noſtramque cooperationem cum indifferentia ex parte noſtra ad vſum bonũ & malum; atque intellectus his ſibi præſentibus aſſuetus, eorumque ſpeciebus imbutus, difficulter emergit ad cognoſcendum amplectendumque plene diſcrimen aſſignatum ex parte Dei maximum quoad vtrumq. punctum.

Ad 5. Intendens aliquem finem non ſolùm non tenetur eo ipſo ad volendum requiſita, quæ videt iam abſolutè exiſtentia; ſed neque ad illa volenda eo ipſo tenetur, quæ præuidet aliunde eſſe extitura, ipſo etiam non volente, nec intendente, aut vllo modo cooperãte ad exiſtentiam eorum: Immò eodem etiam retinente vel maximè. quia hoc præuideri non poteſt, quin ſimul cognoſcatur ad conſecutionem finis non

eſſe

eſſe neceſſariam vllã volitionem illum intendentis circa talia requiſita. Finis autem non mouet, nec intentione & amore ſui ad quidquam determinat non neceſſarium; nec conferens vt ipſe obtineatur. Ergò neque mouet, aut determinat ad volitionem non neceſſariam eorum, quæ neceſſaria sũt, ſi præuideantur extitura dependenter à ſola alterius voluntate. Deus autem, antequã decernat remedium peccatorum, ſine quibus ipſum exiſtere, ac operari nequit, licet non præuideat peccata vt iam exiſtentia abſolutè; præuidet tamen extitura ſola hominum voluntate, ipſo illa minime volente, ſed potiùs renitente, multipliciter conante, nefiant; quia peccato eſt eſſentiale vt hoc modo exiſtat; atque à Deo præuidetur extiturum tam conditionatè, quàm abſolutè, ſicut reipſa exiſtet. Ergò Deus nullam ſubit neceſſitatem, aut determinationem volendi, aut non diſſuadendi, ac prohibendi ſeriò peccata ob decretum de eorum remedio, & de Chriſto vt redemptore, antecedens quidem ad præuiſionem abſolutam, ſed conſequens ad ſcientiam conditionatam eorumdem vt futurorum modo dicto.

QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

Vtrum decretum præſens incarnationis poſſit per abſolutam exiſtentiam ſui eſſe futuritio conditionata alterius ſimilis, vel oppoſiti decreti pro alio rerum ſtatu, & circumſtantijs.

VIDETVR non poſſe. 1. Quia Deus pro alio rerũ creatarum ſtatu, & circumſtantijs habuiſſet aliam libertatem, aliamque facultatem indifferentem eligendi inter ea, inter quæ eligere de facto non potuit quia illa non aderant. Ergò ſicut de facto eligit, vt liberè libuit, circa ea, quæ aderant independenter ab eo, quod acturus fuiſſet pro alio rerum ſtatu: ita pro eodem illo alio rerum ſtatu egiſſet liberè, vt libuiſſet independenter ab eo quod egit de facto; ac proinde neutrnm ex his comparationis extremis omnino inuicem independentibus poteſt fundarẽ conditionatã alterius futuritionẽm. Nempe idem agens liberum quatenus præditum diuerſis indifferentijs proximis perinde ſecum ipſo comparatur, atque comparantur inter ſe duo agentia libera realiter & adæquatè inter ſe diſtincta, quorum neutrum poteſt vlla ſua libera electione fundare aut conſtituere futuritionem conditionatam circa talem vel talem determinatam liberam electionem alterius.

2. Veri-

2. Veritas conditionata non desinit accedente conditione, & veritate abſoluta eiuſdem euentûs, & neutra poteſt habere incompoſſibilitatem cum altera. Ergò nec fundamentum veritatis conditionatæ poteſt eſſe incompoſſibile cum fundamento veritatis abſolutæ circa eundem euentum; nec poteſt alterutrum definere ob acceſsū alterius. Decretum autem præſens incarnationis eſt incompoſſibile cum quouis decreto extituro pro alijs circumſtantijs, vt liquet ex quæſt. ſuperiori. Ergò decretum præſens non poteſt fundare veritatem, ſeu futuritionem conditionatam vllius alteriùs decreti pro alijs circumſtantijs.

3. Deus ante omnem liberam ſuam determinationem abſolute exiſtentem, habet ſcientiam conditionatam de omnibus & ſingulis ſuis decretis concipiendis pro quouis rerum creatarum ſtatu, & circumſtantijs, eàdem ſanè ratione, quà ſimilem ſcientiam habet de noſtris actibus pro quauis opportunitate futuris, ante abſolutam vllius ex illis exiſtentiam. Ergò nullius decreti liberi diuini futuritio cōditionata poteſt fundari in aliquo alio decreto quatenùs abſolutè exiſtente; vt pote præexiſtens iam ante ipſum.

R. Deficiente fine vel operis, vel operantis, neceſſe eſt deficere operationem, vtcunque cætera ſe habeant. Quia impoſſibile eſt operantem propter finem aliunde determinari ad opus, quàm à fine ſibi præfixo: Et ſimiliter eſt impoſſibile operationem dirigi ad finem eius, non ſubſiſtentem in præuia cognitione operantis. Ita neceſſe eſt intendentem remedium pro ſanatione ſerui, quia hoc placet eius domino, ceſſare, cùm primùm innotuerit, vel id non placere

domino,

domino, vel ſanationem non eſſe obtinendam. E conuerſo dum perſeuerat finis, tū operantis, tum operis, vtcunque res cæteræ varientur, non propterea ceſſat, aut variatur intentio operantis, ceſſatue operatio. Quia vnuſquiſque effectus dependet in eſſe, & conſeruari à ſua cauſa, & non ab alijs, quæ non habent rationem cauſæ. In Deo nequit deficere aut variari finis operantis. Quia rationem talis finis non habet reſpectu Dei, niſi ſolus ipſe Deus; ideòque ex hoc capite eius intentio nec deficere, nec variari vnquam poteſt. Ceſſare tamen poſſunt, & multipliciter variari fines particulares cuiuſque operis diuini; quia eiuſmodi fines ſunt creaturæ, in quas cadit defectus, & multiplex variatio; & conſequenter ex hoc capite poſſunt deficere, & variari intentio & operatio diuina.

Repugnat enimverò, vt intentio diuina deficiat ex ſuppoſitione quòd ſemel exiſtat; ac proinde variationem ſucceſſiuæ viciſſitudinis nullam ſubire poteſt, ſicut in nobis contingit, vtcunque res creatæ, circa quas illa verſatur, varientur ſucceſſiuè. Vnde conſequitur ex defectu, & variatione rei creatæ, ad quam, vt ad ſuum finem particularem, aliqua Dei operatio exterior ordinatur, solùm fieri poſſe, vt Intentio, quæ de facto datur in Deo, abſolutè non daretur in ipſo, ſed alia diuerſa loco eius exiſteret. Iam quòd talis determinata operatio diuina exterior ad talem determinatum finem ordinetur de facto, prouenit ex intentione diuina de facto exiſtente; quæ videlicet rebus omnibus creatis ordinem omnem imponit, quem ſeruant inter ſe. Vnde rurſus conſequitur intentionem diuinam abſolutè exiſtentem de facto habere ſecum identitatem

iden-

identificatam conditionatam non futuritionem ſui, & conditionatam futuritionem alterius intentionis ex ſuppoſitione quòd deſeciſſet finis de facto præfixus à Deo alicui ſuæ operationi exteriori, quam executus eſt de facto.

Hac ratione Doctores, licet diſcrepent circa aduentum Chriſti ſecundum ſe futurum, vel non futurum Adamo non peccante, quia diſcrepant circa finem incarnationis ſecundum ſe; in hoc nihilominùs vnanimiter conueniunt, vt dicant Paſſionem Chriſti futuram non fuiſſe, ac proinde nec diuinam de illa intẽtionem fuiſſe futuram, ſed aliam incompoſſibilem cum illa, ſi peccatum non extitiſſet; quia conueniunt finẽ paſſionis fuiſſe remedium peccati. Eadem eſt retrograda ratio de paſſibilitate, deque tota ſerie cauſarum & circumſtantiarum ordinata mediatè, vel immediatè ad generationem Chriſti vt paſſibilis, non futuris ex eadem ſuppoſitione. Videtur igitur res indubitata inter Theologos, quæ diſcurſu ſuperiori concluſa eſt, Conuenitur enim de defectu & exiſtentia cõditionatis intentionum diuinarum, vbi conuenitur de finibus operationum à Deo intentis: & ibi tantũ de illis diffidetur, vbi controuertitur de iſtis.

Quapropter ſi nobis per reuelationem diuinam, vel diſcurſum naturalem innoteſcere poſſet vniuerſaliter ordo vniuſcuiuſq, rei creatæ exiſtentis de facto ad aliam rem creatam vt ad finem ſuum; ſicut innotuit ex diuina reuelatione, & ex natura rei, ordo paſſionis Chriſti ad remedium peccati: poſſemus vtique vniuerſaliter conijcere, & certò aſſeuerare defecturã fuiſſe intentionẽ diuinam, quæ de facto datur circa talẽ vel talem rẽ creatã, quæ habet rationẽ medij, ſi de-

ſi defeciſſet alia talis vel talis creata res habens rationem finis, ſiue hæc penderet à ſola voluntate diuina, ſiue etiam à voluntate creata mediatè, vel immediatè. Sicut in particulari conijcimus, & certò aſſeueramus, defecturam fuiſſe intentionem diuinam de paſſione Chriſti & de alijs, quæ ad illam ordinata ſunt, ſi defeciſſet peccatum, & conſequenter remedium peccati redditum fuiſſet impoſſibile. Sed nos notitiam eiuſmodi vniuerſaliter habere non poſſumus; ac proinde neque cognitionem conditionatam de futuritione, & non futuritione omnium intentionum diuinarum; quia nec naturas, & ordinem rerum omnium comprehendimus naturaliter, nec Deus de ſua circa omnia, & ſingula, intentione, & ordinatione docere nos voluit per reuelationem ſupernaturalem.

Certum nihilominùs eſt Deum res omnes alias, & ſingulas continuatâ ſerie mediorum & finium non ſecùs inter ſe ordinaſſe vſque ad vltimũ finem creatum perfectionis vniuerſi, & beatitudinis Electorũ; atq; ordinauit paſſibilitatem, & paſſionem Chriſti ad remedium peccati. Omnia enim & ſingula æqualiter ſubſunt prouidentiæ Dei, quæ eſt ordinatio mediorum ad finem. Vnde ſicut in decreto ſuo libero exiſtenti de factó cognoſcit ſe minimè decreturum fuiſſe paſſionem & paſſibilitatẽ Chriſti, ſi ante omne ſuum decretum liberum non præcognouiſſet futuritionem peccati Adami, vti contingit de facto; Ita etiam in eodem decreto cognoſcit de omnibus & ſingulis alijs ſimiliter ordinatis ad fines ſimiliter pendentes mediatè, vel immediatè à libero arbitrio creato ſe illa decreturũ nõ fuiſſe, nec iſtos intenturum efficaciter, vel

ex toto, vel ex parte, ſi alium ſtatum rerſi, & circumſtantiarum pendentium à libero arbitrio creato, præcognouiſſet conditionatè futurum, vel ex toto, vel ex parte, antequam quidquam abſolutè decerneret. Igitur decretum liberum Dei abſolutè nunc exiſtens per ſe ipſum, eſt non futuritio conditionata ſui, & conditionata futuritio alterius decreti pro alio rerum ſtatu, aliiſque circumſtantijs, & iuxta ſingulas, vel minimas earum varietates poſſibiles præcognoſci per ſcientiam mediam comprehenſiuam euentuum pendentium ab vnoquoque arbitrio libero creato ſub vna qualibet conditione; Ex quo ſolùm capite potuit apparere Deo diuerſa rerum facies ab ea, quæ de facto apparuit, antequam liberè quidquam decerneret.

Ad 1. Cuilibet principio libero, ſed maximè Deo, conuenit indifferentia, vt abſolutè velit aut nolit talem vel talem finem determinatum, & ordinem talis medij ad illum. Cæterùm nulla conuenit indifferentia preterea ſpecialis, vt fine, & ordine medij ad finem, exiſtentibus iiſdem, & eodem modo, diuerſimodè nihilominùs determinetur propter diuerſitatem aliarum rerum, aut circũſtantiarum impertinenter ſe habentium; Vel etiam, vt vice verſa electionem faciat eandem exiſtente variatione ex parte finis, aut ordinis medij ad finem, vt conſtat ex ratione data] in principio reſponſionis ad quæſtionem. Quare vnum & idem principium liberum, prædictum diuerſis requiſitis, non æquiualet, quoad hoc punctum, duobus principijs liberis realiter inter ſe diſtinctis; Quia principia realiter diſtincta, ſiue iiſdem, ſiue diuerſis prerequiſitis præuenta, poſſunt oppoſitis finibus ſimul adhærere; & oppoſitas

ſitas electiones elicere pro eodem in ſtanti, ac proinde oppoſitas vnumquodque reſpectu ſui futuritiones conditionatas electionũ fundare poteſt, vtrolibet reſpectu alterius ſe habente per accidens; id quod in principio realiter eodem euenire nequaquam poteſt, vt patet.

Ad 2. Veritas conditionata alicuius euẽtùs poteſt coniungi cum veritate abſoluta eiuſdem, quando cognitio veritatis conditionatæ eſt practica reſpectu euentùs conditionatè præcogniti, & cauſatiua ipſius pro ſtatu abſoluto, nec fundatur in exercitio libertatis poſito iam abſolutè à parte rei, qualis eſt cognitio diuina de actibus noſtris conditionatè futuris. At quando cognitio veritatis conditionatæ eſt purè ſpeculatiua, & fundatur, aut quaſi fundatur in exercitio libertatis iam poſito abſolutè à parte rei, non eſt neceſſe, vt ſit compoſſibilis ea veritas cõditionata cum veritate abſoluta eiuſdem euentùs; Idemque dicitur de fundamentis vtriuſque veritatis. Quia exercitium libertatis iam poſitum abſolute a parte rei ſeipſo formaliter determinat ſuum principium ad carentiam abſolutam oppoſiti exercitij, & poteſt eiuſdem cognitionem conditionatam fundare modo, quo dictum eſt. Huius autem poſterioris generis eſt veritas conditionata, quam continet in ſe decretũ præſens Dei circa decretum ſibi oppoſitum.

Ad 3. In quouis principio indifferenti ad duo extrema, & electiuo inter illa, oportet vt prima determinatio ad alterutrum eorum intrinſeca eidem principio ſit electio libera talis extremi. Alias principium iam in ſe intrinſece determinatum ad vnum eſſet adhuc indifferens ad eligendum inter vnum illud, & aliquid aliud, quod manifeſte repugnat.

pugnat. Si autem Deus haberet ſcientiam de vno quolibet ſuo decreto ſub conditione futuro, antequàm quidquam liberè decerneret, iam accedente ea conditione eſſet intrinſecè in ſe determinatus ad vnam partem; ac proinde nulla omninò eſſent extrema, inter quæ poſſet vnquam liberè eligere. Igitur Deus tantum in decreto ſuo libero iã abſolutè exiſtenti, reliquorum decretorum, quæ non exiſtunt, futuritionem conditionatam cognoſcere poteſt. De noſtris actibus liberis alia eſt ratio; Quia ſcientia diuina conditionata de illis non inhæret nobis intrinſecè, nec per ſe ipſam formaliter habet vim determinandi arbitrium noſtrum ad vnam partem accedente conditione.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum Deus fuiſſet incarnatus, tametſi homo non peccaſſet?

VIDETVR quòd non. 1. Quia ceſſante fine operis ceſſat opus, vt nuper dictum eſt; Finis autem incarnationis Dei vnicè nobis propoſitus in ſacris litteris eſt remedium peccati, vt conſtat ex teſtimonijs productis quæſt. 13. in primo argumento. Nec de ratione & fine diuinæ voluntatis gratuitæ, operantis ſupra facultatem, ac exigentiam naturæ, aliunde nobis conſtare poteſt, quàm ex diuina reuelatione. Ergo remoto peccati remedio, cui nullus eſſet locus homine non peccante, remotum fuiſſet opus incarnationis.

2. Hic videtur ſenſus communis Eccleſiæ; Quia in hymno eius antiquo canitur B. Virgini : *Non abhorres peccatores, ſine quibus nunquam fores tanto digna filio*. Et in benedictione cerei paſchalis dicitur : *O neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt : O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*. In quibus clarè quaſi plauditur peccato, vt vnicæ ac neceſſariæ occaſioni exiſtentiæ Chriſti.

3. D. Auguſtinus ſerm. 8. de verbis Apoſtoli : *Si homo*, ait, *non periſſet, filius hominis non veniſſet* : & ſerm. proxime ſequenti : *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere* : & tractat. 49. in Ioan. *Si peccatores Deus non amaret, de cœlo ad terram non deſcenderet* : & concione 2. in pſalm. 36. *Si tu ò homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo*. Similes conditionales negatiuas, quæ ſunt efficaciſſimæ, & vniuerſaliſſimæ ſignificationis efferunt, Gregorius Magnus, Cyrillus Alexandrinus, Ambroſius, Athanaſius, Irenæus, Origenes, & alij apud Vaſquez. Subſcribit D. Thomas ſcholaſticè locutus, ideòque omni interpretationi aditum præcludens, dum dicit in præſenti quæſt. 1. art. 3. *Quorum* (negantium incarnationem filij Dei homine non peccante) *aſſertioni magis aſſentiendum videtur*.

4. Congruum eſt credere, quòd filius Dei non fuiſſet mittendus in carne, niſi in opportunitate ſuæ exaltationis ſuper omnia, vtque haberet nomen ſuper omne nomen ; Quia hoc ſumma eius dignitas poſtulabat. Neutrum autem habuiſſet ſecluſo peccato. Quia ſecluſo peccato non ſubijſſet mortem, per quam vtrumque eſt aſſecutus, iuxta illud ad Philipp. 2. 8. *Factus obediens vſque ad*

Digitized by Google

mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.

Sed contra eſt. 1. Quia qui ſapiẽter operatur, priùs determinat de fine, & deinde de ijs, quæ ſunt ad finem. Sed Chriſtus intentus eſt à Deo, vt finis cæterorum omniũ infra ipſum Deum; Tum quia in voluntate bene ordinata id habet rationẽ finis, quod eſt melius; Tum quia id clarè colligitur ex Apoſtolo ſuperiùs expenſo 1. ad Corinth. 3. 22. exque alijs Scripturæ locis commendantibus primatum, & excellentiam Chriſti; & conſtat ex quæſt. 13. Ergo Deus decreuit priùs exiſtentiam Chriſti, quàm cuiuſquam alterius rei; ac proinde illa fuit à cæteris omnibus rebus independens, maximè verò à peccato, cuius permiſſio ſequitur poſtremo loco in ordine decretorum Dei, ſolamque antecedit voluntatem inflictiuam pœnæ, ac reprobatiuam.

2. Si incarnatio Verbi futura non fuiſſet Adam non peccante, Chriſtus deberet imprimis acceptam referre eius peccato exiſtentiam ſuam: Deinde non poſſet de ea gaudere abſque complacentia, vel certè cum diſplicentia peccati, à quo penderet quoad ſuum eſſe ſibi neceſſariò placens, & volitum efficaciter: Fuiſſet præterea filius Dei inferioris cõditionis præ omnibus alijs filijs; vtpote non per ſe intentus, ſed habẽs rationem boni occaſionati. Sicut pœna peccati, & pœnitentia; Ac demum homo Deus pependiſſet multò magis à puro homine, quàm è conuerſo. Quia dependentia quoad eſſe, maximè verò quoad eſſe hominis Dei, præeminet omnibus alijs dependẽtijs; quæ omnia ſunt abſurda, & repugnant dignitati Chriſti, ac dilectioni Dei erga ipſum

ipſum, vſque adeò magnificè prædicatis in ſcripturis.

3. Non peccante Adamo manſiſſent nihilominùs dona ſupernaturalia purè creata, quæ nimirum ablata illi ſunt & nobis in pœnam peccati. Ea autem dona connectuntur cum Chriſto ex natura rei, ſicut effectus ſublunares cum influentia cæleſti; proprietates accidentales cum ſua ſubſtantia; palmites cũ vite, &c. quorum inter ſe ſeparatio eſt valde incredibilis. Ergo manſiſſet etiam Chriſtus.

R, *hæc quæſtio non eſt magnæ authoritatis. Quia Deus ordinauit facienda ſecundum quod res ipſa facienda erant, & neſcimus quid ordinaſſet, ſi non præſciuiſſet peccatum*; quæ ſunt verba D. Thomæ 1. ad Tim. 1. lectione 4. Idem de veritate quæſt. 29. art. 4. ad 3. loquitur de iſta quæſtione ſicut de re apud ipſum prorſus incerta: Et in 3. diſt. & quæſt. 1. ad 3. reſpondet argumentis vtriuſque partis defendens problematicè ſententiam affirmantem, & negantem. Quod quidem videtur rationabiliter factum; quia pro neutra parte apparet argumentum conuincens.

Ad 1. enim partis negantis conceditur in ſacris litteris frequenter proponi ſolum remedium peccati vt finem incarnationis. Verum quia affirmatio vnius compoſſibilis cum alio non continet in ſe huius alius negationem; atque intentio remedij peccati non eſt ex ſua natura incompoſſibilis cum intentione aliorum præterea finium, non ſatis colligitur ex illis teſtimonijs non adfuiſſe aliud præterea motiuum ſuffecturum ſe ſolo ad exiſtentiam incarnationis. Deinde in eadem illa quæſt. 13. innotuit colligi ex ſacris litteris, remedium peccati non fuiſſe vnicum, nec abſolutè & ſimpliciter præci-

purum finem incarnationis. Denique ibidem notatum & oſtenſum eſt, in ipſo remedio peccati poſitiuam donorum ſupernaturalium infuſionem præeminere excluſioni peccati, & habere rationem finis magis intenti; nec ea dona, eorundemque cauſam Chriſtum Dominum ita comparari cum peccato, ſicut medicus, & medicamenta infirmitatum corporalium comparantur cum ijſdem: Hæc enim, amotis ex genere humano infirmitatibus, nullius forent æſtimabilitatis, ac amabilitatis; quod de Chriſto, & de effectibus gratiæ ex eo manantibus dici nequaquam poteſt amoto peccato; cum quo videlicet comparantur potiùs vt ipſa formalis ſanitas poſitiua, & cauſa huius ſanitatis, æſtimabiles vtique & amabiles per ſe, ac ratione ſui præcisè, & non vt purum medium.

Ad 2. Eccleſiaſticus ille ſermo manifeſtè inſtituitur de Chriſto vt paſſibili, & mortali & afferente remedium generi humano per paſſionem, & mortem; Nec enim Chriſtus exiſtens impaſſibilis pateretur anguſtias, ac detentionem vteri materni, aut ex corpore paſſibili materiam, & diſpoſitionem ſui corporis deduceret. Multò verò minus eſt, aut dicitur neceſſarium peccatum ad qualemcunque vitam Chriſti, ſed ad eius mortem; Nec felicitas ſpecialis ac propria peccati eſt, vt ſit occaſio præſeruatoris, & authoris gratiæ, & gloriæ ſecundum ſe; ſed, vt ſit occaſio Redemptoris, ac redemptionis. Eſt autem extra controuerſiam Chriſtum non fuiſſe venturum paſſibilem, & mortalem ſecluſo peccato; Solùmque in ſcholis inſtituitur quæſtio de aduentu eius impaſſibilis ac glorioſi.

Ad 3. Propoſitiones negatiuæ ſunt quidẽ apud Scholaſticos vniuerſaliſſimæ ſignifica-

ctionis cum diſtributione vnaquaque perfe-
cta, & excludunt ſaltem vt plurimum totum
prædicatum ex toto ſubiecto etiam ſecundũ
quamcumque præciſionem: At in ſtylo dog-
matico, & apud Patres, frequenter ab eo
rigore deficiunt, & limitantur ad certum,
quēdam ſenſum determinatum ex contextu
& ſcopo totius ſermonis; idque accidit in
præſenti. Quia Patres agunt de aduentu
Chriſti, qualis de facto fuit, nimirum in car-
ne paſſibili, & ad redimendum nos per cru-
cem & mortem, idque vt ingenerent apud
fideles eximium gratitudinis affectum erga
paſſionem Chriſti, & effuſionem ſanguinis
eius, & amorem Dei eatenus miſericordem
reſpectu noſtri. Quæ duo patebunt clariſ-
ſime ipſos legenti. Quare propoſitiones illæ
Auguſtini, aliæque ſimiles aliorum Patrum,
licet diuulſæ à contextu, & ſcholaſticæ diſ-
putationi intermixtæ, videantur excludere
aduentum Chriſti, tam impaſſibilis, quàm
paſſibilis ex ſuppoſitione hominis non pec-
cantis, & amplecti ſenſum etiam præciſiuum
aduentus Chriſti ſecundum ſubſtantiam ab
aduentu eiuſdem qualis de facto fuit; acci-
piendæ tamen ſunt de aduētu Chriſti præ-
ciſè vt paſſibilis, & qualis de facto fuit. Quia
iſtam reſtrictionem omninò ſibi vindicant
ſcopus, & reliquus contextus. Idem ex eo
præterea colligitur; quia D. Auguſtinus, &
alij Patres efferunt eas enunciationes tan-
quam certiſſimas, & ad dogma fidei omninò
aut proximè pertinentes; Cuius tamen
tantæ aſſeuerationis fundamentum ſufficiens
non apparet in ſacris litteris; Multò verò
minùs in natura ipſa rei, niſi iuxta ſenſum
explicatum. Argumento quoque eſt haud
debili D. Thomam, & D. Bonauenturam,
Alexandrum de Ales, Albertum Magnum,

Digitized by Google

& Scotum in Patribus, præſertim Auguſtino, intimè verſatos, & eorum vbique reuerentiſſimos, propoſitis ijs teſtimonijs, in quibus verſamur, priores quidem duos probabilem, reliquos verò probabiliorem etiã, & abſolutè veram dixiſſe nihilominùs ſententiam affirmantem. Quod profectò auſi non fuiſſent dicere, niſi vidiſſent magno cũ fundamento eum ſenſum ijs Patribus accommodari, qui accommodatus modo eſt. Poſtremò nihil eſt notius in ſacra pagina, quã dona gratiæ, & remiſſionem peccatorum datas eſſe hominibus ſolùm propter merita Chriſti; eſtque proinde communis ſauctorũ patrum, & cæterorum fidelium aſſertio, quòd humanum genus non fuiſſet liberatum à peccato, ſi Deus non fuiſſet incarnatus & mortuus pro illo; At nominatim Auguſtinus lib. 13. de Trin. cap. 18. ante finem: *Hæc tanta Dei dona*, ait, *& ſiqua alia ſunt &c. niſi verbum caro fieret, nulla eſſent*: Et nihilominùs licuit dicere D. Thomæ hic quæſt. 24. art. 4. ad 3. *Si Chriſtus non fuiſſet incarnatus, Deus præordinaſſet homines ſaluari per aliam cauſam*. Ergo licet a fortiori dicere ſimiliter è conuerſo in re noſtra. Quod ad authoritatem D. Thomæ attinet plane incapacem interpretationis, reſpondetur, quòd idem S. Doctor 1. p. quæſt. 100 art. 2. ad 2. reſpondet ad quandam authoritatem D. Anſelmi; Cùm enim eum ſibi obieciſſet: *Dicendum*, ait, *quòd Anſelmus hoc non dicit aſſerendo, ſed opinando*. Huic reſponſioni dat aditum modus ille loquendi D. Thomæ, præſertim coniunctus cum alijs eius locis iam citatis.

Ad 4. Chriſtus Dominus fuit indifferens, vt obediret, vel nõ obediret vſque ad mortem crucis; & tamen non fuit indifferens, vt haberet,

habeaet, vel non haberet dignitatem, & nomen ſupra omnem puram creaturā. Quia hoc ſibi neceſſariò inerat ratione ſuæ perſonæ. Quare non accepit in præmium obedientiæ, & mortis exaltationem,& ſupremā nominis alicuius prærogatiuam quoad ſubſtantiam, ſed quoad aliquam ſpecialitatem, maioremque notitiam ac celebritatem, & dilectionem communem; quæ eſt communis interpretatio eius loci. Exiſtere autem potuit abſque eiuſmodi ſpecialitate accidētali.

Ad 1. partis affirmantis. Falsò imprimis ſupponitur ordo ille obiectiuus decretorum Dei, vt conſtat ex quæſt. 15. eademque falſa ſuppoſitione laborant, qui ex reuelatione incarnationis Verbi diuini facta Adamo, & Angelis ante peccatum, inferunt decretum Dei de ſubſtantia incarnationis indifferens ex ſe ad decretum aliud poſterius de paſſibilitate, & remedio peccati; cùm ſolùm inde inferatur, vt aduertit D. Thomas hîc art. 3 ad 5. atque cit. quæſt. 1. art. 3. ad 7. reuelationem eam paſſiuam, & cognitionem ex ea ſubortam fuiſſe de ſubſtantia incarnationis ſecundum ſe indifferentem, ex ſe intrinſecè ad peccatum, & eius remedium; tametſi dependeret a decreto connexo intrinſecè cum vtroque: Nec enim neceſſe eſt Deum, dum reuelat aliquem ſuum effectum futurum, ſimul reuelare cauſam eius, & finem iam ab ipſo ſimul prædefinitum. Deinde etiamſi ex ſuppoſitione exiſtentiæ Chriſti ipſi debeatur, vt ſit finis cæterorum, vtque exiſtat gratia ſui; tamen quia ei non debetur, vt ſit purus finis, vtque ad nullum alium finem ordinetur; immò de facto ſit ad alium præterea finem ordinatus; neque hoc repugnet ſapientiæ, & perfectioni di-

Digitized by Google

uinæ : incertum redditur, an deficiente hoc alio fine, manſurus nihilominùs fuiſſet idem effectus incarnationis quoad ſubſtantiam. Quia videlicet incertum eſt, an hic alius finis præfixus ſit Chriſto præcisè vt coniunctò cum paſſibilitate an etiam quoad ſubſtantiam, & quoad omnia ſua cætera bona, atque proprietates.

Ad 2. Tametſi Chriſtus non fuiſſet exiturus non exiſtente peccato, non propterea deberet acceptam ferre peccato exiſtentiam ſuam, ſed ſoli benignitati, & potētiæ diuinæ elicienti bonum ex malo, & ſuperanti reſiſtentiam peccati aduerſus beneficia Dei; Quia peccatum nōn fuit cauſa incarnationis, ſed occaſio tantùm, eàque non tam data quàm accepta; vtpote renitens, quantum eſt ex ſe, tali effectui. Eadem ratione conſequens nequaquam eſt, vt deberet Chriſto placere, aut non diſplicere peccatum; quia cui placet effectus, ſolùm neceſſe eſt vt placeat, ac non diſpliceat eius cauſa; nō verò occaſio, quæ de ſe ſit potiùs impeditiua eiuſdem. Rurſus non foret Chriſtus deterioris abſolutè conditionis præ alijs filijs; quia licet fuerit efficaciter dilectus occaſione peccati, non ita diligendus ſecluſo peccato; tamen, eo ſuppoſito, fuit dilectus præ omnibus alijs cum exceſſu infinito; nec fuit volitus vt purum remediū, aut vt bonum purè occaſionatum; ſed magis principaliter ratione ſui, vt dictum eſt quæſt. 13. Demum non foret maior, ſed multò minor dependentia Chriſti à puro homine, quàm è conuerſo; quia puri homines dependerent nihilominùs, tanquam a cauſa beatitudinis eorum, & omnium donorum conferentium ad illam; cùm Chriſtus à puro homine penderet ſolùm tanquam ab

exhi-

exhibente occaſionẽ, eamq; ue ex ſe contradicentem tanto bono.

Ad 2. Non eſt inconueniens ſi dicatur Deum, ſicut exiſtente peccato fecit miraculorum omnium maximum aſſumendo carnem, vt ſubueniret maximæ humani generis neceſſitati, ac miſeriæ: ita non exiſtente peccato facturum fuiſſe aliud miraculum minus, vt ſubueniret minori neceſſitati ac miſeriæ, dando hominibus dona ſupernaturalia, quin exiſteret Christus, qui eſt immediatum connaturale eorum principium. Ob hæc igitur omnia abſolutè videtur iſta quæſtio problematicè defendenda in vtrãque partem vt res incerta.

Diſſimulare nihilominus non debeo maiorem aliquam propenſionem animi in ſententiam affirmantẽ, & probabilitatis aliquantò maioris apparentiam in eadem. Quia ex vna parte video interpretationem adhibitam teſtimonijs adductis pro ſententia negante eſſe omninò legitimam; nullamque præterea rationem alicuius momenti ſupereſſe, quæ illi faueat. Ex parte verò altera, quæ prædicant eximium Dei dilectionẽ erga Christum teſtimonia, eiuſdemque ſummam excellentiam & perfectionẽ; & rationes theologicæ inibi fundatæ pertrahunt vi per nullam conſiderationem penitus extinguibili, ad aſſenſum incarnationis Verbi Diuini quatenus exiſtentis omninò independẽter ab hominũ nequitia atq; adeò nihilominus feciùs futuræ ſecluſo peccato, nec negãdæ innocẽtibus differẽtibus per ſolã innocentiam ab ijs, quibus per ſolam propriam malitiam, ac indignitatem offenſiuam Dei ſpecialiter indigentibus, ac miſeris, tantum bonum obuenit. Hoc enim maximopere decet dignitatem Hominis dei propriam, &

mitè conſonat eximiæ Dei erga filium ſuum naturalem dilectioni, & amori eiuſdem effuſori erga innocentes. Deinde incarnatio Verbi Diuini eſt miraculum abſolutè promotiuum boni connaturalis; atque huius generis ſunt omnia miracula, quæ à Deo patrata ſunt de facto: Exiſtentia verò donorum accidentalium ſupernaturalium ſeiuncta ab exiſtentia Christi, eſt miraculum ita promotiuum boni homini ſecundum ſe connaturalis, vt ſimul ſit impeditiuum boni longè maioris, & omninò incompenſabilis, connaturalis eidem ex ſuppoſitione eorundem donorum; cuiuſmodi miraculum in præſenti prouidentiæ ordine vſque adeò miraculorum, quoad ſpeciem & numerum fœcundo, nullum vnquã fuit, nullum erit; nec vlla ratio perſuadet poſſe pro aliqua rerum opportunitate eſſe conueniens, aut ſine exemplo credendum.

Iam ea quæſtio: An incarnatio Verbi, ſi futura fuiſſet ſecluſo peccato, dicenda ſit futura ex vi præſẽtis decreti; an verò ex vi alterius tũc extituri? nullã habet difficultatẽ ijs ſuppoſitis, quæ dicta ſunt in duplici quæſtione proxime præcedenti. Inde enim conſtat clarè futuram fuiſſe arguitiuè quidem, ſeu indicatiuè, ex vi præſentis decreti; formaliter verò, & cauſatiuè nonniſi ex vi alterius decreti.

QVÆ-

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum præceſſerit aliquod meritum incarnationis quoad ſubſtantiam?

VIDETVR præceſſiſſe. 1. Quia humanitas ipſa Chriſti prius tempore vel naturâ quàm vniretur Verbo, meruit dilectione iuſtitiæ, & voluntate moriẽdi pro alijs, vt ab eo aſſumeretur, iuxta illud pſal.44. 8. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vbi per vnctionem intelligitur gratia vnionis, quâ perfuſa, & delibuta eſt humanitas de quo latè Vaſquez ex Patribus tom.1. in 3. p. diſp.41. cap.3. Particula verò, *propter*, ſolùm poteſt ſignificare cauſalitatem meritoriã. Rurſus apoc. 5:12. dicitur: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & honorem.* Quæ ſanè accepit per vnionem ad Verbum; nec dignitas accipiendi alia intelligi poteſt, quàm meritoria ratione voluntatis occiſionem patiendi.

2. Patres teſtamenti veteris aſſiduas ad Deum fundebant preces pro aduentu Redemptoris, vt apparet ex Iſa. 16. 1. *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ.* 45. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant Iuſtum.* 64.1. *Vtinam dirumperes cælos & deſcenderes.* pſal.105.4. *Viſita nos, Domine, in ſalutari tuo:* & ſic alibi ſæpè. Dici autem non poteſt, orationes inſpirante Deo conceptas à ſanctis viris fuiſſe irritas, ac inutiles; vtã

[illegible] Dei, [illegible] [illegible] [illegible] ad miſe[illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

[illegible] nu[illegible] [illegible] repug[illegible] [illegible] reſpe[illegible] [illegible] m[illegible] [illegible] ſa[illegible] [illegible] pe[illegible] [illegible] ali[illegible] [illegible] re[illegible] [illegible] credit[illegible] [illegible] vel [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] accide[illegible] [illegible] nulla maior [illegible] Dei, qu[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] D[illegible] [illegible] [illegible] aliud, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Chriſti [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Nul[illegible] [illegible] p[illegible]

enus ſubſtantem,

ctum ſupernatura-
retur de congruo
e vlla exceptione;
quodlibet ſuum
ypoſtaticæ, confe-
ctum, quàm nul-
. Ergò quicunque
di actum ante ad-
nt, vt minimùm de
is.
non cadit ſub me-
meriti eſt indiffe-
n merendum; ſi-
riti, vt liberè ha-
differens ad obti-
ndum præmium,
t vt dependeat à
eſſe indifferẽs ad
cipiũ meriti poteſt
Chriſtus autem eſt
quia eſt principiũ
tiæ, quibus fiunt
iſtus nullius me-
Ergò non præ-
d ſubſtantiam.
m puræ creaturæ
er beatitudinem,
atia ipſi collata,
inem, tanquam,
uatum; & quia,
bonum maioris
eatus, quàm po-
o ſit bonum ſum-
atura. Gratia autẽ
iſti eſt quid ma-
creaturæ, quia,
erſale, continens
in ſe

puum finem incarnationis. Denique ibidem notatum & oſtenſum eſt, in ipſo remedio peccati poſitiuam donorum ſupernaturaliũ infuſionem præeminere excluſioni peccati, & habere rationem finis magis intenti; nec ea dona, eorundemque cauſam Chriſtum Dominum ita comparari cum peccato, ſicut medicus, & medicamenta infirmitatum corporalium comparantur cum iiſdem: Hæc enim, amotis ex genere humano infirmitatibus, nullius forent æſtimabilitatis, ac amabilitatis; quod de Chriſto, & de effectibus gratiæ ex eo manantibus dici nequaquam poteſt amoto peccato; cum quo videlicet comparantur potiùs vt ipſa formalis ſanitas poſitiua, & cauſa huius ſanitatis, æſtimabiles vtique & amabiles per ſe, ac ratione ſui præcisè, & non vt purum medium.

Ad 2. Eccleſiaſticus ille ſermo manifeſtè inſtituitur de Chriſto paſſibili, & mortali & afferente remedium generi humano per paſſionem, & mortem; Nec enim Chriſtus exiſtens impaſſibilis pateretur anguſtias, ac detentionem vteri materni, aut ex corpore paſſibili materiam, & diſpoſitionem ſui corporis deduceret. Multò verò minus eſt, aut dicitur neceſſarium peccatum ad qualemcunque vitam Chriſti, ſed ad eius mortem; Nec felicitas ſpecialis ac propria peccati eſt, vt ſit occaſio præſeruatoris, & authoris gratiæ, & gloriæ ſecundum ſe; ſed, vt ſit occaſio Redemptoris, ac redemptionis. Eſt autem extra controuerſiam Chriſtum non fuiſſe venturum paſſibilem, & mortalem ſecluſo peccato; Solùmque in ſcholis inſtituitur quæſtio de aduentu eius impaſſibilis ac glorioſi.

Ad 3. Propoſitiones negatiuæ ſunt quidẽ apud Scholaſticos vniuerſaliſſimæ ſignifica-

tionis cum diſtributione vnaquaque perfecta, & excludunt ſaltem vt plurimum totum prædicatum ex toto ſubiecto etiam ſecundùm quamcunque præciſionem: At in ſtylo dogmatico, & apud Patres, frequenter ab eo rigore deficiunt, & limitantur ad certum quemdam ſenſum determinatum ex contextu & ſcopo totius ſermonis; idque accidit in præſenti. Quia Patres agunt de aduentu Chriſti, qualis de facto fuit, nimirum in carne paſſibili, & ad redimendum nos per crucem & mortem, idque vt ingenerent apud fideles eximium gratitudinis affectum erga paſſionem Chriſti, & effuſionem ſanguinis eius, & amorem Dei eatenus miſericordem reſpectu noſtri. Quæ duo patebunt clariſſimè ipſos legenti. Quare propoſitiones illæ Auguſtini, aliæque ſimiles aliorum Patrum, licet diuulſæ à contextu, & ſcholaſticæ diſputationi intermixtæ, videantur excludere aduentum Chriſti, tam impaſſibilis, quàm paſſibilis ex ſuppoſitione hominis non peccantis, & amplecti ſenſum etiam præciſiuum aduentus Chriſti ſecundum ſubſtantiam ab aduentu eiuſdem qualis de facto fuit; accipiendæ tamen ſunt de aduẽtu Chriſti præcisè vt paſſibilis, & qualis de facto fuit. Quia iſtam reſtrictionem omninò ſibi vindicant ſcopus, & reliquus contextus. Idem ex eo præterea colligitur; quia D. Auguſtinus, & alij Patres efferunt eas enunciationes tanquam certiſſimas, & ad dogma fidei omninò aut proximè pertinentes; Cuius tamen tantæ aſſeuerationis fundamentum ſufficiens non apparet in ſacris litteris; Multò verò minùs in natura ipſa rei, niſi iuxta ſenſum explicatum. Argumento quoque eſt haud debili D. Thomam, & D. Bonauenturam, Alexandrum de Ales, Albertum Magnum,

& Scotum in Patribus, præſertim Auguſtino, intimè verſatos, & eorum vbique reuerentiſſimos, propoſitis ijs teſtimonijs, in quibus verſamur, priores quidem duos probabilem, reliquos verò probabiliorem etiā, & abſolutè veram dixiſſe nihilominùs ſententiam affirmantem. Quod profectò auſi non fuiſſent dicere, niſi vidiſſent magno cū fundamento eum ſenſum ijs Patribus accommodari, qui accommodatus modo eſt. Poſtremò nihil eſt notius in ſacra pagina, quā dona gratiæ, & remiſſionem peccatorum datas eſſe hominibus ſolùm propter merita Chriſti; eſtque proinde communis ſauctorū patrum, & cæterorum fidelium aſſertio, quòd humanum genus non ſuiſſet liberatum à peccato, ſi Deus non fuiſſet incarnatus & mortuus pro illo; At nominatim Auguſtinus lib. 13. de Trin. cap. 18. ante finem: *Hac tanta Dei dona*, ait, *& ſiqua alia ſunt & c. niſi verbum caro fieret, nulla eſſent*: Et nihilominùs licuit dicere D. Thomæ hic quæſt. 24. art. 4. ad 3. *Si Chriſtus non fuiſſet incarnatus, Deus præordinaſſet homines ſaluari per aliam cauſam*. Ergo licet a fortiori dicere ſimiliter è conuerſo in re noſtra. Quod ad authoritatem D. Thomæ attinet plane incapacem interpretationis, reſpondetur, quòd idem S. Doctor 1. p. quæſt. 100 art. 2. ad 2. reſpondet ad quandam authoritatem D. Anſelmi; Cùm enim eum ſibi obieciſſet: *Dicendum*, ait, *quòd Anſelmus hoc non dicit aſſerendo, ſed opinando*. Huic reſponſioni dat aditum modus ille loquendi D. Thomæ, præſertim coniunctus cum alijs eius locis iam citatis.

Ad 4. Chriſtus Dominus fuit indifferens, vt obediret, vel nō obediret vſque ad mortem crucis; & tamen non fuit indifferens, vt

haberet,

habeaet, vel non haberet dignitatem, & nomen ſupra omnem puram creaturã. Quia hoc ſibi neceſſariò inerat ratione ſuæ perſonæ. Quare non accepit in præmium obedientiæ, & mortis exaltationem, & ſupremâ nominis alicuius prærogatiuam quoad ſubſtantiam, ſed quoad aliquam ſpecialitatem, maioremque notitiam ac celebritatem, & dilectionem communem; quæ eſt communis interpretatio eius loci. Exiſtere autem potuit abſque eiuſmodi ſpecialitate accidentali.

Ad 1. partis affirmantis. Falsò imprimis ſupponitur ordo ille obiectiuus decretorum Dei, vt conſtat ex quæſt. 15. eademque falſa ſuppoſitione laborant, qui ex reuelatione incarnationis Verbi diuini facta Adamo, & Angelis ante peccatum, inferunt decretum Dei de ſubſtantia incarnationis indifferens ex ſe ad decretum aliud poſterius de paſſibilitate, & remedio peccati; cùm ſolùm inde inferatur, vt aduertit D. Thomas hic art. 3 ad 5. atque cit. quæſt. 1. art. 3. ad 7. reuelationem eam paſſiuam, & cognitionem ex ea ſubortam fuiſſe de ſubſtantia incarnationis ſecundum ſe indifferentem, ex ſe intrinſecè ad peccatum, & eius remedium; tametſi dependeret a decreto connexo intrinſecè cum vtroque: Nec enim neceſſe eſt Deum, dum reuelat aliquem ſuum effectum futurum, ſimul reuelare cauſam eius, & finem iam ab ipſo ſimul prædefinitum. Deinde etiamſi ex ſuppoſitione exiſtentiæ Chriſti ipſi debeatur, vt ſit finis cæterorum, vtque exiſtat gratia ſui; tamen quia ei non debetur, vt ſit purus finis, vtque ad nullum alium finem ordinetur; immò de facto ſit ad alium præterea finem ordinatus; neque hoc repugnet ſapientiæ, & perfectioni di-

Digitized by Google

uinæ: incertum redditur, an deficiente hoc alio fine, manſurus nihilominùs fuiſſet idem effectus incarnationis quoad ſubſtantiam. Quia videlicet incertum eſt, an hic alius finis præfixus ſit Chriſto præcisè vt coniuncto cum paſſibilitate an etiam quoad ſubſtantiam, & quoad omnia ſua cætera bona, atque proprietates.

Ad 2. Tametſi Chriſtus non fuiſſet extiturus non exiſtente peccato, non propterea deberet acceptam ferre peccato exiſtentiam ſuam, ſed ſoli benignitati, & potētiæ diuinæ elicienti bonum ex malo, & ſuperanti reſiſtentiam peccati aduerſus beneficia Dei; Quia peccatum non fuit cauſa incarnationis, ſed occaſio tantùm, eàque non tam data quàm accepta; vtpote renitens, quantum eſt ex ſe, tali effectui. Eadem ratione conſequens nequaquam eſt, vt deberet Chriſto placere, aut non diſplicere peccatum; quia cui placet effectus, ſolùm neceſſe eſt vt placeat, ac non diſpliceat eius cauſa; nō verò occaſio, quæ de ſe ſit potiùs impeditiua eiuſdem. Rurſus non foret Chriſtus deterioris abſolutè conditionis præ alijs filijs; quia licet fuerit efficaciter dilectus occaſione peccati, non ita diligendus ſecluſo peccato; tamen, eo ſuppoſito, fuit dilectus præ omnibus alijs cum exceſſu infinito; nec fuit volitus vt purum remediū, aut vt bonum purè occaſionatum; ſed magis principaliter ratione ſui, vt dictum eſt quæſt. 13. Demum non foret maior, ſed multò minor dependentia Chriſti à puro homine, quàm è conuerſo; quia puri homines dependerent nihilominùs, tanquam a cauſa beatitudinis eorum, & omnium donorum conferentium ad illam; cùm Chriſtus à puro homine penderet ſolùm tanquam ab exhi-

exhibente occaſionẽ, eámq́ue ex ſe contradicentem tanto bono.

Ad 3. Non eſt inconueniens ſi dicatur Deum, ſicut exiſtente peccato fecit miraculorum omnium maximum aſſumendo carnem, vt ſubueniret maximæ humani generis neceſſitati, ac miſeriæ: ita non exiſtente peccato facturum fuiſſe aliud miraculum minus, vt ſubueniret minori neceſſitati ac miſeriæ, dando hominibus dona ſupernaturalia, quin exiſteret Chriſtus, qui eſt immediatum connaturale eorum principium. Ob hæc igitur omnia abſolutè videtur iſta quæſtio problematicè defendenda in vtramque partem vt res incerta.

Diſſimulare nihilominus non debeo maiorem aliquam propenſionem animi in ſententiam affirmantẽ, & probabilitatis aliquantò maioris apparentiam in eadem. Quia ex vna parte video interpretationem adhibitam teſtimonijs adductis pro ſententia negante eſſe omninò legitimam; nullamque prætereà rationem alicuius momenti ſupereſſe, quæ illi faueat. Ex parte verò altera, quæ prædicant eximium Dei dilectionẽ orga Chriſtum teſtimonia, eiuſdemque ſummam excellentiam & perfectionẽ; & rationes theologicæ inibi fundatæ pertrahunt vi per nullam conſiderationem penitus extinguibili, ad aſſenſum incarnationis Verbi Diuini quatenus exiſtentis omninò indepẽdẽter ab hominũ nequitia atq adeò nihilo ſeciùs futuræ ſecluſo peccato, nec negãdæ innocẽtibus differẽtibus per ſolã innocentiam ab ijs, quibus per ſolam propriam malitiam, ac indignitatem offenſiuam Dei ſpecialiter indigentibus, ac miſeris, tantum bonum obuenit. Hoc enim maximopere decet dignitatem Hominis dei propriam, &

mirè conſonat eximiæ Dei erga filium ſuum naturalem dilectioni, & amori eiuſdem effuſſori erga innocentes. Deinde incarnatio Verbi Diuini eſt miraculum abſolutè promotiuum boni connaturalis; atque huius generis ſunt omnia miracula, quæ à Deo patrata ſunt de facto: Exiſtentia verò donorum accidentalium ſupernaturalium ſeiuncta ab exiſtentia Chriſti, eſt miraculum ita promotiuum boni homini ſecundum ſe connaturalis, vt ſimul ſit impeditiuum boni longè maioris, & omninò incompenſabilis, connaturalis eidem ex ſuppoſitione eorundem donorum; cuiuſmodi miraculum in præſenti prouidentiæ ordine vſque adeò miraculorum, quoad ſpeciem & numerum fœcundo, nullum vnquã fuit, nullum erit; nec vlla ratio perſuadet poſſe pro aliqua rerum opportunitate eſſe conueniens, aut ſine exemplo credendum.

Iam ea quæſtio: An incarnatio Verbi, ſi futura fuiſſet ſecluſo peccato, dicenda ſit futura ex vi præſētis decreti; an verò ex vi alterius tũc extituri? nullã habet difficultatẽ, ijs ſuppoſitis, quæ dicta ſunt in duplici quæſtione proxime præcedenti. Inde enim conſtat clarè futuram fuiſſe arguitiuè quidem, ſeu indicatiuè, ex vi præſentis decreti; formaliter verò, & cauſatiuè nonniſi ex vi alterius decreti.

QVÆ-

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum præceſſerit aliquod meritum incarnationis quoad ſubſtantiam?

VIDETVR præceſſiſſe. 1. Quia humanitas ipſa Chriſti prius tempore vel naturâ, quàm vniretur Verbo, meruit dilectione iuſtitiæ, & voluntate moriẽdi pro alijs, vt ab eo aſſumeretur, iuxta illud pſal. 44. 8. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Vbi per vnctionem intelligitur gratia vnionis, quâ perfuſa, & delibuta eſt humanitas de quo latè Vaſquez ex Patribus tom. 1. in 3. p. diſp. 41. cap. 3. Particula verò, *propter,* ſolùm poteſt ſignificare cauſalitatem meritoriã. Rurſus apoc. 5: 12. dicitur: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & honorem.* Quæ ſanè accepit per vnionem ad Verbum; nec dignitas accipiendi alia intelligi poteſt, quàm meritoria ratione voluntatis occiſionem patiendi.

2. Patres teſtamenti veteris aſſiduas ad Deum fundebant preces pro aduentu Redemptoris, vt apparet ex Iſa. 16. 1. *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ.* 45. 8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum.* 64. 1. *Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes.* pſal. 105. 4. *Viſita nos, Domine, in ſalutari tuo:* & ſic alibi ſæpè. Dici autem non poteſt, orationes inſpirante Deo conceptas à ſanctis viris fuiſſe irritas, ac inutiles; vti

proculdubio fuiſſent, ſi nullà fuiſſent prædictæ vi meritoria, ac inductiua rei poſtulatæ.

3. Quicunque meretur aliquid, eò ipſo neceſſe eſt, vt mereatur omne id, ſine quo obtineri illud non poteſt; ſed iuſti anteriores Chriſto meruerunt beatitudinẽ, quæ niſi per Chriſtũ, obtineri nõ poteſt. Ergò etiam meruère exiſtentiam Chriſti.

4. De B. Virgine canitur ab Eccleſia: *Ipſa meruiſſe portare Regem cælorum, & Dominum.* In quo ſanè merito includitur meritũ exiſtentiæ Chriſti. Sicut enim B. Virginem eſſe matrem Chriſti, & Chriſtum eſſe filium eius, ita meritum, vt ipſa exiſtat mater Chriſti eſt meritum vt exiſtat Chriſtus eius filius.

5. Qui poteſt mereri quod eſt maius, poteſt vtique mereri quod eſt minus in eodem genere. Sed quilibet poteſt cum gratiâ Dei mereri beatitudinem, quæ inter dona ſupernaturalia eſt aliquid maius vnione hypoſtatica; nempe eſſe beatum eſt melius qualibet alia re; hoc enim habet rationem vltimi finis, & cætera æſtimantur præciſè, quatenus conferunt ad felicitatem. Ergò hoc vt minimùm, eſt concedendum, homines anteriores Chriſto potuiſſe mereri exiſtentiam eius cum auxilijs ordinarijs gratiæ.

6. Inter dona gratiæ purè creata, & exiſtentiam Chriſti datur mutua connexio ex natura rei, vt dictum eſt ſuprà. Ac proinde datur proportio itidem mutua. Non repugnat autem, vt actu elicito per gratiã mereatur quis præmium quod non excedit proportionem talis gratiæ. Ergò ſi quis ex anterioribus Chriſto acciperet à Deo auxilia gratiæ, vel independenter à Chriſto, vel dependenter ab ipſo, & eius meritis quatenus præuiſis in decreto intentiuo eorum, potuiſſet mereri exiſtentiam Chriſti, vel

ab-

abſolutè, vel ſaltem quatenus ſubſtantem decreto executiuo.

7. Quicunque elicit actum ſupernaturalem placentem Deo, meretur de congruo quælibet dona Dei, abſque vlla exceptione; quia magis congruit, vt quodlibet ſuum donum, etiam vnionis hypoſtaticæ, conferat Deus habenti talem actum, quàm nullum talem actum habenti. Ergò quicunque elicuère aliquem eiuſmodi actum ante aduentum Chriſti, meruerunt, vt minimùm de congruo, exiſtentiam eius.

R. Principium meriti non cadit ſub meritum. Quia principium meriti eſt indifferens ad merendum, & non merendum; ſiquidem eſt de ratione meriti, vt liberè habeatur, atque adeò eſt indifferens ad obtinendum, & non obtinendum præmium, cùm de ratione hujus ſit vt dependeat à merito, nihil verò poteſt eſſe indifferēs ad ſeipſum. Ergo nullū principiū meriti poteſt eſſe præmium eiuſdem. Chriſtus autem eſt principium omnis meriti; quia eſt principiū omnium auxiliorum gratiæ, quibus fiunt actus meritorij: Ergò Chriſtus nullius meriti præmium eſſe poteſt. Ergò non præceſſit vllum meritum quoad ſubſtantiam.

Rurſus omne meritum puræ creaturæ compenſatur adæquatè per beatitudinem merentis. Quia omnis gratia ipſi collata ordinatur ad eius beatitudinem tanquam ad finem vltimum & adæquatum; & quia aliàs poſſet habere aliquis bonum maioris valoris, antequam eſſet beatus, quàm poſtea; cùm tamen beatitudo ſit bonum ſummè æſtimabile à pura creatura. Gratia autē vnionis, & exiſtentia Chriſti eſt quid majus, quàm beatitudo puræ creaturæ, quia Chriſtus eſt bonum vniuerſale, continens in ſe

in ſe eminenter beatitudinem omnis & cuiuslibet creaturæ, tanquam principium beatitud nis omnium: & quia per beatitudinem puræ creaturæ habetur ſummum bonum, quod eſt Deus, tantum intentionaliter, & in inadequata imagine ſui; per vnionem verò hypoſtaticam habetur realiter, & ſecũdum ſe ipſum immediatè, quod eſt plus. Ergò exiſtentia Chriſti excedit proportionem omnis meriti puræ creaturæ. Nullum ergò tale meritum præcedere potuit exiſtentiam Chriſti quoad ſubſtantiam.

Quapropter Photinus ponens Chriſtum priùs fuiſſe purum hominem, & per merita bonæ vitæ obtinuiſſe, vt eſſet filius Dei, nõ solùm errauit contra Euangelium Lucæ 1. 35. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei*: vnde conſtat nunquam habuiſſe illum hominem aliam hypoſtaſim, quàm diuinam, & gratiam vnionis omni eius operatione fuiſſe priorem natura; & non ſubſequentem, vt præmium; ſed etiam errauit præterea, quia merito puri hominis attribuit vim meritoriam maiorem, quàm quæ poſſit illi conuenire.

Ad 1. Auguſtinus in illum pſalmum accipit quidem vnctionem pro aſſumptione humanitatis à Verbo; ſed particulam, *propterea*, interpretatur vt ſignificatiuam cauſæ finalis; quaſi dicat; In hunc finem vnxi te, vt diligeres iuſtitiam, & odio haberes iniquitatem, vt id re ipſa præſtitiſti. Alij verò, vt Athanaſius oratione 2. contra Arrianos longè poſt medium, adſcribunt quidẽ particulæ, *propterea*, cauſalitatem meritoriã, ſed per vnctionem intelligunt, vel declarationem filiationis Dei factã in Iordane; vel hilaritatem conſcientiæ, vel regnum, & ſceptrum æquitatis attributum poſt paſſionem,

ſionem. Quod etiã eſt probabile, & vtrouis modo euacuatur vis teſtimonij pro merito vnionis hypoſtaticæ. Iam loci alterius ex apocal. expoſitio communis eſt, de acceptione per laudem, agnitionem, & celebritatem virtutis, diuinitatis, & honoris, quæ ſubſecutæ ſunt ad paſſionem, ad quam certè ſubſecuta non eſt vnio humanitatis ad Verbum.

Ad 2. Antiqui Patres non petebant ſubſtantiam incarnationis, quam ſcilicet ſciebãt iam certiſsimè eſſe futuram; ſed eius acceſerationem. Vel ad modum petentium manifeſtabant ſuum tanti boni deſiderium, quo illud merebantur de congruo, nõ congruitate impetratoria & cauſatiua, quod tantùm non repugnat reſpectu proprij meriti, quod eſt meritum condignum, ſeu ſimpliciter, & propriè tale; ſed congruitate diſpoſitiua, quatenus congruum erat filium Dei dari deſiderãtibus, & toto affectu per multa ſecula in eum defixis. Verùm quæſtio nõ eſt de hoc merito, quod tantùm impropriè, & ſecundum quid meritum eſt, nec tale dicitur, niſi cum addito diminuente.

Ad 3. Negatur eſſe de ratione actus meritorij, vt mereatur omnia indiſcriminatim, ſine quibus præmium ei coexiſtere non poteſt: Nam neque ſine Deo, & ipſo merente poteſt præmium obtineri; & tamen Deus, & merens ſub meritum non cadunt. Sufficit ergò ſi mereatur, quidquid eſt ita neceſſarium, ſimulque non habeat aliunde vires proximas ſufficientes per quas ponatur à parte rei. Exiſtentia autem Chriſti non erat huiuſmodi.

Ad 4. In cantu Eccleſiæ non ſumitur meritum ſecundum proprietatem & rigorem ſcholaſticum, quando dicitur de perfecto

apio.

abſoluto, & ſine addito. Sed dicitur in ſatiori ſignificatione pro merito congruo, & ſecundum quid tali, de quo dicetur.

Poteſt deinde admitti, quod ad præſens attinet, B. Virginem propriè meruiſſe, vt ipſa potiùs eſſet mater Dei, ex ſuppoſitione quòd Deus habiturus eſſet matrem aſſumpta carne; ita vt hæc ipſa ſuppoſitio abſoluta non ſubeſſet merito B. Virginis: Hac enim ratione eximitur ex eius merito ſubſtantia incarnationis.

Ad 5. Oſtenſum eſt iam in ſecunda parte reſponſionis ad quæſtionem, beatitudinem formalem eſſe bonum longe minus; quam gratiam vnionis. Caſus autem ſeparationis inter vnionem hypoſtaticam, & beatitudinem formalem eſt impoſſibilis; ſi tamen admittatur, dicendum erit hominem Deum habere iure, & in radice, ſeu eminenter ipſam beatitudinem formalem ſimul cum beatitudine formali aliorum; atque adeò habere bonum abſolutè maius, quam ſit beatitudo formalis. Quare comparatio beatitudinis cum alijs quibuſuis bonis concludit eius exceſſum, ſi bona alia, cum quibus comparatur, ſint bona purè creata, non verò ſi ſit ipſum increatum bonum.

Ad 6. Bona ſupernaturalia pure creata connectuntur quidem intrinſecè cum Chriſto Domino, ſed connexio eſt tanquam effectuum cum ſuo principio; Vnde apparet nullam eſſe poſſe inter ea extrema proportionem in ratione meriti & præmij: ſiquidem ratio præmij componi minimè poteſt, vt dictum eſt, cum ratione principij in eodem reſpectu actûs meritorij. Sed neque ſi Deus daret alicui auxilia gratiæ independenter à Chriſto, propterea poſſet eius exiſtentiam mereri propter exceſſum eius in-

com-

comparabilem ad præmium, quod eſt adæquatè compenſatiuum omnium meritorum puræ creaturæ. De decreto intentiuo, & executiuo, & ineptitudine præuiſionis in illo ad inducendum iſtud præmium dicetur poſteà.

Ad 7. Meritum de congruo eſt meritum impropriè, & ſecundum quid tale; nec ab authoribus vno, eodèmque modo vniformiter vſurpatur. Inter alias eius ſignificationes vna eſt, pro actu vtcunque diſponēte bene ad aliquid, nec non pro eo actu (quod ferè eſt idem) quo poteſt, qui illum elicuit, habere ſpem maiorem, quòd ſibi potiùs, quàm alteri conferendum ſit aliquod bonum, ex ſuppoſitione quod ſtatutum iam ſit vt alicui conferatur. Atque vtroque hoc modo potuère antiqui Patres mereri exiſtentiam Chriſti Domini; niſi quod poſterior ea locutio de dando huic potiùs, quàm alteri, non ſatis conſonat bono vniuerſali reſpectu omnium, quale eſt Chriſtus Dominus. Cæterum meritum qualecunque inductiuum, & cauſatiuum exiſtentiæ Chriſti, ita vt quòd exiſtat, vel nō exiſtat Chriſtus Dominus, dependeat ex eo quòd præexiſtat, vel non præexiſtat tale meritum; hoc, inquam, negandum omninò eſt ob ea, quæ dicta ſunt in reſponſione ad quæſtionem. Qua diſtinctione, credo, componi inter ſe poſſunt cum S. Thoma plures etiam Authores latè diſputantes de merito congruo ſubſtantiæ incarnationis.

QVÆ-

QVÆSTIO XIX.

Vtrum præceſſerit aliquod meritum Incarnationis, quoad circumſtantias Loci, Temporis, & ſtirpis?

VIDETVR non præceſſiſſe. 1. Quia ſicut non poſſumus actibus naturalibus mereri etiam de congruo primam Gratiam naturalem, quoad entitatẽ; ita nec eius circumſtantias, vt maiorem intenſionem, vel accelerationem mereri poſſumus etiam de congruo. Ergo ſicut nullis meritis puræ creaturæ ſeu condignis, ſeu congruis obtineri potuit exiſtentia Chriſti quoad ſubſtantiam, vt dictum eſt; ita nec vllæ eius circumſtantiæ potuerunt obtineri. Patet conſequentia, quia circumſtantiæ pertinentes ad exiſtentiam Chriſti, tantundem, vt minimum, diſtant ab omni merito purè creato; quantum diſtant circumſtantiæ pertinentes ad exiſtentiam doni ſupernaturalis purè creati ab omni merito purè naturali.

2. Chriſtus Dominus venit eo tempore, quo fuit oportuniſſimum vt veniret. Igitur antiqui Patres non potuerunt mereri de congruo accelerationem eius Aduentus; alioqui vel initio non fuiſſet præfixum à Deo tempus oportuniſſimum Incarnationi: vel Incarnatio quoad hanc circumſtantiam facta fuiſſet minus conuenienter. Quod dici no debet, vt patet ex Auguſtino tom. 4. q 83. ex nouo Teſtam. *Idcircò tunc venit quando debuit venire, voluntatis ſua rationem.*

nem ſecutus non meritorum. Nam ſi merita perpendas venire non debuit.

3. Omnes ante Chriſtum fideles habuerunt Gratiam ad merendum ex meritis Chriſti, non minus quam fideles Chriſto poſteriores. Ergo Chriſtus præuiſus eſt merens independenter à meritis antiquorum fidelium, & merita Chriſti fuere priora, quàm merita illorum. At Chriſtus ſicut mereri non potuit, ita non potuit præuideri merens, niſi vt pendens à ſuis Progenitoribus, & exiſtens in hoc loco, & tempore determinato; cum repugnet quemquam operari & mereri, aut nondum poſitum extra omnes ſuas cauſas, aut nondum determinatum ad hunc locum, & hoc tempus. Ergo circumſtantiæ Stirpis, Loci, & Temporis fuere priores in præuiſione Dei, quam merita antiquorum, atque independentes ab iiſdem, non minus quàm ſubſtantia Incarnationis. Eadem argumẽtatione concluditur vice verſâ merita antiquorum fuiſſe priora in præuiſione Dei, quam iſtas circumſtantias; atque ab iiſdem independentia, ſi antiqui illas meruere. Repugnat verò mutua earundem rerum dependentia, & independentia, atque mutua prioritas præſertim in eodem genere, vt ſtatutum eſt in Philoſophia. Eiuſdemque rei ratio ſpecialis circa actus liberos reddita eſt q. 9. de virtut. Theol.

4. Et augetur difficultas præcedens, vtcumque quis comminiſci poſſit, Chriſtũ, & eius merita præuideri prius indeterminata, quoad circũſtantias Tẽporis, Loci, & Stirpis ex vi decreti diuini, quoad hæc, disiũctiui, ſimulq. determinati quoad exiſtẽtiã Chriſti & meritorũ eius, quã vt determinata quoad eaſdem circumſtantias, atque vt præuiſas

ſub

ſub priori conſideratione potuiſſe inducere meritoriè Gratiam, qua antiqui Patres mererentur talem earum circumſtantiarum determinationem, quæ ipſis eſſet ſpecialiter fauorabilis, & ſic vitari mutuam prioritatem in ſerie diuinarum cognitionum, & decretorum. Inquam vtcumque hæc, & his ſimilia complura, quæ libenter prætermittuntur, comminiſci quis poſſit. Hæc nihilominus tota diſpoſitio rationis noſtræ, & qualiſcumque præciſionis euaneſcit, cum ventum eſt ad realitatem obiectiuam, hoc eſt cum iam conſideratur Chriſtus eliciens actum, vel actus, quo, vel quibus meruit auxilia Gratiæ Patribus antiquis. Quia tunc pro priori naturæ antequam mereatur, & velit inducere tale præmium, præſupponitur iam habens determinatam, durationem, determinatum vbi, & ſtirpem determinatam. Nec poteſt niſi abſurdiſſimè, admitti Chriſtum cogitantem de eliciendo opere meritorio, non aduertiſſe, pro priori naturæ, vbinam Gentium eſſet, quo ſeculo viueret, quam matrem haberet, quos auos, atque de his expreſsè cogitaſſe vt obtinendis per ſuum meritum, nec tamen eam cogitationem perueniſſe, vſque ad indiuiduationes earum rerum, quas nemo eſt tam ſtultus, & hebes, qui non diſcernat in indiuiduo. Quotieſcumque illarum meminit, vt clarè appareat, miraculum fingi deforme, ac indecens hominem Deum, dum dicitur ipſum de talibus cogitaſſe pro aliquo priori abſque vltimà determinatione eorum vſque adeo vnicuilibet manifeſtorum obiectorum. Ergo nullus relinquitur locus vitandæ mutuæ prioritatis ex parte Chriſti merentis reipſa à parte rei, vtcumq. ea vitari poſſet in ſcientiâ ac Decretis di-

uini

minis. Verum neque in illis ſecundum ſe, vitari ea poteſt; quia in Deo non datur multiplicitas virtualis intrinſeca decretorum, & cognitionum, vt dictum eſt q. 15.

5. Productio vniuſcuiuſque rei eſt indiſtincta ab eius duratione. Productionem autem Christi nō potuerunt mereri antiqui Patres, vt conſtat ex quæſt. præced. Ergo neque circumſtantiam temporis incarnationis mereri potuerunt. Eadem verò ratio eſſe videtur de circumſtantiâ loci & ſtirpis; quia de tribus iſtis circumſtantijs ſunt eædē fere auctoritates; atque iſtæ ſunt totum fundamentum oppoſitæ partis.

6. Beata Virgo neque de condigno mereri potuit, neque de congruo vt eſſet Mater Chriſti. Ergo neque reliqui Sancti veteris teſtamenti mereri potuerunt ſiue de congruo, ſiue de condiguo, vt eſſent Prægenitores Chriſti; aut vt accelararetur myſterium incarnationis, aut vt perficeretur in eorum patriâ determinatè. Patet conſequentia. Quia teſtimonia ſcripturæ quæ fauent merito Virginis reſpectu maternitatis, ſunt multò plura, ac vrgentiora, quàm quæ fauent merito reliquorum reſpectu triplicis illius circumſtantiæ, vt videre licet ex ijs, quæ communiter dicuntur à ſanctis Patribus, ad illud præſertim Luc. 1. 45. *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur quæ dicta ſunt tibi à Domino*. Et ad illud ibid. verſ 48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Exque alijs multis, quæ diligenter colligunt & expendunt in præſenti Suar. & Vaſq. Probatur antecedens; quia Beata Virgo, ante omnes actus ſuos meritorios, præuenta fuit cumulo Gratiæ actualis, & habitualis vſque adeò magno, vt nulli alij mor-

talium

talium æqualis vnquam contigerit ante omne ſuum meritum;ac proinde ille cumulus fuit proprius perſonæ electæ in Matrem Dei. Ergo non potuit per actus ſubſequentes mereri vt eligeretur mater Dei.

R. *Meritum* eſt vox ambiguæ ſignificationis, quia apud ſacros Scriptores, nec non apud prophanos, & ex vſu vulgari frequẽter ponitur pro aptitudine, & diſpoſitione, ſiue naturali, ſiue acquiſità alicuius ad aliquod, ſiue præſtandum munus, ſiue accipiendum beneficium. Et ſi quidem huiuſmodi diſpoſitio conſtituta ſit per actus honeſtos, & exercitium virtutum congruens donis ſuſcipiendis ab eliciente tales actus; tunc verò vſu magis familiari, Meritum dicitur talis aptitudo ac diſpoſitio. Apud Scholaſticos verò Doctores, Meritum ferè ſemper vſurpatur pro actu, cui condignum, aut congruum eſt, vt rependatur aliquod præmium; ita vt iſtud ponatur à parte rei dependenter ab illo cum dependentià à priori, & vtriuſque exiſtentia habeat contingentiam indiuiſam, vt ſit vel non ſit fundatam in indifferentia elicientis actus meritorios, vt eos eliciat, vel non eliciat. Priori illo modo, Crux diciturin cantu Eccleſiæ, *Electa digno ſtipite, tam ſancta membra tangere*: Et ſimiliter dicitur, *Felix culpa, quæ talem, & tantum meruit habere Redemptorem.* Et in oratione B. Annæ dicitur illi collata eſſe Gratia, *Vt Genetricis Vnigeniti Filij Dei Mater effici mereretur*. Poſterioris vſurpationis meriti nulla opus exempla adducere; ſed ſolum eſt aduertendum, nec etiam apud Scholaſticos Doctores eodem ſemper ſenſu meritum vniformiter vſurparj. Licet enim vt plurimum vſurpetur propriè, vſurpatur tamen non admodum infrequenter, latiori ſigni-

ſignificatione pro ſola diſpoſitione morali congruenti donis Dei, quæ ſubinde confe- ntur merenti.

Quapropter dum in materia præſenti occurrit apud ſanctos Patres vox hæc *meritum* aliæque illi æquiualentes, attribuendo earũ ſignificatum, vel B. Virgini reſpectu Maternitatis, vel antiquis ſanctis Patribus reſpectu circumſtantiarum loci, temporis, ac ſtirpis; non ideò protinus trahenda ſunt ea teſtimonia in ſignificationem Scholaſticam, maximè iuxta ſummam proprietatem, ac rigorem; Quia adducuntur in examen Theologicum rei, de quâ loquuntur; nec vice verſa ideò ſunt alienandæ omninò eædem voces ab eàdem ſignificatione Scholaſtica; quia Scriptura, & ſancti Patres extra ſcholas loquuntur; Neque contextus ipſorum Scholaſticæ locutioni, quoad cætera congruit, ſed cõſideranda ſunt pro eruẽdo ſenſu legitimo, natura rei de quâ eſt ſermo, & principia alia quæ præſupponunt.

His autem conſideratis, dicendum videtur, tum B. Virginem reſpectu Maternitatis Chriſti: Tum antiquos Patres reſpectu triũ illarum circumſtantiarum, habuiſſe Meritũ diſpoſitiuum propriè tale in ratione diſpoſitionis moralis; & rurſus Meritum impetratorium, & cauſatiuum tantum ſecundum quid, & impropriè tale. Et quidem B. Virginem eà morũ ſanctitate, & feruore Charitatis præditam fuiſſe quâ congruebat præditam eſſe eam, quæ futura eſſet Mater Chriſti dubitari minimè poteſt; ſiue conſiderentur teſtimonia eam in rem clariſſima inſinuata in poſtremâ obiectione apud auctores locupletes, ſiue conſideretur perfectio, & vniuerſalis conditio Prouidentiæ Dei, diſponentis media vnumquodque in

ſuo

ſuo ordine, cum iuſta, & exacta correſpondentia priorum, ac poſteriorum Poſito autem in B. Virgine præceſſiſſe diſpoſitionem moralem, congruentē dignitati Matris Dei, negari non poteſt, quin præceſſerit in eadem meritum eiuſdem dignitatis, ſaltem de congruo, latè ſumptum. & impropriè tale. Quia huiuſmodi meritum nihil reipsa differt à diſpoſitione morali congruente donis Dei quæ conferuntur illà præexiſtente. Ob eadem ferè fundamenta, concedenda eſt ſimilis diſpoſitio, & meritum ſimile antiquis Patribus reſpectu trium illarum circumſtantiarum; quia de vtraque ſunt ſimilia teſtimonia, & eſt ſimile fundamentum ex parte prouidentiæ Dei. Cæterum neutris concedendum eſſe meritum propriè tale inductiuum, & cauſatiuum ſui termini; ita vt electio B. Virginis in Matrem Dei, aut electio Loci, temporis, & progenitorum in quo, pro quo, & ex quibus natus eſt Chriſtus, fuerit præmium eorum meritorum, pendens ab eorum exiſtentià, quoad exiſtentiam ſui, & ſubſtans contingentiæ, vt daretur, vel non daretur cui ſuberant ex parte voluntatis creatæ eadem merita. Tale, inquam, meritum neque de condigno, neque de congruo admittendum eſſe, aut in B. Virgine, aut in antiquis ſanctis Patribus efficaciter conuincunt rationes dubitandi, tertia, maximè verò quarta & ſexta.

Meruit igitur B. Virgo dignitatem matris Dei, merito diſpoſitiuo; ideſt, talis fuit in exercitio virtutum omnium, qualis cõgruebat, & decebat vt eſſet, quæ futura erat Mater Dei: Meruit itidem merito de congruo latè & impropriè ſumpto, ideſt, tot, tales, & tam excellentes in omni virtutum genere actus præmiſit, vt in eis adeſſet no-

uus titulus, ob quem conſtitueretur Mater Chriſti, & intuitu cuius executioni mandaretur dignitas Maternitatis Chriſti iam antecedenter illi decreta ex voluntate Dei pure gratioſa ac liberali reſpectu ipſius. Idē dicitur proportione ſeruata de Patribus antiquis, reſpectu trium illarum circumſtantiarum.

Ad 1. Sæpe dictum eſt, & ex profeſſo ſtabilitum fuit quæſt. 6. Dona ſupernaturalia pure creata habere connexionem intrinſecam cum exiſtentia Chriſti, quam tamen nullo pacto habent merita vlla naturalia cū dono aliquo ſupernaturali, & ratio diſcriminis ibidem reddita eſt multiplex, & clara. Nulla igitur eſt ratio paritatis in præſenti, & poſſunt merita ſupernaturalia pure creata, habere rationem diſpoſitionis, & meriti alicuius, ſaltem ſecundarij reſpectu circumſtantiarum Incarnationis; licet nihil tale conuenire poſſit, meritis vllis naturalibus reſpectu vllius doni ſupernaturalis, vel quo ad ſubſtantia, vel quad circumſtantiā, vt eſt circumſtātia formaliter doni ſuper aturalis.

Ad 2. Chriſtus Dominus venit quando oportuit, opportunitate conflata ex rerum omnium, & ſingularum ſtatu inter quas merita iuſtorum, ac præſertim B. Virginis non vltimum tenent locum apud Deum, eiuſque prouidentiam. Auguſtinus licet videri poſſit loqui de merito comparatiuo Aduentus pro vno tempore, potius quam pro alio; Agit tamen procul dubio reip a de merito abſolute inducente debitum, hoc eſt de merito condigno, vt tunc veniret, quando venit. Et negat tale meritum adfuiſſe; quia aderant peccata, quibus debebatur, vt neque tunc, neque vnquam alias veniret. Quæ certè ratio concludit efficaciter aduerſus

meritum, condignum, quod componi nequaquam poteſt, cum demerito eiuſdem rei. Nihil verò concludit aduerſus meritum purè diſpoſitiuum, ſolumque de congruo congruitate latè ſumpta, quod videlicet componi poteſt cum demeritis, vtcumque magnis eiuſdem rei, vt patet in attritione diſponente ad iuſtificationem; inque alijs meritis peccatoris, vt conuertatur à Deo, & ad Deum.

Ad 3. & 4. Conceditur totum; quia ſolùm impugnant meritum impetratorium propriè tale in ratione impetratorij, reſpectu præmij habentis contingentiam vt ſit, vel non ſit dependenter à voluntate merentis motà à Deo ad operandum propoſitione præmij obtinendi, ſi eliciat actus meritorios; ſin minus non ponendi à parte rei; Quale meritum iam ſuperiùs negatum eſt. Cæterum aduerſus meritum diſpoſitiuum & de congruo latè tale nihil probant eadem argumenta vt patet. Huiuſmodi enim meritum inducitur à Deo, quia vult inducere eius terminum; non verò ideò determinatur ad ponendum eundem terminum à parte rei, quia voluntas creata priùs determinatur ad eliciendos actus taliter meritorios.

Ad 5. Idem effectus poteſt à diuerſis cauſis pro eodem inſtanti & loco procedere, quantum eſt ex ſe & è conuerſo pro diuerſis inſtantibus & locis poteſt pendere ab eàdem cauſà. Vnde determinatio effectus ad tale inſtans, vel ad talem locum non eſt ex ſua ratione determinatio ad talem cauſã vel è conuerſo; ſicut determinatio ſubiecti, vt ſit album, aut nigrum, non eſt determinatio vt ſit dulce, aut amarum. Quia videlicet vniuerſaliter ſunt inter ſe diſtincta, quæ ſunt ãnuicem ſeparabilia, non ſolùm

logicè;

logicè; ſed realiter etiã vt ſunt in ſe à parte rei. Quare actio productiua rei; quæ eſt determinatio ad talem cauſam, vtque effectus ſit ſimpliciter à parte rei, eſt diſtincta à duratione, & vbicatione, quæ ſunt determinationes ad tempus, & locum. Igitur licet nullum dari potuerit meritum vllius rationis reſpectu Incarnationis quoad ſubſtãtiam; non tamen inde conficitur, dari non potuiſſe reſpectu eiuſdem quoad dictas circumſtantias.

Ad 6. Conſequentia eſt bona, & eius probatio eſt efficax, ſed antecedentis probatio nihil conuincit, iuxta eum illius ſenſum; qui ſuperius expoſitus eſt. Quod enim dona Gratiæ collata Virgini ante omnes actus liberos ipſius, fuerint propria iam electæ in Matrem Dei non tollit, quin actus deinde conſequentes fuerint itidem proprij futuræ Matris Dei; ideoque quod Mater Dei diſpoſita fuerit partim donis Dei collatis nondũ ipsà quidquam agente liberè partim Dei donis eidem formaliter liberis; ideoque meritorijs modo dicto.

QVÆSTIO XX.

Vtrum vnio Hypoſtatica ſit modus realiter diſtinctus ab extremis?

VIDETVR non eſſe diſtinctum. 1. Quia Deus ſecundum ſe indifferens, vt velit, aut nolit vniri humanitati conſtituitur determinate volens vniri per aliquid ab ipſo Deo realiter indiſtinctum. Ergo ſimiliter Verbum Diuinum ſecundum ſe indiffe-

meritum condignum, quod componi nequaquam poteſt cum demerito eiuſdem rei. Nihil verò concludi t aduerſus meritum purè diſpoſitiuum, ſolumque de congruo congruitate latè ſumpta, quod videlicet componi poteſt cum demeritis, vtcumque magnis eiuſdem rei, vt patet in attritione diſponente ad iuſtificationem; inque alijs meritis peccatoris, vt conuertatur à Deo, & ad Deum.

Ad 3. & 4. Conceditur totum; quia ſolùm impugnant meritum impetratorium propriè tale in ratione impetratorij, reſpectu præmij habentis contingentiam vt ſit, vel non ſit dependenter à voluntate merentis motà à Deo ad operandum propoſitione præmij obtinendi, ſi eliciat actus meritorios; ſin minus non ponendi à parte rei; Quale meritum iam ſuperiùs negatum eſt. Cæterum aduerſus meritum diſpoſitiuum & de congruo latè tale nihil probant eadem argumenta vt patet. Huiuſmodi enim meritum inducitur à Deo, quia vult inducere eius terminum; non verò ideò determinatur ad ponendum eundem terminum à parte rei, quia voluntas creata priùs determinatur ad eliciendos actus taliter meritorios.

Ad 5. Idem effectus poteſt à diuerſis cauſis pro eodem inſtanti & loco procedere, quantum eſt ex ſe, & è conuerſo pro diuerſis inſtantibus & locis poteſt pendere ab eàdem cauſà. Vnde determinatio effectus ad tale inſtans, vel ad talem locum non eſt ex ſua ratione determinatio ad talem cauſã vel è conuerſo; ſicut determinatio ſubiecti, vt ſit album, aut nigrum, non eſt determinatio vt ſit dulce, aut amarum. Quia videlicet vniuerſaliter ſunt inter ſe diſtincta, quæ ſunt inuicem ſeparabilia, non ſolùm

logicè;

logicè; ſed realiter etiã vt ſunt in ſe à parte rei. Quare actio productiua rei; quæ eſt determinatio ad talem cauſam, vtque effectus ſit ſimpliciter à parte rei, eſt diſtincta à duratione, & vbicatione, quæ ſunt determinationes ad tempus, & locum. Igitur licet nullum dari potuerit meritum vllus rationis reſpectu Incarnationis quoad ſubſtãtiam; non tamen inde conficitur, dari non potuiſſe reſpectu eiuſdem quoad dictas circumſtantias.

Ad 6. Conſequentia eſt bona, & eius probatio eſt efficax, ſed antecedentis probatio nihil conuincit, iuxta eum illius ſenſum; qui ſuperius expoſitus eſt. Quod enim dona Gratiæ collata Virgini ante omnes actus liberos ipſius, fuerint propria iam electæ in Matrem Dei non tollit, quin actus deinde conſequentes fuerint itidem proprij futuræ Matris Dei; ideoque quod Mater Dei diſpoſita fuerit partim donis Dei collatis nondũ ipsâ quidquam agente liberè partim Dei donis eidem formaliter liberis; ideoque meritorijs modo dicto.

QVÆSTIO XX.

Vtrum vnio Hypoſtatica ſit modus realiter diſtinctus ab extremis?

VIDETVR non eſſe diſtinctum. 1. Quia Deus ſecundum ſe indifferens, vt velit, aut nolit vniri humanitati conſtituitur determinate volens vniri per aliquid ab ipſo Deo realiter indiſtinctum. Ergo ſimiliter Verbum Diuinum ſecundum ſe indifferens,

rens, vt in tempore vniatur, & non vniatur humanitati, conſtituitur determinatè vnitum per aliquid realiter indiſtinctum ab ipſo Verbo.

2. Duo aliqua extrema eſſe vnita, quæ ante vnita non erant, non ſignificat diuerſam rem iiſdem ſuperadditam; ſed ſolũ quod extrema diuerſo modo ſe habeant ad inuicẽ, nunc, quam prius; Ita vt alterum ab altero perficiatur, cùm antecedenter ab eodem nõ perficeretur. Ergo vt Verbum, & Humanitas inuicem copulẽtur, non eſt opus entitate modali realiter ab vtriſque diſtincta; ſed ſufficit Verbum diuinum fungi modo erga Humanitatem munere, quo antea non fungebatur, aliterque ſe habere, quam haberet antea reſpectu eiuſdem, vniendo ſe per ſeipſum immediate ſicut eam perficit immediate per ſeipſum, & non mediate cõmunicando prius perfectionem entitati modali, ex qua deinde immediate refundatur in humanitatem.

3. Quod eſt indifferens vt ſit dextrum, vel ſiniſtrum reſpectu alterius poteſt conſtitui determinatè vel dextrum, vel ſiniſtrum nullà facta reali additione vel dextro, vel ſiniſtro, vel vtrique. Ergo etiam indifferẽs vt ſit vnitum, vel non ſit vnitum, poteſt ad alterutrum horum determinari nullà factà additione, aut detractione modi realiter diſtincti.

4. Si vnio hypoſtatica diſtingueretur à Verbo & Humanitate eſſet accidens: Quidquid enim aduenit entibus in ſuo genere, & ordine perfectis, ac completis, eſt accidens; Sed vnio aduenit Verbo, quod eſt perfectiſſimum in omni genere, & Humanitati, quæ eſt completa, & perfecta in genere, & ordine naturæ creatæ. Ergo vnio hypoſtatica

eſt

eſt accidens; atque adeò eſt vnio accidentalis, quod eſt abſurdum. Quia paſſim a ſanctis Patribus, & Scholaſticis vocatur vnio ſubſtantialis, & præterea inde ſequeretur Chriſtum Dominum eſſe quoddam totum accidentale; tale namque eſt totum, qualis eſt eius totalitas.

5. Si vnio hypoſtatica, eſſet modus ab extremis realiter diſtinctus, eſſet imperfectiſſima. De ratione namque modi eſt vt ſit accidens imperfectiſſimum, minimæque entitatis; vtque nec realitatem nec nomen rei abſolutæ habeat, mereaturue; Vnio autē hypoſtatica ab omnibus tam ſanctis Patribus, quàm Doctoribus Scholaſticis, agnoſcitur maximæ perfectionis, admirabilis, & incomprehenſibilis, diciturque ſuperare perfectione omnes res alias creatas, omniaq; dona, tàm ſupernaturalia, quàm naturalia. Ergo vnio hypoſtatica non eſt modus.

6. Si vnio hypoſtatica eſſet modus diſtinctus realiter à Verbo, eſſet producta à totà Trinitate; quia omnes effectus ad extra ſunt communes toti Trinitati. Ergo tota Trinitas, & non ſolum Verbum diuinum aſſumpſiſſet Humanitatem. Quia illi conuenit aſſumere, cui conuenit eſſe cauſam vnionis ad extremum aſſumptum. Ideo enim non dicitur Humanitas aſſumere Verbū; tametſi illi vniatur; quia ipſa nec eſt vnio, nec principium vnionis. Solum autem Verbum, & non tota Trinitas dicitur aſſumens reſpectu Humanitatis.

7. Non eſt maior ratio ponendi modum vnionis realiter diſtinctum reſpectu vnius partis humanitatis, potius quam alterius. Quapropter ponendæ eſſent tot vniones inter ſe realiter diſtinctæ, quot ſunt partes aſſumptæ, quæ eſt nimia vnionum multipli-

catio ab ijs etiam omnibus, & meritò negata, qui admittunt modum realiter diſtinctũ. Ergo non eſt admittendus talis modus.

8. Vnio realiter diſtincta ab extremis vnitis eſt vera compoſitio vnitorum addens rationem talis, æqualiter reſpectu vtriuſque extremi vniti; quia vtrumque æqualiter, eademque ratione afficit. Verbum autem Diuinum non eſt capax, quod veniat in cõpoſitionem cum aliquo. Quia eſſentialiter eſt vltimò completum in ſe, & per ſe præcisè; cum componentia ſint incompleta reſpectu compoſiti.

R. *Verbum caro factum eſt*, vt habetur Io. 1. Fieri autem caro non potuit, quin aliquid fieret, præter ea omnia quibus factis, nondũ verificatur, Verbum carnem factum eſſe. Omnia autem alia præter modum vnionis fieri potuere, quin verificaretur, Verbum carnem factum eſſe. Humanitas namque ipſa, ſimul cum cæteris omnibus quæ ſunt illi connaturalia, nec non cum omnibus donis abſolutis eidem conferibilibus, fieri potuit quin illi vniretur Verbum diuinum; Atq; ideò, quin Verbum fieret caro. Humanitas enim quæ de facto aſſumpta eſt, eſt eiuſdem rationis cum cæteris humanitatibus, quæ exiſtunt abſque defectu vllius rei ſibi connaturalis, quin vniantur Verbo, eademque eſſet ratio de donis quibuſuis ſupernaturalibus abſolutis, quæ ſunt illis conferibilia. Quandoquidem nullum ex illis eſt ex ſe vnitiuum cum Verbo. Ergo neceſſe eſt fateri, præter huiuſmodi omnia, factum eſſe modũ vnionis diſtinctum realiter ab extremis, ratione cuius verè & propriè facti, verbum verè & propriè dicatur factum Caro. Nec enim vox iſta Euangeliſtæ expreſſiua tanti myſterij, & coniuncta cum vocibus cæteris

retentis

retentis in ſignificatione propriâ, alienanda facile eſt à ſignificatione ſua propriâ factionis propriè talis. Alienetur verò neceſſe eſt ſi nihil propriè dicatur fieri, ratione cuius Verbum ſit Caro, atque hoc neceſſe eſt, vt dicatur ſi negetur modus vnionis realiter diſtinctus ab extremis, ideòque propriè factus.

Accedit notiſſimum principium. Quæ ſunt realiter ſeparabilia, ſunt realiter diſtincta; ſed coëxiſtentia Verbi Diuini & humanitatis, quæ de facto aſſumpta eſt, eſt ſeparabilis realiter ab vnione vtriuſque. Ergo hæc vnio diſtinguitur realiter ab ea coëxiſtentia. Idemque fit argumentum de omnibus alijs, quæ ſunt neceſſario coniuncta cum ea coëxiſtentia. Maior propoſitio non indiget probatione; quia nihil notius eſſe poteſt, quàm nihil ſeparari realiter poſſe à ſeipſo; atque adeò ab aliquo realiter identificato ſecum. Eſt itidem manifeſta propoſitio minor; quia de facto datur coëxiſtentia Verbi diuini cum alijs humanitatibus realiter ſeparata ab vnione eiuſdem cum ijſdem. Idem autem contingere potuit humanitati, quæ de facto vnita eſt Verbo, quod contingit humanitatibus de facto non vnitis: Siquidē hæ, & illa ſunt eiuſdem adæquatè rationis in ſe intrinſecè. Iſtud porro argumentum æqualiter probat diſtinctionem realē vnionis ab extremis vnitis, ſecundum omnia & qualibet prædicata, & cõceptus obiectiuos realiter identificatos cum ipſis à parte rei. Quia caſu, quo Verbum & humanitas realiter ſibi inuicem coëxiſterent, quin realiter ſibi inuicem vnirentur, æqualiter retinerent omnia, & quælibet prædicata, atque conceptus obiectiuos realiter identificatos cum ipſis.

H 4 Ad

Ad 1. Mirum eſt nonnullos Theologos vſque adeo fidenter vti pro alijs rebus explicandis exemplo actuum liberorum Dei, quibus nihil eſt in Theologia latebroſius, magiſque indigum expoſitionis. Deinde, quidquid Deus libere vult, vult ab æterno, & nihil eſt ab æterno extra Deum. At verbũ vniri humanitati incepit in tẽpore, adeòq; eſt diſtinctũ realiter à Deo, cuius nullũ prædicatũ realiter identificatum cũ ipſo incipit eſſe in tẽpore. Ergo exẽplũ illud eſt abs re.

Quod ex alio præterea capite manifeſtatur. Quia actus liber Dei eſt habitudo ipſius Dei ſecundum ſe ad res creatas. Atque ex myſterio Trinitatis cõſtat Deum ſecundum diuerſas formalitates eſſe capacem prædicatorum inuicem contradicentium propter ſuam infinitatem, vt exponetur in quæſt. de Deo. At vnio hypoſtatica non ſolùm eſt habitudo Verbi diuini ad rem creatam; ſed etiam rei creatæ ad Verbum diuinum, nec illi ſoli, ſed etiam huic, quando ſunt inuicẽ vnita, conuenit contradictorium eius, quod conueniret, caſu quo non eſſent inuicem vnita. Res autem creata ob finitatem, & limitationem ſui, non eſt capax prædicatorum contradicentium ſecundum diuerſas formalitates, vt ibidem clarà ratione demonſtrabitur. Ergo hoc etiam ex capite, apparet illud exemplum eſſe abs re, nihilq; prorſus concludere.

Denique actus liber Dei, quo vult vniri humanitati neceſſe eſt, vt habeat obiectum aliquod peculiare realiter volitum ab ipſo, diſtinctũ ab ijs omnibus obiectis, quæ Deus poteſt velle, quin velit vniri humanitati. Alias enim ea volitio erit ſui tantùm ipſius volitio, quatenùs differt ab alijs omnibus actibus Dei liberis non volentibus vnionem.

Repu-

Repugnat autem vnam volitionem diuinam differre ab aliquà aliâ volitione diuina, præciſe quatenùs eſt volitiua ſui; quia hoc prædicatum eſt commune omnibus Dei volitionibus, & repugnat vnum ab alio differre per id quod eſt vtrique commune.

Ad 2. Verbum diuinum, & Humanitatẽ, quatenùs inter ſe vnita, tantum quoad modum differre â ſeipſis quatenus inuicem nõ vnitis, non eſt illud punctum, de quo inſtituitur præſens controuerſia. Id enim vtraque ſententia auctorum ſibi inuicem contradicentium concorditer admittit. Solùm igitur controuertitur, vtrum ille modus, ſecundum quem tantummodo dicuntur differre inter ſe ea extrema quatenùs vnita, & quatenùs non vnita inuicem, diſtinguatur ab eiſdem realiter. Quare cum ij auctores, qui negant diſtingui realiter, dicunt differentiam eſſe tantummodo penes modum ſe habendi, interrogandi ſunt: An *τὸ penes modum* ſuperaddant vocibus ſignificantibus Verbum diuinum, & humanitatem, atque vtriuſque coexiſtentiam ad ſignificandum aliquid ita diſtinctum, a toto ſignificato reali iſtarum poſteriorum vocum; ſicuti eædem poſteriores voces diſtinguuntur ab ijs vocibus, *Penes modum*? ſi affirment. Ergo modus vnionis diſtinguitur realiter ab extremis vnitis, non minus quam diſtinguatur realiter *τὸ penes modum*, à reliquis vocibus. Si negent iam tum demonſtrant ſe verbis ludere; quandoquidem ſuperaddunt nouas voces abſque animo ſignificandi nouam rẽ. Quibuſcunque verò vocibus denuò ſuperadditis, tentent elabi ex vi interrogationis & vtriuſque ſequelæ, premendi ſunt ſimili interrogatione circa ſignificatum nouarum vocum; An videlicet voces de nouo ſuper-

additæ, habeant ſignificatum diſtinctum à parte rei à ſignificato priorum vocum, & vtcumque reſpondeant ſemper cum eadem vi redibunt eædem illæ ſequelæ, quo vſque fateantur palam non ſignificare idem realiter & à parte rei, eum qui dicit, Verbum diuinum coexiſtit humanitati, & dicẽtem, Verbum diuinum eſt vnitum humanitati. Quapropter Verbum diuinum fungi erga humanitatem munere, quo ante non fungebatur, & aliter ſe habere eſt exiſtere nunc entitatem modalem, qua formaliter determinatur, vt fungatur eo munere complendo & perficiendo humanitatem immediatè vt *quòd*, licet vt *quo* tanquam purum determinatiuum, mediet aliquid.

Ad 3. Omne indifferens ad aliqua duo determinatur formaliter ad vtrumuis eorũ per aliquid realiter ſibi ſuperadditum, nec fieri poteſt vt indifferentia & determinatio eiuſdem ad idem, ſiue eorumdem ad inuicẽ identificentur inter ſe adæquatè. Quia indifferens ad vtrumlibet ex duobus poteſt exiſtere abſque determinatione ad alterutrum eorum, & nihil ſine ſeipſo exiſtere poteſt. Quare quod eſt indifferens vt ſit dextrum & ſiniſtrum determinari non poteſt, vt vel dextrum ſit vel ſiniſtrum abſque aliquo ſibi ſuperaddito. Nimirum per tales determinatas vbicationes ipſius dextri & ſiniſtri, & per tales determinatas durationes earum vbicationum, quæ tam vbicationes, quàm durationes diſtinguuntur realiter ab entitate abſoluta, quæ eſt dextrorſum, & ab eà, quæ eſt ſiniſtrorſum. Negatur igitur antecedens, quod manifeſtius eſt falſum, quàm conſequens.

Ad 4. Eſt quidem completa Humanitas in ratione naturæ ante vnionẽ cũ verbo; nõ

tamen eſt vltimò completa ſubſtantialiter quia deeſt illi ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum, quod eſt vltimum complementum ſubſtantiale naturæ ergo vnio Hypoſtatica ſiue diſtincta ſiue non diſtincta ab extremis, quia ſuperaddit iſtiuſmodi complementum, eſt completiua naturæ non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter, vnde ipſa quoque eſt quid ſubſtantiale.

Ad 5. De perfectione vnionis Hypoſtaticæ ſecundum ſe præcisè conſideratæ infra dicetur. Nam quodad teſtimonia attinet ſanctorum & ſcholaſticorum dicentium eam eſſe mirabilem, incomprehenſibilem &c. nihil intereſt, an ſit, vel non ſit modus realiter diſtinctus ab extremis. Etenim quæ dicuntur vſq. adeò magnificè de iſtâ vnione, accipienda ſunt de ipsâ ſumpta in concreto, non verò de ipsâ ſecundum ſe & in abſtracto. In concreto autē, ideſt, prout ſimul includit extrema vnita ſemper eſt admirabilis & incomprehenſibilis, ſiue diſtinguatur ab illius realiter ſiue non diſtinguatur vt per ſe ſatis patet.

Ad 6. Imò oppoſita ſententia difficulter aut nullo modo exponere poteſt differentiam aſſumentis, & aſſumpti. Quia aſſumere, ſeu ad ſe ſumere, eſt vniri & ſimul producere vnionem; quæ duo ſimul, quia ſolum Verbum diuinum præſtat, propterea ipſum ſolum aſſumit. Aſſumi verò eſt vniri abſque productione vnionis; Et quia hoc conuenit ſoli humanitati, propterea ſola ipſa aſſumitur à Verbo. Iam tota Trinitas ſolùm dicitur vnire mutuò Verbum & Humanitatem. Quiā vnire eſt vnionem producere, quod præſtat æqualiter tota Trinitas. In ſententia contraria non datur productio vnionis vnde non habet ratio-

nem diſcriminis pro eiuſmodi locutionibus, atque ſententijs ſolidè ſtabiliendis, vel certè eam non habet ſatis expeditam ac illuſtrè.

Ad 7. Sententia contraria non poteſt vti eà obiectione, quia neceſſe eſt vt vniones multiplicet pro multiplicitate partium vnitarum; quandoquidem illas ab iſtis non diſtinguit realiter. Probabilius autem eſt abſolutè duas tantum dari vniones, Hypoſtaticas partiales, alteram terminatam ad vnionem naturalem inter Animam & Corpus; alteram terminatam indiuiſim ad Animam, Corpus, Sanguinem, & ad reliquas partes abſolutas immediatè aſſumptas. Ratio huius diſtinctionis eſt, quia intriduo mortis deficiente vnione hypoſtaticà ad vnionem naturalem inter Animam, & Corpus; quæ vnio pro eo tempore non fuit in rerum natura, ac proinde non terminauit vnionem Hypoſtaticam; manſerunt nihilominus vnita Verbo ſicut prius Corpus & Anima, & reliqua pertinentia ad complementum ſubſtantiale integrale humanitatis. Ratio non multiplicandi plures vniones pro multiplicitate partium ſeu eſſentialium, ſeu integralium humanitatis, eſt quia verbum diuinum eas omnes aſſumpſit per modum vnius; ita vt Animam aſſumeret ratione ſui, vnde dicitur *immediatè aſſumpta à verbo*; reliqua verò aſſumeret ratione Animæ, vnde dicuntur aſſumpta mediante Anima. vti docent D. Thomas, & alij communiter in præſenti. Quod tamen non rectè diceretur, ſi ad ſingulas partes ſingulæ vniones terminarentur vna quaque vnione reſpiciente æquè immediatè & per ſe, eam partem, ad quam terminaretur. Satius igitur eſt admittere duas tantùm vniones Hypoſtaticas partiales. Si quis tamen

contendat vel ſimplicem tantùm vnionem Hypoſtaticam eſſe admittendam; atque in triduo mortis ſucceſſiſſe aliam adæquatè diſtinctam entitatiuè à priori; vel tot eſſe ponendas vniones hypoſtaticas partiales quot ſunt partes realiter inter ſe diſtinctæ pertinentes ad eſſentiam & integritatem humanitatis, atque reliquas vniones eſſe, intrinſecè connexas cum vnione ad animã, eidemque ſubordinatas ex ſuà naturà, & ex intentione diuinà. Si quis inquam, hæc cõtendat, vtrumuis facilè concedi poteſt, quia vtrumuis eſt probabile, & controuerſia, vt apparet, eſt leuis.

Ad 8. Certum eſt admittendam eſſe in Chriſto aliquam compoſitionem, ratione cuius Chriſtus Dominus ſit aliquo modo compoſitus, vt colligitur apertè ex 5. ſynod. act. 8. can. 4. Idemque aſſerunt aliqua alia Concilia, & communiter Sancti Patres apud Suar. diſp. 5. ſect. 4. Verùm compoſitio alia eſt phyſica, & naturalis conflans vnum per ſe ex duobus inuicem incompletis, quorum proinde quodlibet per vnionem mutuam compleatur, ac perficiatur. Et huiuſmodi ſunt omnia compoſita naturalia. Alia compoſitio eſt purè numeralis, intrinſecè ſupernaturalis, & exiſtens per modum quemdam ineffabilem, vt loquitur D. Thomas, & alij communiter, conſtituens vnum per ſe ex duobus, quorum alterum eſt imperfectum, & incompletum ex ſe, atque complebile, & perfectibile per alterum, cuiuſmodi eſt Humanitas reſpectu verbi. Alterum verò eſt eſſentialiter vltimò completum, & habens in ſe omnem perfectionem, ideòque minimè complebile, aut perfectibile per alterum extremum, cuiuſmodi eſt Verbum diuinum. Quapropter vnio Hypoſta-

poſta-

poſtatica: licet æqualiter vniat Verbum humanitati, & humanitatem Verbo; non tamẽ eodem modo afficit vtrumque hoc extremum. Perficit enim & complet humanitatem, vt quo, ideòque eam immutat intrinſecè immutatione propriè tali: At Verbum diuinum neque complet, neque perficit vllo modo; ac proinde neque immutat intrinſecè, quia neque ſuperaddit illi, neque detrahit vllam perfectionem, quorum alterum eſt de conceptu immutationis intrinſecæ. Quare Verbum diuinum vnitur humanitati quaſi actiuè communicãdo illi ſuam perfectionem: Humanitas verò vnitur Verbo purè paſſiuè recipiens, & non conferens perfectionem: Igitur modus vnionis Hypoſtaticè eſt quidem vera compoſitio ex verbo, & humanitate; non tamẽ eſt vera immutatio vtriuſque, ſed ſolius humanitatis, atque ideò non eodem modo afficit vtrumque hoc extremum, ſed cum diſcrimine explicato.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum vnio facta fuerit in ſolà Perſona an etiam in natura Diuina?

VIDETVR facta fuiſſe, & quidem æquè immediatè in vtraque. Quia natura eſt idem cum Perſonà. Ergo non potuit vnio terminari ad Perſonam, quin æquè immediatè terminaretur à parte rei ad Naturam.

2. Vnio

2. Viſio Beatifica, quæ eſt vnio intentionalis videntis & viſi, non poteſt terminari immediatè ad perſonas, quin terminetur immediatè ad naturam. Ergo à fortiori vnio hypoſtatica, quæ eſt vnio realis ac hyſica attingens ſuum terminum vt eſt phyſicè in ſe à parte rei, non poteſt immediatè terminari ad perſonam, quin terminetur immediatè ad naturam.

3. Vnio hypoſtatica eſt maxima perfectio humanitatis. Ergo vnit immediatè humanitati maximam perfectionem. Sola autem Natura diuina ſecundum ſe eſt maxima perfectio ratione ſui; cùm Perſonalitates ſecundum ſe, & ratione ſui præcisè nullam dicant perfectionem, vt ſupponitur ex quæſtionibus de Deo. Ergo vnio Hypoſtatica vnit immediatè Naturam diuinam Humanitati.

R. Omnis ſubſtantia completa conſtat natura, & ſuppoſito. Natura dicitur, quod pertinet ad rationem ſpeciei, vt conſtat ex definitione Boetij lib. de duab. natur. paulo poſt principium: *Natura eſt vnamquamque rem informans ſpecifica differentia*: Et iterum prope medium. *Natura eſt cuiuslibet ſubſtantia ſpecifica proprietas*. In eundem ſenſum præiuit Philoſophus 5. met. cap. 8. text. 15. definiens ſubſtantiam ſumptam pro Naturà, his Verbis. *Quod quid erat eſſe, cuius ratio eſt & definitio: Et hæc ſubſtantia videtur vniuſcuiuſque*. Suppoſitum verò, ſeu ſubſiſtentia, & hypoſtaſis eſt quod pertinet ad rationem indiuidui. Vnde Athanaſius tract. de definitionib. colum. 3. *Facies*, ait, *Character, hypoſtaſis & indiuiduum vnum & idem ſunt*. Et Boetius loco citato, Perſonam, quæ eſt vna ſpecies ſuppoſiti, definit, *rationalis Naturæ Indiuiduam ſubſtantiam*, vtraque

iſtarum

iſtarum vocum vſurpatio confirmatur validè ex Conc. Florent. ſeſſ. 18. à 9. *Diuina ſubſtantia.* Vbi tacitè approbat Græcos cum Latinis communi conſenſu ſupponentes *ſubſtantiam* (ſumptam vtique pro natura) *à perſonà differre, vt communicabile ab incõmunicabili, & vt commune differt à proprio.* Similiter Iuſtinianus Imperator in Edicto fidei propè med. ait, *Omnes Sãctos Patres cõſonanter nos docere,* *Naturam quidem, vel ſubſtantiam, vel formam, hoc quod eſt commune ſignificare Subſtantiam autem,* ſiue *perſonam, hoc quod eſt ſpeciale.* Communicabile porrò, & commune aliud eſt tale logicè tãtum & ſecundum prædicationem, vt homo, leo, equus: Aliud phyſicè, & ſecundum realitatem, idque vel copulatiuè, vt diuinitas, quæ eſt à parte rei communis, & identificata tribus ſimul Perſonis: vel diſtributiuè, ac diuiſim, vt humanitas qualibet, quæ à parte rei, eſt communicabilis, & vnibilis cuilibet ex ſubſiſtentijs potentibus ipſam vltimò complere. Atque hæc vtraque poſterior communitas ſubintelligitur in auctoritatibus præallegatis; ſiquidem prior illa poteſt etiam indiuiduationi accommodari.

Iam vnio hypoſtatica non eſt facta ex parte Dei immediatè & formaliter ſecundum id, quod eſt tribus Perſonis commune; Quia inde fieret, vel omnes tres perſonas fuiſſe vnitas Humanitati; vel nullam earum, & vtrumque eſt contra Euangelium, ex quo conſtat, quod nec Pater, nec Spiritus Sanctus, nec nulla Perſona Diuina, ſed *Verbũ Caro factum eſt*; ideòque nec omnes tres perſonas, nec nullam earum, fuiſſe vnitas Humanitati. Ergo vnio hypoſtatica facta eſt in Perſonà, & non in natura diuina, idque

eſt

eſt ex fide certum, vt oſtendit inter alios Suarez diſp. 7. ſect. 2. & 3. multis Pontificum, & Conciliorum teſtimonijs definientibus aduerſus Neſtorium, vnionem in Perſonâ diuina. Et aduerſus Eutychetem, negationem vnionis in Naturâ.

Ad 1. Licet natura, & perſona diuina ſint idem realiter diſtinguuntur tamen virtualiter intrinſecè; ſuntque proinde capaces in ſe obiectiuè prædicatorum contradicentium, qualia ſunt generari Verbum Diuinum, & non generari Naturam diuinam. Non ſunt autem magis incompoſſibilia inuicem, & ratione aliqua ſpeciali, vniri Verbum immediatè, & non vniri immediatè Naturam. Potuit igitur alterum ſine altero dari, non obſtante identitate reali Verbi & Naturæ diuinæ. Imò neceſſe fuit ita dari; quia cum Humanitas eſſet omninò completa in ratione Naturæ, non erat capax, quæ immediatè vniretur alteri Naturæ.

Ad 2. Motiuum formale adæquatum viſionis cuiuslibet immediatæ Dei eſt ſola Natura diuina; atque hæc quatenus eſt motiuũ viſionis ipſum formaliter repræſentantis, non diſtinguitur virtualiter intrinſecè à ſeipſa, quatenus eſt motiuum viſionis formaliter repræſentantis perſonas; quia vtrumque ipſi conuenit ſecundum ſe præciſè conſideratæ. Quare fieri non poteſt, vt detur viſio immediata Naturæ diuinæ, quin detur viſio immediata perſonarum ſecundum eundem perfectionis & claritatis, aut imperfectionis, & obſcuritatis gradum. Quia motiuum continens indiuiſim eadem exhibeat, atque ponat ſub oculos neceſſe eſt ipſum immediatè videnti, ac inſpicienti, vt eſt in ſe. At capacitas terminandi immediatè vnionem vltimò perſonaliter

liter completiuam Naturæ creatæ, conuenit perſonalitati ſecundum ſe, vt diſtinctæ virtualiter à Natura, cui repugnat complere vltimo per ſe ipſam Naturam creatam; ac proinde perſonalitas verbi non eſt ſimiliter per ſeipſam capacitas Naturæ diuinæ ad terminandam immediatè vnionem vltimò completiuam Naturæ creatæ. Eſt igitur diſpar manifeſtè ratio de viſione, & vnione, vtcumque illa ſit intentionalis, & hæc phyſica coniunctio, quod nihil refert.

Ad 3. Vt vnio hypoſtatica ſit maxima perfectio Humanitatis, ſufficit per illam vniri mediatè naturam Diuinam naturæ humanæ, vt infra oſtendetur quæſt. 24.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum ſola, & tota Humanitas aſſumpta fuerit?

VIDETVR nec ſolam, nec totam aſſumptam fuiſſe. 1. Quia Auguſtinus cap. 2. de Agone Chriſtiano: *Filius Dei*, ait *Hominem aſſumpſit*. Eumdem loquendi modum vſurpat frequenter in libr. de Ciuit. & alibi. Eadem phraſis de homine aſſumpto habetur in Conc. Tolet. 6. & 11. & eſt familiaris non paucis Patribus relatis, ſimul cum duabus Epiſtolis Conciliaribus, ab Eminentiſſ. de Lugo diſp. 13. ſect. 2. Homo autem ſuperaddit perſonam vltra humanitatem. Ergo non hæc ſola aſſumpta eſt.

2. Repugnat aſſumi à verbo Diuino Naturam

turam irrationalem propter incapacitatem illi eſſentialem, vt dignificetur, aut ſpeciali aliqua ratione perficiatur à Verbo; cum repugnet verbo Diuino, vt aſſumat perperam naturam aliquam, & miraculum efficiat omnium maximum, abſque vlla prorſus vtilitate. Quod in nullo vero miraculo euenire poteſt. Eſt enim de ratione veri miraculi, vt ſuperet abſolutè perfectione & vtilitate euentum naturæ rerum connaturalem, quem impedit, prout alibi traditum eſt. Corpus autem, quod eſt altera pars eſſentialis humanitatis, ſecundum ſe eſt prorſus rationis expers, & in triduo mortis Chriſti fuit priuatum ratione etiam per participationem ab anima. Ergo Corpus non fuit aſſumptum à Verbo; ac proinde nec tota Humanitas.

3. In Euangelio dicitur, *Verbum Caro factum eſt*; nec fit vlla mentio animæ, quæ certè Caro non eſt; & præterea Verbum ſufficit Corpori loco Animæ, vtpote idoneum illi conferre multò nobilius quidquid eidem Animæ præſtare poſſet. Ergo Anima non fuit aſſumpta à Verbo; & tamen eſt pars præcipua Humanitatis.

4. Sanguis, capilli, vngues, & ſimilia, quæ pertinent ad integritatem humanæ Naturæ non fuerunt aſſumpta; tùm quia non ſunt informata anima rationali: Tum quia Verbum diuinum, *Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*, vt habet Axioma commune ex Damaſc. lib. 3. Orthod fid. cap. 27. Sanguis autem dimiſſus eſt, & quidem multus. Idemque videtur certum de cæteris ei ſimodi. Ergo Verbum non aſſumpſit humanitatem ſecundum totam ſuam integritatem.

R. Tria ſunt certa. Primum eſt Verbum aſſump-

aſſumpſiſſe veram animam rationalem, & verum corpus humanum inter ſe vnita; adeòq; totam eſſentialiter humanam naturam ſeu humanitatem. De anima conſtat ex Ioan. 12. 27. & Matth. 26. 38. *Nunc anima mea turbata eſt. Triſtis eſt anima mea.* Conſtat rurſus de rationalitate Matth. 26. 15. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Et de genere, ac ſpecie ſimul, eſt clarum teſtimonium Ioan. 10. 17. *Ego pono animam meam &c.* De corpore conſtat ex Luc. 24. 39. *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* De vnione ſimul cum his duobus extremis, cõſtat ex 6. Synodo definiente act. 11. Verbum diuinum aſſumpſiſſe carnem animatam animà rationali, ideſt illi vnitam. Deinde ſi Verbum non aſſumpſiſſet veram animam rationalem vero corpori vnitam, non potuiſſet Chriſtus Dominus hæc omnia præſtare: Nimirum obedire, mereri, mirari, iraſci, contriſtari, eſurire, ſitire, colaphis cædi, flagellari, crucifigi, mori, & reſurgere; quæ tamen omnia cum ſimilibus permultis attribuuntur illi paſſim in Euãgelica narratione.

Secundum eſt Verbum non aſſumpſiſſe perſonam, ſeu ſuppoſitum, hypoſtaſim, & ſubſiſtentiam connaturalem humanæ naturæ; ac proinde ſolam in hoc ſenſu aſſumpſiſſe Humanitatem; non verò hominem, quatenùs hæc vox ſignificat naturam ſimul cum ſuppoſito eius proprio. Eſt veritas Catholica definita in Concilio præcipuè Epheſino, ad hoc maximè congregato, inq; alijs deinde pluribus Concilijs ſtatuentibus contra Eutychetem duas in Chriſto naturas, Diuinam & Humanam; & contra Neſtoriũ, Felicem, Eliſpandum, & alios vnitatem perſonæ. Vnde in Symbolo Athanaſij dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo;*

Ita

Ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus. Deus vtique ratione diuinæ naturæ; & homo ratione naturæ humanæ; Vnus verò ob vnitatem ſolius perſonæ diuinæ.

Tertium eſt verum ſanguinem aſſumptū fuiſſe à Verbo, non tantum mediatè & in hypoſtaſi; ſed immediatè & ſecundum hypoſtaſim; hoc eſt non ſolùm aſſumptam fuiſſe immediatè humanitatem, cui ineſſet verus ſanguis; ſed etiam ipſum ſanguinem aſſumptum fuiſſe æque immediatè per immediatam eiuſdem vnionem cum perſona Verbi. Hæc veritas licet non ſit æquè expreſsè de fide ſicut duæ præcedentes; tamen negari non poteſt abſque errore propter complura Conciliorum, Pontificum, & Patrum vrgentiſſima teſtimonia, quæ fusè producit Suar. diſp. 15. ſect. 6.

Confirmatur ex Myſterio Euchariſtiæ; quia Verbum diuinum adeſt per concomitantiam, non minus ſub ſpeciebus vini, quam ſub ſpeciebus Panis, vt colligitur ex Ioan. 6. 55. *Caro mea verè eſt cibus; & ſanguis meus verè eſt potus. Qui mandacat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo.* Et tamen ſub ſpeciebus Vini ſolus adeſt ſanguis ex vi verborum, ſicut ſub ſpeciebus panis ſolùm adeſt corpus. Ergo non aliter, aut minus immediatè eſt vnitus Verbo ſanguis, quam Corpus.

Supereſt quartum non vſque adeò certū; longè tamen probabilius oppoſito, & pleriſque Theologis probatum; Verbum diuinum immediatè, & ſecundum hypoſtaſim aſſumpſiſſe reliquos etiam tres humores, nec non cætera omnia, quæ ſpectant ad connaturalem integritatem, & perfectionem ſubſtantialem Corporis humani, vt capillos dētes & vngues. Primò quia hæc omnia comprehen-

prehenduntur communiter ſub hac voce, *Corpus humanum*, abſolutè prolata, prout communiter profertur a Concilijs, & Patribus; dum aſſeritur aſſumptum a Verbo Secundò, quia decebat Verbum diuinum, vt, ſiquidem aſſumeret naturam creatam, eam aſſumeret non ſolùm eſſentialiter, & formaliter; ſed etiam materialiter, & integraliter vndequaque perfectam, & completam, quatenùs cōgrueret fini aſſumptionis. Tertiò, quia eadem, aut fere eadem ratio eſt de ſanguine, cuius immediata aſſumptio eſt certa, ac de reliquis tribus humoribus; Nec longè diuerſa eſt, de cæteris, quæ illis adiuncta ſunt. Quandoquidem omnia pertinent ad conſtitutionem connaturalem, & complementum ſubſtantiale perfectiuum corporis humani. Sola igitur & tota humanitas aſſumpta eſt cum excluſione ſuppoſiti, ſeu ſubſiſtentiæ connaturalis, & cum incluſione omnium partium pertinentium ad ſubſtantialem eius perfectionem, & complementum connaturale.

Ad 1. Olim apud Philoſophos ante notitiam Incarnationis Verbi, hæc vox, *homo*, ſignificabat promiſcuè ac indifferenter, tùm naturam humanam ſeorſum; tùm coniunctim cum ſuppoſito: Sicut hodieque ſignificant, Ignis, Aër, Aqua, & ſimiles voces. Eadem indifferentia hæſit diu etiam apud Catholicos; & tandiu licuit dicere, quod Verbum aſſumpſiſſet hominem, ſubintellectà excluſione ſuppoſiti ex contextu, aut ex præſuppoſito principio fidei. At poſtea ob maiorem claritatem, & diſtinctionem cepit natura humana ſecundum ſe ſignificari ſolà hac voce, *Humanitas*. Homo verò in concreto prout complectitur naturam, & perſonam ſeu ſuppoſitum, hac aliâ ſolâ, *Homo*,

Atque

Atq; hæc diſtinctio, ac determinatio ſignificationum vſque adeo percrebuit, præſertim in Scholis, vt iam non liceat amplius, nec tutum ſit dicere, *Verbum aſſumpſit hominem*, vt docent D. Thom. q. 4. a. 3. & omnes deinceps Theologi; quia redolet iam, ſi & planè non continet, Neſtorianiſmum de dualitate perſonarum in Chriſto.

Ad 2. Sicut corpus ratione ſui præcisè non eſt capax præmij, aut ſupplicij, & tamen afficitur vtroque propter vnionem ad animam rationalem, quà & ipſum redditur rationale in concreto: Ita ob eandem vnionem eſt aſſumptibile à Verbo. Quà de cauſà à D. Thoma, & alijs communiter, dicitur aſſumptum mediante animà, vt ſupra iterum indicatum eſt, ideſt, aſſumptum habente aſſumptione animæ rationem finis præcipuè intenti, & non ita pendente ex natura rei ab aſſumptione corporis, ſicut hæc dependet ab illa. Nec in triduo mortis dependētia iſtà defecit; quia retenta eſt vnio Corporis ad Verbum, propter ordinem, quem retinuit, ad vnionem cum animà iterum redituram. Quapropter licet omnino repugnet aſſumi à Perſona diuina naturam irrationalē completam in ratione naturæ, nec ordinatā ad animam rationalem, ſaltem vt inſtrumētum eius coniunctum: Quod quidem videtur aliquando probabilius, ob rationem poſitam in obiectione; nihil tamen inde concluditur aduerſus aſſumptionem corporis humani, vel etiam humorum pertinentium ad perfectionem, & complementum integrale eiuſdem corporis in ratione idonei ſubiecti informationis, & inſtrumenti coniuncti reſpectu animæ rationalis.

Ad 3. Nomine carnis intelligitur eo in loco, vti & ſæpe aliàs in ſcriptura, & extra illam

illam, quæ propriè & abſolutè caro eſt, nempe viua & informata per animam. Expreſſa verò potiſſimùm eſt caro, vt excitaretur magis admiratio, magiſque Charitas erga Deum accenderetur per expreſſionem cóparationis extremorum ſub ea ratione, ſecundum quam maximè diſtant inter ſe, & nihilominus ſunt coniuncta amore noſtri. Quod ad ſufficientiam attinet, ea eſt, procul dubio, concedenda Verbo reſpectu corporis in genere cauſæ efficientis; non tamen in genere cauſæ, ſeu quaſi cauſæ formalis. Quia corpus non informatum anima non poteſt eſſe viuum & idoneum principium, ac ſubiectum operationum vitalium partis ſenſitiuæ, ac rationalis, vt dicetur infra quæſt. 27.

Ad 4. Conſtat ſatis ex reſponſione ad ſecundum quoad priorem rationem de informabilitate earum partium integralium, ſeu de defectu omnis immediatæ informationis per animam rationalem a cuius defectus veritate, vel falſitate, quæ eſt res valde dubia merito præſcinditur; quoad aſſumptionem immediatam earundem partium, præſertim quoad ſanguinem, & independenter ab ea quæſtione philoſophica recte defenditur, earum aſſumptio immediata, vt apparet ex reſponſione ad quæſtionem, & ex dicta reſponſ. ad 2. Quia videlicet ſpectant ad integralem perfectionem corporis, ſiue informentur, ſiue non, anima rationali, & conferunt corpori, vt ſit idoneum ſubiectum, & inſtrumẽtum perfectum animæ. Iam illud axioma, de nunquam dimiſſo eo, quod ſemel aſſumptum fuit, accipiendum eſt, vt docent Suar. & alij. In eodem illo ſenſu, quo dicitur animam non dimittere corpus dum viuit homo; licet multæ eius partes varien-

varientur interim ac dimittantur. Itaque Verbum nunquam dimiſit quod ſemel aſſumpſit per ſe, hoc eſt humanam naturam, quoad omnes eius partes eſſentiales, & integrales, dum non amiſerunt in perpetuum rationem talium partium.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum vnio hypoſtatica fundet communicationem idiomatum inter Deum & Hominem.

VIDETVR non fundare. 1. Quia communicatio idiomatum inter Deum & Hominem dicitur Prædicatio, eorum quæ ſunt propria naturæ diuinæ, de homine; & è conuerſo prædicatio, de Deo, eorum quæ ſunt propria naturæ humanæ. At huiuſmodi mutuam prædicationem nequaquam fundat vnio hypoſtatica; quia cum reipſa natura humana non communicetur Deo à parte rei; atqua prædicatio vera debeat conformari rebus vt ſunt à parte rei, non poſſunt communicari Deo per prædicationem prædicata quæ ſunt propria naturæ humanæ, & non communicantur Deo à parte rei. Quod verò non communicentur à parte rei, patet ex quæſt. 21. In qua dictum eſt Deum nõ immutari per vnionem hypoſtaticam; ideòque nihil illi de nouo accedere, aut communicari per eandem. Ergo vnio hypoſtatica non fundat communicationem, ſaltem mutuam, idiomatum inter Deum & Hominem; Quod ſi non fundat mutuam, nullam

omninò fundat. Quia vnio ex ſuo conceptu habet vt vtrumuis extremū æqualiter vniat, ac communicet alteri.

2. Nihil eſt magis proprium naturæ humanæ, quàm eſſe Humanitatem; nihilque eſt magis proprium naturæ diuinæ, quam eſſe diuinitatem. Hæc autem non communicātur; quia non poteſt dici, Homo eſt Diuinitas: Deus eſt humanitas. Si autem non communicantur quæ ſunt maximè propria vtriuſque naturæ, communicari conſequenter non poterunt, quæ vtriſque ſecundariò conueniunt. Ergo neque quæ ſunt propria naturæ humanæ communicantur Deo; neque è conuerſo.

3. Propriiſſimum eſt naturæ humanæ etiā in concreto eſſe creaturam, & incepiſſe in tempore. Hæc autem prædicari non poſsūt de Deo, aut de Verbo Diuino. Arrianum namque eſt dicere, Verbum, ſeu Filius Dei, aut etiam Chriſtus eſt creatura, incepit eſſe in tempore. Accedit non poſſe prædicari de aliquo, quæ continentur ſub aliqua ratione communi; Si de eodem prædicari non poſſit ipſa ratio communis; quia excluſio generis, includit in ſe excluſionem ſpecierum. Ratio autem creaturæ, eſt communis omnibus prædicatis proprijs naturæ humanæ. Ergo ſiquidem ratio creaturæ prædicari non poteſt de Deo, aut Verbo, aut de Chriſto, nihil eorum quæ ſunt propria naturæ humanæ prædicari de iiſdem poteſt.

4. Proprium eſt naturæ diuinæ tùm in abſtracto, tùm in concreto, eſſe vbique. Tam enim Diuinitas, quàm Verbum eſt vbique. Nequit autem dici de homine, aut de Chriſto, quod ſit vbique. Ergo quæ ſunt propria naturæ Diuinæ ſiue in abſtracto ſiue in concreto, non ſunt prædicabilia ratione

vnionis,

vnionis, de homine, & de Chriſto.

R. Idiomata dicuntur in præſenti, quæ ſunt cuiuſque propria relate ad prædicationem, & communicatio idiomatum dicitur conſequenter, prædicatio eorum quæ ſunt propria alicuius de aliquo alio. Diſtinguēda ſunt prædicata, quæ ſunt propria naturæ in abſtracto, ab ijs quæ ſunt propria eiuſdem in concreto; nec non ab ijs quæ ſunt propria eiuſdem tam in abſtracto, quàm in concreto. Quæ ſunt propria cuiuſque naturæ tantùm in abſtracto, non communicātur alteri naturæ, neque in abſtracto, neq; in concreto. Talia prædicata ſunt in natura humana, Humanitas, mortalitas, & ſimilia, quæ ita dicuntur de ipſa natura, vt non dicantur de homine. Ratio concluſionis eſt, quia natura humana & diuina, non ſunt vnitæ inter ſe immediate, vt dictum eſt quæſt. 21. Ideòque non datur fundamentum communicationis, quoad ea quæ ipſis conueniunt in abſtracto.

Alia ſunt prædicata propria cuiuſque naturæ, in concreto, includendo ipſum ſuppoſitum; & hæc prædicata communicātur mutuò ex vi vnionis. Talia prædicata ſunt, homo, paſſibilis, mortalis, eſuriens, ſitiens &c. Homo enim prout includens ſuppoſitum ratione ſuæ naturæ, eſt mortalis, paſſibilis &c. Et ſimiliter Deus eſt omnipotens, omniſcius, immortalis &c. Ratio concluſionis eſt; quia per vnionem hypoſtaticam, factum eſt idem ſuppoſitum commune vtrique naturæ. Ergo quæ ſunt propria cuiuſque naturæ in concreto, ſeu quatenùs includentis ſuppoſitum, facta ſunt communia vtrique naturæ in concreto, & prout includentis ſuppoſitum. Hac igitur ratione dici poteſt Homo eſt Deus, Deus eſt Ho-

mo: Homo eſt omnipotens, omniſcius &c. Deus eſt mortalis, patiens &c. Et ſimiliter dici poteſt, immortale moritur; impaſſibile patitur; æternum naſcitur in tempore.

Duo tamen obſeruanda ſunt, alterum eſt, eaſdem illas propoſitiones admitti non poſſe cum reduplicatione reſtringente ſuppoſitum ad alterutram naturam determinatè; cuiuſmodi ſunt iſtæ propoſitiones, Homo, vt homo eſt Deus; eſt omnipotens &c. Deus in quantum Deus eſt homo; eſt mortalis &c. Quia reduplicatio ſignificat prædicatum conuenire ſubiecto, ratione formæ, ſeu naturæ, vnde idem ſubiectum habet vt ſit homo, vel vt ſit Deus. Vnde perinde eſt prædicari concretum de concreto, cum tali reduplicatione; atque prædicari concretum de abſtracto, ſeu de natura ſecundum ſe; cuiuſmodi prædicationem, dictum eſt eſſe falſam; quia Homo non eſt Deus per formam, ſeu naturam hominis; hoc eſt, per naturam, ſeu formam vi cuius homo eſt homo: Et ſimiliter de Deo. Alterum eſt, propter eandem rationem, & communicationem idiomatum propter quam ſunt veræ propoſitiones affirmatiuæ, per quas quæ ſunt propria hominis prædicantur de Deo, & è conuerſo eſſe falſas propoſitiones negatiuas, per quas eadem de iiſdem negantur. Quia negatio eſt vniuerſaliſſimæ ſignificationis, diciturque malignantis naturæ; quia deſtruit totum quod ſequitur ſecundũ omnem ſuam rationem; vnde prædicatum, cui adiungitur, excludit à ſubiecto ſecundum vtramque naturam. Qua de causà falſum eſt, Verbum non eſſe natum ex Virgine; non eſurijſſe &c. Et ſimiliter Christum, ſeu hunc hominem deſignato Christo non eſſe Deum, Omnipotentem &c. Verum cũ

redu-

reduplicatione eædem propoſitiones euadunt veræ, ex. gr Deus, vt Deus non eſt mortalis; idque ob eandem rationem, ob quam dictum eſt, affirmatiuas ſimiliter reduplicantes eſſe falſas.

Circa prædicata, quæ reipſa ſunt communia vtriuis, aut alteri naturæ, tam in abſtracto, quàm in concreto, vſus obtinuit vt accipiantur tantum in abſtracto, & ſecundum naturam tantùm, in aliquibus prædicationibus. Huiuſmodi eſt inter affirmatiuas, *Verbum eſt Creatura*; *Chriſtus eſt Creatura*, quæ ſapit Arrianiſmum, atque ab Arrianis vſurpabatur ad ſignificandum, Verbum & Filium Dei, & Chriſtum eſſe Creaturam ſecundum naturam propriam Verbi, & non ſolùm ſecundum naturam aſſumptam. Eiuſmodi etiam eſt hæc propoſitio, *Chriſtus eſt vbique*, quæ profertur ab aliquibus hæreticis, dictis propterea vbiquetarijs, ad ſignificandum Chriſtum eſſe vbique etiam ſecundum humanitatem. Eiuſdem rationis eſt inter negatiuas, iſta propoſitio; *Verbum Diuinum non eſt mortale*, quæ cõmuniter admittitur, quia particula, *non*, ponitur cum reſtrictione ſubiecti ad naturam diuinam; perinde atque ſi adhiberetur reduplicatio paulo prius expoſita. Huiuſmodi igitur propoſitiones, vel abſolutè ſunt negandæ, vel quod conſultius eſt, ſunt diſtinguendæ adiunctà ſubiecto idoneà reduplicatione, modo nuper explicato, v. g. Deus eſt creatura, non vt Deus eſt, ſed ſecundum naturam humanam. Reliquæ propoſitiones cõmunicatiuæ idiomatum inter Deum & hominem admittuntur abſolutè iuxta dicta.

Ad 1. Quod Deus & natura diuina non immutentur nec perficiantur, aut deteriorentur ratione vnionis hypoſtaticæ, vt di-

ctum eſt q. illa 21. non tollit quominus ratione eiuſdem vnionis, habeant ſuppoſitum commune cum natura humana. Communicatio autem idiomatum fundatur in hac præciſè communitate, atque identitate ſuppoſiti. vt viſum eſt. Ergo ex eo principio non tollitur mutua communicatio idiomatum.

Ad 2. Humanitas, Mortalitas, & ſimilia dicuntur de natura humanà tantum in abſtracto. Dictum autem eſt, non dari communicationem idiomatum, quoad talia prædicata, ſiue ſint primaria, ſiue ſecundaria Naturæ. quod impertinenter ſe habet ad rẽ præſentem: & reddita eſt ratio diſcriminis, quoad ea quæ dicuntur in concreto.

Ad 3. & 4. Reddita ſimiliter eſt ratio exceptionis, ob quam illæ propoſitiones non admittantur; tametſi admittantur aliæ illis ſimiles ex parte materiæ, & formæ. Ad id quod additur in 3. de ratione communi & particulari generica, & ſpecifica. verum quidem eſt nullam rationem ſpecificam eſſe prædicabilem de eo, de quo prædicari non poteſt per ſe, & ex natura rei ſignificatæ ratio vniuerſalis & generica, continens ſub ſe talem rationem ſpecificam. At ſi ratio vniuerſalis & generica tantùm per accidens prædicari non poſſit propter abuſum, & affinitatem cum hæreſi conuenientem ſpecialiter tali voci, nihil id impedit prædicabilitatem ſpecierum contentarum ſub illa. Ita autem accidit in præſenti, vt apparet ex dictis.

Q V Æ-

QVÆSTIO XXIV.

Vtrum Humanitas Chriſti reddatur ſancta, & grata Deo per ſanctitatem increatam?

VIDETVR non reddi. 1. Quia effectus formalis proprius vnius formæ nō poteſt præſtari per aliam formam diuerſæ ſpeciei: Sed ſanctificatio humanæ naturæ eſt effectus formalis proprius Gratiæ habitualis, vt conſtat ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Ergo per nullam aliam formam præſtari poteſt ea ſanctificatio. Ergo neque per ſanctitatem increatam.

2. Si Verbum immutaret, ac perficeret humanitatem ratione vnionis ad illam, etiā humanitas immutaret, ac deterioraret Verbum, ratione vnionis ad ipſum; quia vnio & coniunctio duorum inter ſe neceſſariò eſt vtrinque æqualis, eiuſdemque rationis. Humanitas autem non immutat aut deteriorat Verbum; Ergo nec ipſa immutatur aut perficitur à Verbo.

3. Humanitas non ſanctificatur per perſonalitatem Verbi, vt diſtinctam virtualiter à Deitate; quia vt ſic nullam habet perſonalitas perfectionem, aut bonitatem peculiarem, vt dictum eſt in qq. de Deo; Sed neque ſanctificatur per Deitatem, vt diſtinctam virtualiter à perſonalitate. Quia vt ſic, non vnitur immediatè humanitati, vt dictum eſt quæſt. 21. Atque forma non vni-

ta immediatè ſubiecto, non poteſt illud immediatè perficere. Ergo humanitas nullatenus poteſt ſanctificari per ſanctitatem increatam.

4. Sanctitas increata neque finitè poteſt ſanctificare humanitatem, neque infinitè. Non finitè, quia forma infinita non poteſt dare niſi effectum formalem infinitum. Neque infinitè quia ſubiectum finitum, non eſt capax effectus formalis infiniti. Non enim poteſt conuenire ipſi per formam aliquam, contradictorium eius, quod eſt ſibi eſſentiale. Ergo nullo pacto poteſt ſanctificari humanitas ſanctitate increatà.

5. Si humanitas ratione vnionis ad Verbum redderetur ſancta ſanctitate propria Verbi; Similiter redderetur immenſa æterna, Omnipotens, &c. Immenſitate, æternitate, Omnipotentià &c. proprià Verbi; Quia hæc omnia prædicata ſunt æquè, eodemque modò propria Verbi diuini, & inſuper ſunt indiſtincta inter ſe, non ſolùm realiter, ſed etiam virtualiter intrinſecè; ideòque incommunicabilia ſeorſim, tàm ex ſua naturà, quàm ex natura vnionis ad Verbum. Sequela autem eſt abſurda, & meritò ab omnibus Theologis reiecta, vt pote contradicens fidei de Chriſto, nec vbique, nec ſemper exiſtente & ſic de cæteris ſecundum humanitatem.

6. Tametſi lapis aſſumeretur à Verbo Diuino non tamen ſanctificaretur Sanctitate increatà. Ergo nec humanitas ſanctificatur eadem ſanctitate; quia aſſumpta eſt à Verbo. Antecedens eſt in confeſſo apud omnes. Patet Conſequentia, quia omnia creata æquè diſtant à Deo ratione ſuæ imperfectionis; atque lapis eſt incapax ſancti-

ficari

ficari ſanctitate increatâ ob diſtantiam ſibi conuenientem ratione ſuæ imperfectionis à perfectione diuinâ.

R. Repugnat Deum velle benefacere naturæ rationali creatæ, atque de facto illi benefacere, quantum poteſt, quin eo ipſo conſtituat talem naturam ſummè ſibi dilectam, gratam, & amicam; atque adeò ſanctam. Nihil namque aliud eſt recipere aliquem in ſummam ſummæ amicitiæ coniunctionem, quam ſummè illi benefacere, voluntate ſummè benefaciendi, communicando illi omne ſuum bonum communicatione ſummâ inter omnes abſolutè poſſibiles. Deus autem vniendo Verbum ſuum hypoſtaticè humanitati, habet efficaciſſimam voluntatem benefaciendi illi quantum poteſt, & de facto ita illi benefacit. Siquidem illi donat filium Dei, donatione inter omnes poſſibiles ſummè perfectâ, & conſequenter donat omnia illi abſolutè donabilia iuxta illud Pauli 8. ad Rom. 32. *Quomodo non etiā cum illo omnia nobis donauit?* Quod a fortiori valet de Humanitate, cui donauit Filium ſuum per immediatam & intimam coniunctionem phyſicam quâ vnione nulla alia poteſt eſſe maior; Imò nulla poteſt eſſe illi æqualis. Ergo Deus vniendo ſe immediate humanitati conſtituit illam ſummè dilectam, gratam & amicam; atque adeò ſummè ſanctam; ita vt infra Deum, qui eſt ſanctus per eſſentiam, nihil poſſit eſſe ſanctius humanitate Chriſti.

Hanc ſummam ſanctificationem humanitatis per Verbum ſignificant clarè magnificæ illæ locutiones Conciliorum, & Patrum, quibus aſſerunt tàm carnem, quam voluntatem humanam Chriſti eſſe deificatas. Quæ locutiones cū vſurpentur à Concilijs Gene-

neralibus dum inſtruunt fideles de rebus Fidei non poſſunt accipi in ſenſu improprio, & exaggeratiuo. Affirmant porrò iſtam Humanitatis deificationē ſexta Synod. act. 17. & Concil Florent. in Decret. vnionis. *Tertiò definitionem*, vbi ante med. habet hæc Verba *Humana eius voluntas deificata eſt, non perempta, ſaluata autem magis ſecundum Theologum Gregorium dicentem Nam velle illius, quod in ſaluatore intelligitur, nihil eſt contrarium Deo; Deificatum eſt totum.* Deificare autem eſt ſanctificare. Eſt enim conſtituere humanitatem impeccabilem, felicem operationum diuinarum ac ſupernaturalium, atque ipſius Beatitudinis, & obiectum congruum diuinæ dilectionis, in quibus ſanctificatio formaliter conſiſtit. Igitur Verbum ſanctificat ſummè humanitatem, dum eam deificat.

Non minus clarè exprimit Sacra Pagina eandem ſanctificationem humanitatis per Deitatem, dum dicit Humanitatem eſſe vnctam Diuinitate. Pſalm. 44 *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ* Luc. 4. & Iſai. 6. *Spiritus Domini ſuper me eo quod vnxit me*. Daniel 9. *Donec vngatur ſanctus Sanctorum*. Actor. 10. *Quomodo vnxerit eum Dus Spiritu ſancto*. Quibus in locis Sancti Patres, quos magno numero referunt Suar. diſp. 13. ſect. 1. Vaſq. diſp. 41. cap. 4. Nomine *Vnctionis* intelligūt ſanctificationem Humanitatis per Diuinitatem. Quia videlicet in ſcripturis paſſim ſanctificatio vocatur vnctio, & ſanctitas. vnguentum. Sufficient in ſpecimen cœterorum Gregorius Nazianzenus, & Auguſtinus Nazianzenus orat. 36. quæ eſt 4. de Theologia n. 36. *Chriſtus verò dicitur propter Diuinitatem. Ea enim humanitatis vnctio eſt, non operatione vt in alijs Chriſtis,*

iuxſt

idest, unctum ſed potius unguenti præſentiâ. Et Orat. 42. quæ eſt ſecunda in Paſcha, loquẽs de Chriſto: *Perfectus, ait, non modo propter Diuinitatem, quâ nihil perfectius, ſed etiam propter Diuinitate unctam humanitatem*. Auguſtinus lib 15 de Trinit. cap. 16. dicit. *Tunc unctam fuiſſe inuiſibili Deo Humanam naturam, quando Diuina eſt unita perſona*, Quibus nihil profectò ſignificantius eſſe poteſt pro ſanctificatione Humanitatis per Deitatem, iuxta modum loquendi affinem diuinæ locutioni, eiuſdemque participem.

Demum Patres ac Theologi docent communiter ex ſacris Literis, ideò Gratiam habitualem ſanctificare naturam rationalẽ, cui vnitur; quia ratione ſuæ perfectionis excludit peccatum, dat ius ad Beatitudinẽ, eſt radix habituum, & operationum omnium ſupernaturalium, reddit Filium adoptiuum Dei, & conſtituit amicum, & conſortem Diuinæ naturæ; ſed Deitas vnita humanitati mediante Verbo, hæc omnia multo excellentius illi præſtat; quandoquidem excludit peccatum etiam veniale. Imò & ipſam peccabilitatem, dat ius inamiſſibile, ad Beatitudinem incomparabiliter maiorẽ; eſt prima radix donorum omnium ſupernaturalium; atque adeò & Gratiæ habitualis, reddit humanitatem, non vtcumque, participem Diuinæ naturæ; ſed deificatam, immediatè. Eandem conſtituit obiectum complacentiæ & amicitiæ diuinæ, ita perfectè, vt nihil negare poſſit Deus quod ea Humanitas velit abſolutè & efficaciter; ac demum conſtituit Chriſtum, etiam vt hominem filium Dei, non adoptiuum; ſed naturalem. Ergo Deitas cum exceſſu propè infinito ſanctificat magis humanitatẽ quam Gratia habitualis.

Ad 1. Sanctificatio, quæ eſt effectus formalis Gratiæ habitualis, non poteſt præſtari à ſanctitate Increatâ; poteſt tamen præſtari alia ſanctificàtio ſpecie diuerſa, multò excellentior, ac ſuperioris ordinis, & hæc de facto confertur Humanitati Chriſti per Deitatem.

Ad 2. Duplex eſt immutatio propria, & impropria. Propria eſt, qua ſubiectum perficitur vel redditur deterius, acquiſitâ noua perfectione, aut deperditâ præexiſtenti. Impropria eſt, per quam ſubiectum quomodocumque aliter ſe habet, per nouam denominationem abſque lucro, & iactura. Verbum non poteſt mutari propriè; quia eſſentialiter habet omnem perfectionem, ideòque nullam acquirere, nullam deperdere poteſt. Poteſt tamen mutari impropriè, & mutatur impropriè per vnionem ad humanitatem; quia ratione vnionis, ad humanitatem, denominatur de nouo vnitũ humanitati. At humanitas mutatur proprie, quia perficitur per Diuinitatem, quæ eſt capax ad perficiendum, ſicut illa vt perficiatur. Quare vnio Hypoſtatica vnit æqualiter vtrumque extremum, quoad coniunctionem in ordine ad locum; non tamen quoad effectus formales & quoad immutationem propter diuerſam capacitatem extremorum.

Ad 3. Perſonalitas prout virtualiter diſtincta à deitate ſanctificat humanitatem, non ſanctitate virtualiter diſtincta à Deitate; ſed ipſa ſanctitate Diuinitatis. Quia ſanctitas diuinitatis communicatur perſonalitati per identitatem realem, hoc eſt cõmunicatur illi tantundem, atque ſibi, Vnde perſonalitas Verbi vnita humanitati eſt ratio communicandi eidem ſanctitatem diui-

nitatis

nitatis propriam, non ſecus ac ſi eadem ſanctitas eſſet virtualiter intrinſecè indiſtincta ab eàdem perſonalitate. Confirmatur ex doctrina expreſſa Conciliorum, & Patrum ſuperius indicata de deificatione Humanitatis; quia Deificatio prouenit ſimiliter à Diuinitate mediante Perſonalitate Verbi, quæ vnitur immediatè humanitati.

Ad 4. Sanctitas increata non communinicatur humanitati tantundem, atque ſibi, & Perſonalitati Diuinæ. Quia ſibi & Perſonalitati diuinæ communicatur per identitatem humanitati verò per vnionem phyſicam, quæ eſt minor communicatio, quàm identitas, vt per ſe patet. Sanctitas autem eatenus ſanctificat, quatenus communicatur ſanctificato. Sanctitas igitur increata licet ſit infinita ſecundum ſe; non tamen ſanctificat ſimpliciter infinitè humanitatē; ſed tantum finitè, ac limitate; quia finitè tantùm ac limitè communicatur humanitati; nec humanitas eſt capax cui infinitè cōmunicetur, cum non ſit capax, cui realiter identificetur.

Ad 5. Dicetur quæſt. 27. Ad 8. Lapis eſt eſſentialiter incapax ſanctificationis, & amicitiæ cum Deo, quorum effectuum formaliū eſt capax natura Humana; nulla igitur eſt conſequentia ab vno ad aliud, & inſtatur obiectio in Gratia habituali quæ ſanctificat hominem, & vnita ſubſtantiæ irrationali, non poſſet eam ſanctificare. Iam diſtantia Creaturarum omnium à Deo eſt quidem æqualis quaſi quantitatiuè; non tamen participatiuè, quia non omnes Creaturæ participant æqualiter perfectionem diuinitatis, licet ipſa omnes illas excedat æqualiter ſe tota; de quo alibi fuſius.

QVÆS

Ad 1. Sanctificatio, quæ eſt effectus formalis Gratiæ habitualis, non poteſt præſtari à ſanctitate Increatà; poteſt tamen præſtari alia ſanctificatio ſpecie diuerſa, multò excellentior, ac ſuperioris ordinis, & hæc de facto confertur Humanitati Chriſti per Deitatem.

Ad 2. Duplex eſt immutatio propria, & impropria. Propria eſt, qua ſubiectum perficitur vel redditur deterius, acquiſità noua perfectione, aut deperdità præexiſtenti. Impropria eſt, per quam ſubiectum quomodocumque aliter ſe habet, per nouam denominationem abſque lucro, & iactura. Verbum non poteſt mutari propriè; quia eſſentialiter habet omnem perfectionem, ideòque nullam acquirere, nullam deperdere poteſt. Poteſt tamen mutari impropriè, & mutatur impropriè per vnionem ad humanitatem; quia ratione vnionis, ad humanitatem, denominatur de nouo Vnitũ humanitati. At humanitas mutatur proprie, quia perficitur per Diuinitatem, quæ eſt capax ad perficiendum, ſicut illa vt perficiatur. Quare vnio Hypoſtatica vnit æqualiter vtrumque extremum, quoad coniunctionem in ordine ad locum; non tamen quoad effectus formales & quoad immutationem propter diuerſam capacitatem extremorum.

Ad 3. Perſonalitas prout virtualiter diſtincta à deitate ſanctificat humanitatem, non ſanctitate virtualiter diſtincta à Deitate; ſed ipſa ſanctitate Diuinitatis. Quia ſanctitas diuinitatis communicatur perſonalitati per identitatem realem, hoc eſt cõmunicatur illi tantundem, atque ſibi, Vnde perſonalitas Verbi vnita humanitati eſt ratio communicandi eidem ſanctitatem diuinitatis

nitatis propriam, non ſecus ac ſi eadem ſanctitas eſſet virtualiter intrinſecè indiſtincta ab eadem perſonalitate. Confirmatur ex doctrina expreſſa Conciliorum, & Patrum ſuperius indicata de deificatione Humanitatis; quia Deificatio prouenit ſimiliter à Diuinitate mediante Perſonalitate Verbi, quæ vnitur immediatè humanitati.

Ad 4. Sanctitas increata non communicatur humanitati tantundem, atque ſibi & Perſonalitati Diuinæ. Quia ſibi & Perſonalitati diuinæ communicatur per identitatem humanitati verò per vnionem phyſicam, quæ eſt minor communicatio, quàm identitas, vt per ſe patet, Sanctitas autem eatenus ſanctificat, quatenus communicatur ſanctificato. Sanctitas igitur increata licet ſit infinita ſecundum ſe; non tamen ſanctificat ſimpliciter infinitè humanitatē; ſed tantum finitè, ac limitate; quia finitè tantùm ac limitè communicatur humanitati; nec humanitas eſt capax cui infinitè cōmunicetur, cum non ſit capax, cui realiter identificetur.

Ad 5. Dicetur quæſt. 27. Ad 8. Lapis eſt eſſentialiter incapax ſanctificationis, & amicitiæ cum Deo, quorum effectuum formaliū eſt capax natura Humana; nulla igitur eſt conſequentia ab vno ad aliud, & inſtatur obiectio in Gratia habituali quæ ſanctificat hominem, & vnita ſubſtantiæ irrationali, non poſſet eam ſanctificare. Iam diſtantia Creaturarum omnium à Deo eſt quidem æqualis quaſi quantitatiuè; non tamen participatiuè, quia non omnes Creaturæ participant æqualiter perfectionem diuinitatis, licet ipſa omnes illas excedat æqualiter ſe tota, de quo alibi fuſius.

QVÆS

QVÆSTIO XXV.

Vtrum vnio Hypoſtatica ſanctificet Humanitatem, vt quod?

VIDETVR Sanctificare. 1. Quia quod eſt eſſentialiter incompoſſibile cum peccato, eſt forma ſanctificans, ſed vnio hypoſtatica eſt eſſentialiter incōpoſſibilis cū peccato, etiam veniali; imò & cum peccabilitate. Ergo eſt forma ſanctificans, vt quod.

2. Ideò Gratia Habitualis eſt forma ſanctificans, quia coniungit cum Deo, & tribuit ius poſſidendi Deum per viſionem beatificam. Sed vnio hypoſtatica multò perfectius & excellentius coniungit humanitatē cum Deo, & tribuit ius ad præſtantiorem viſionem Dei. Ergo &c.

3. Vnio Hypoſtatica eſt longè maioris perfectionis quā Gratia Habitualis, & quàm quodcumque aliud donum creatum, quia eſſentiale ipſi eſt, vt intrinſecè perficiatur per Deitatem, vtque illi immediatè coniūgātur; cum Gratia & alia dona non perficiantur intrinſecè per Deitatem, vtque intimè illi coniungantur. Vnde Bernard. lib. 5. de Conſid. ait, vnitatem Chriſti præcedere omnes alias, præter vnitatem Trinitatis; & Sancti Patres paſſim illam appellant, maximum Dei donum inter omnia creata. Nihil autem non ſanctificans poteſt eſſe præſtantius eo quod non ſanctificat; quandoquidem Sanctitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.

4. Cum alicui additur aliquid aliud, illud

lud augetur tantundem præcisè, quantum eſt id quod additur. ex. gr. Si longitudini addatur palmus, illa augetur tantùm palmo. Vnde eſt principium mathematicum ſi vni ex æqualibus fiat additio, exceſſum aucti non poſſe eſſe maiorem additamento. At ſi verbo & humanitati addatur vnio hypoſtatica perfectio exiſtens in rerum natura, tantum augetur, quantum euentus exiſtentiæ Chriſti, præcellit euentui in quo Chriſti humanitas careret vnione, & daretur purus homo. Ergo tanta eſt perfectio vnionis Hypoſtaticæ, quanta eſt præcellentia euentus exiſtentiæ Chriſti ſupra euentum exiſtentiæ ſolùm puri hominis. Ergo eſt perfectio penè infinita, & multò maior perfectione Gratiæ, quod ex eo clarius apparet; quia tantò vnum additamentum eſt maius alio, quantò plus augetur eadem res per vnum, quàm per aliud. Per additamentum autem vnionis hypoſtaticæ, tantò magis augetur perfectio exiſtens in rerum natura, atque in humanitate, quàm per additamentum Gratiæ in quocumque gradu, quantò euentus exiſtentiæ Chriſti excedit euentum puri hominis iuſti. Ergo vnio Hypoſtatica eſt perfectio incomparabiliter maior, quàm Gratia in quocumque gradu, atque adeo magis ſanctificat quàm Gratia.

5. Vnio hypoſtatica eſt cauſa, & radix ratione cuius debetur humanitati Gratia habitualis, quæ eſt forma ſanctificans. Forma autem ſanctificans non poteſt contineri, tanquam in cauſa, & radice in entitate non ſanctificante formaliter per ſeipſam. Ergò.

6. Humanitati Chriſti debetur ſpecialis cultus adorationis propter vnionem hypoſtaticam. Specialis autem cultus adoratio-

nis

nis deberi non poteſt niſi titulo Sanctitatis ſpecialis. Ergo ſanctitas aliqua ſpecialis eſt indiſtincta ab vnione hypoſtatica.

R. Entitates modales, ac præſertim vniones non ſunt inſtitutæ à naturâ, vt tribuant per ſeipſas ſubiectis ſuis, ſeu terminis effectus formales vniuocè ſimiles effectibus formalibus, quos præſtant ea, quorum ipſæ sũt modi. Solùm namque ſunt inſtitutæ, vt determinent vnumquodque ſubiectum, ſeu cauſam ad recipiendum, aut præſtandum eos effectus, ad quos in ipſis præſupponitur iam virtus & capacitas adæquatè ſufficiens. Ad hoc videlicet præcisè ſunt neceſſarij modi atque conuenientes, neque Deus, & Natura prætergrediuntur limites neceſſitatis, & conuenientiæ; ſed vnum vni deſtinãt vt dicit Philoſophus 8. Polit. c. 1. Qua de cauſa vnio albedinis non eſt alia quædam albedo tribuens ſeipsâ, vt quod ſubiecto effectum formalem albi: Vnio animæ cum corpore non eſt alia quædam animula præſtans Corpori effectum formalem animati, niſi præcisè, quatenus illi adiungit animam; & ſic de cœteris omnibus ſimiliter. Cum ergo vnio hypoſtatica ſit entitas modalis determinans Verbum Diuinum ad ſanctificandam humanitem, vt conſtat ex quæſt. 20. & 24. nequit eſſe forma per ſeipſam ſanctificans *vt quod*.

Confirmatur, quia vnio hypoſtatica æquè eſſentialiter eſt nexus Verbi Diuini cum humanitate, & Humanitatis cum Verbo; nec non vtriuſque ſecum, & ſui cum vtroque hoc extremo. Ergo ſi propter connexionem cum Verbo haberet in ſe vim ſanctificatiuam vt quod, propter æqualem connexionem cum humanitate non minus haberet indigentiam ſanctitatis, & totalem

quan-

quæſtum eſt ex ſe vacuitatem reſpectu eiuſdem ſanctitatis; maximè cum inſit humanitati tanquam adæquato ſubiecto receptionis, ac ſuſtentationis; ideòque magis accedere debeat ad naturam, & conditionem ipſius. Repugnat autem idem ſecundum ſe eſſe ſanctitatem, & indigentiam ſanctitatis totaliter vacuam eadem. Ergo vnio hypoſtatica ſolùm ſanctificat *vt quo*, non communicando humanitati perfectionem propriam; ſed vltimò formaliter determinando, vt illi communicetur perfectio ſanctificatiua Deitatis.

Ad 1. Sanctitas eſt bonitas excludens malitiam peccati, non præcisè ratione connexionis cum aliquo alio; ſed propter magnitudinem bonitatis ſibi ſecundum ſe conuenientis. Nàm & actus Fidei, quo quis crederet ſpeciali Dei reuelatione, ſe non eſſe in ſtatu peccati eſſet intrinſecè incompoſſibilis cum peccato; nec tamen eſſet forma ſanctificans; quia id ipſi conueniret præcisè ob connexionem eſſentialem cum eà reuelatione, & non propter magnitudinem ſuæ bonitatis, vtpote æqualis bonitati actus fidei, quo crederetur oppoſitæ reuelationi. Vnio autem hypoſtatica eſt incompoſſibilis cum peccato humanitatis præcisè propter connexionem cum ſanctitate increata, quam communicat eidem humanitati,

Ad 2. Gratia Habitualis eſt coniunctio cum Deo per participationem Naturæ diuinæ ſibi eſſentialem, Vnio verò hypoſtatica per puram connexionem, abſque illà peculiari, ac excellenti naturæ diuinæ participatione, eademque eſt ratio de cæteris prædicatis conuertibilibus cum coniunctione,

ad

ad Deum formaliter ſanctificantem. Nulla igitur eſt paritas.

Ad 3. Exigentia eſſentialis vnionis hypoſtaticæ vt intrinſecè perficiatur per Deitatem, non eſt Gratia ipſius, ſed Gratia Humanitatis, atque concreti: Nec enim vnio exiſtit gratia ſui; ſed quidquid habet ſeruiliter habet, & quidem genere ſeruitutis viliſſimo; quia non prius recipit in ſe eum bonitatis ac perfectionis cumulum, qui communicatur humanitati; ſed eſt pura determinatio vt ille immediatè humanitatem afficiat; mediante eadem vnione, tanquam pura determinatione, & non tanquã ſubiecto, ſeu quaſi ſubiecto, prius recipiēte in ſe, quod per ipſam adſcribitur humanitati. At Gratia habitualis habet in ſe per identitatem omnes eas perfectiones, quæ per ipſam communicantur homini; Eſt igitur Gratia habitualis multò perfectior, quàm vnio hypoſtatica ſecundum ſe. Iam Sancti Patres, & Theologi dum exaltant perfectionem huius vnionis eamque præferunt Gratiæ habituali, nequaquam loquũtur de perfectione vnionis præcisè ratione ſui; ſed ratione eius, quæ per ipſam vt purã determinationem adiungitur ſubiecto; id eſt, ratione Deitatis.

Ad 4. Additamentum non æſtimatur ſecundum magnitudinem determinatiui formalis vt vnum alteri accedat; ſed ſecundum magnitudinem eius quod accedit. Cũ enim longitudini additur palmus, non tantum eſt augmentum longitudinis, quanta eſt vnio palmi ad ipſam; ſed quantus eſt palmus, qui vnitur. Similiter ergo augmentum perfectionis in humanitate aſſumptà, non penſatur ex magnitudine vnionis; ſed

ex.

ex magnitudine vniti. Et licet ante vnionem exiſtant extrema vnibilia; ac proinde exiſtat tota perfectio ipſorum propria, non tamen exiſtit cum omni vtilitate, quæ per illa præſtari poteſt. Quia quod eſt perfectiuum alterius, dum non coniungitur perfectibili, non fungitur munere perficientis. Quapropter euentus exiſtentiæ Chriſti ſuperat euentum exiſtentiæ ſolius puri hominis, non ſolùm quoad exceſſum, quo euentus exiſtentiæ vnionis ſuperat euentum priuationis, ſeu negationis eius ſecundum ſe; ſed etiã quoad exceſſum, quo ſuperat euentus Diuinitatis ſeipsã perficientis humanitatem, euentum eiuſdem non perficientis eandem. Is igitur exceſſus non commendat magnitudinem perfectionis conuenientis vnioni ſecundum ſe; ſed magnitudinem virtutis perfectiuæ, quæ eſt propria Diuinitatis; atq; ideò vnio ſecundum ſe eſt quid magnum in ratione vtilis, & æſtimabilis ratione alterius, non tamen in ratione excellentis, & æſtimabilis propter ſe præcisè: quæ duo ſunt valde inter ſe diuerſa, licet facilè æquiuocationem & confuſionem parere poſſint apud homines proclíues ad metiendum æſtimabilitatem cuiuſque rei ex ſolâ ſuâ indigentia, exque ſolâ rerum vtilitate.

Ad 5. Dicitur ſimiliter vnionem hypoſtaticam eſſe radicem Gratiæ ac Virtutum, & donorum non ratione ſuæ perfectionis; ſed ratione ſanctitatis increatæ, quæ communicat humanitati dignitatem & ius ad ea omnia.

Ad 6. Cultus ſpecialis, & excellens adorationis debetur Humanitati Chriſti, ratione diuinitatis ſibi intimè coniunctæ non ratione vnionis, quâ coniungitur.

QVÆ-

QVÆSTIO XXVI.

Vtrum dentur in Chriſto Gratia habitualis, omneſque Virtutes, & Dona?

VIDETVR nō dari. 1. Quia Gratia habitualis eſt neceſſaria & conueniens naturæ humanæ vt eam ſanctificet, vt eius opera dignificet ad præmium, vt communicet filiationem, & amicitiam Dei; vtque ſit radix, & quaſi natura, ex qua proueniant reliqua dona ſupernaturalia. Hæc autem omnia, & ſi quæ ſunt alia cum his conuertibilia habet multo præſtātius humanitas Chriſti per Gratiam vnionis. Neq; verò ornat, aut confert ad pulchritudinem, quod eſt in vnoquoque inutile, ac ſuperfluum; ſed potius deturpat, ſicut ſextus digitus manum. Nulla igitur eſt ratio, ob quam conueniens fuerit vt humanitati Chriſti infunderetur Gratia habitualis. Quod ſi ea non datur in Chriſto, neque virtutes & dona dantur in eodem; quæ videlicet ſunt proprietates cōnaturales illius; ideoque neceſſariò, deſunt vbi illa deeſt.

2. Gratia habitualis neque poteſt ineſſe Chriſto eiuſdem infimæ ſpeciei cum noſtrā; neque alterius ſpeciei. Non quidem eiuſdē quia noſtra conſtituit Filium adoptiuum; Atque Chriſtus eſt filius naturalis Dei, cui repugnat adoptio. Neque poteſt eſſe perfectior ſecundum ſpeciem, quia Gratia noſtra habitualis habet perfectionem in ſuo genere

genere ſummam, & repugnat, etiam de potentia Dei abſoluta, perfectior alia ſanctitas purè creata, vt infertur ex doctrina de perfectione luminis Gloriæ in qq. de Deo. Eadem eſt ratio proportionalis de Virtutibus, & donis. Nihil igitur horum eſt, aut fuit in Chriſto.

3. Dona ſupernaturalia purè creata, neque inſunt Chriſto cum intenſione ſimpliciter infinita, vtpote repugnanti, ſicut dictum eſt in Philoſophia; Sed neque inſunt cum intenſione finita; quia hæc non iuſtè correſpondet dignitati Chriſti, quæ eſt infinita ſimpliciter. Ergo nullatenus inſunt.

4. Superfluum eſt dare media ad aliquem finem habenti iam ipſum finem. Gratia autem Virtutes, & dona ſunt media ad Beatitudinem obtinendam, quæ nunquam defuit Chriſto Domino, Ergo ſuperfluè ea in ipſo darentur.

5. Fides eſt fundamentum omnium Virtutum & donorum ſupernaturalium, eademq; non data eſt in Chriſto; ſicuti neque ſpes, quæ patent ex dictis q.25.31. ad 3. & 32. de Virtut. Theolog. Sublato autem fundamento ea ſubſiſtere non poſſunt, quæ illo nituntur. Similiter ratione ſpeciali negantur Chriſto virtus ſpei & Pœnitentiæ, & Donum timoris fugiens malum imminens culpæ, & pœnæ, quæ repugnant ſtatui beatitudinis.

6. Non dantur in Chriſto Gratiæ gratis datæ, præſertim genera linguarum. Cum enim miſſus fuerit ſolùm ad oues domus Iſraël, vt ipſemet teſtatur Matth.15. non debuit vſurpare aliam linguam, quàm Iſraëliticam. Ergo Chriſtus non habuit plenitudinem omnium donorum Gratiæ.

R. Non eſt de fide dari in Chriſto Gratiã habitualem, vt oſtendit Vaſq. diſp. 41. c.1.

Negari

Negari tamen non poteſt abſque temeritate, propter auctoritatem Theologorum, & propter teſtimonia ſcripturæ atque rationē, quibus ipſi nituntur. Neceſſitas ponendi in Chriſto habitum Gratiæ, apparet ex neceſſitate habitus Charitatis, qui eſt indiſtinctus à Gratia ſanctificante, vt dicetur in qq de pœnit. Habitus autem Charitatis fuit neceſſarius in Chriſto ad eliciendos actus dilectionis Dei ſuper omnia. Eadem ratione, qua neceſſariæ eidem fuere potentiæ viſiua, auditiua, ambulatiua ad exercendas operationes proprias iſtarum potentiarum. Quia verò obiectum formale motiuū Charitatis, quæ ineſt puris hominibus eſt ſummum bonum, quatenùs eſt bonum ſibi ipſi, quo motiuo nullum aliud præſtantius eſſe poteſt; atque vnaquæque virtus ſpecificatur ex ſuo motiuo, deducitur habitum Charitatis in Chriſto fuiſſe eiuſdem infimæ ſpeciei cum Charitate noſtra, cum exceſſu ſolùm quoad intenſionem. Quod confirmatur ex metaphoris, quibus in ſacris literis dicitur, Chriſtus Sol Iuſtitiæ, & Fons Gratiæ; vocatur vitis, nos verò palmites &c. Nam ſicut ſol tranſmittit in corpora ſubiecta lucem; Fons effundit in riuos, aquam; & vitis deriuat in palmites ſuccum eiuſdem omninò rationis, ac ſpeciei cum ijs quæ ſibi inſunt: Ita Chriſtus cõmunicat nobis Gratiam & Charitatem, eiuſdem rationis, ac ſpeciei cum eâ quæ ſibi ineſt; Alias enim illæ metaphoræ non eſſent ſatis doneæ, Eiuſdem rationis eſt, quod dicitur Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepiſſe; & quod dicit Chriſtus ad Patrem c. 21. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu, Pater in me, & ego in te; vt & ipſi in nobis vnum ſint*. Nam ſicut Chriſtus eſt vnum cum Patre, per vnitatem numeri-

can-

eam ſubſtantiæ; ſic iuſti ſunt vnum cum Chriſto per vnitatem ſpecificam Gratiæ & Charitatis: Et tunc propriiſſime dicuntur de plenitudine eius accipere, cum verificatur eiuſdem rationis Gratiam illis ineſſe quæ abundat in Chriſto. Ratio, quâ probata eſt exiſtentia habitus Charitatis in Chriſto, eiuſdemque ſpecifica conuenientia cum noſtra Charitate, æqualiter probat, eodemque prorſus modo, dari in eodem reliquas omnes virtutes & dona, cum quibus non eſt incompoſſibilis ex ſuo cõceptu, ſtatus beatitudinis. Indiguit namque illis omnibus ad operationes eorum proprias, ſicut indiguit habitu Charitatis ad actus dilectionis. Et quia motiua cæterarum virtutum ſunt eiuſdem rationis cum motiuis virtutum noſtrarum, ſicut dictum eſt de Charitate; concluditur eas quoque fuiſſe in Chriſto eiuſdem infimæ ſpeciei cum noſtris. Dantur igitur in Chriſto Gratia habitualis, Virtutes omnes, & omnia dona compoſſibilia cum Beatitudine, eaque eiuſdem non minus ſpeciei, quam nomin s cum noſtris.

Ad 1. Tranſeat Gratiam habitualem, & quæ ad ipſam connaturaliter conſequuntur, propter nullum ex ijs titulis, qui proponũtur in obiectione data fuiſſe in Chriſto. Supereſt nihilominus alius titulus comprincipij connaturaliter requiſiti ad operationes & actus, ſine quibus non decebat eſſe Chriſtum, prout expoſitum eſt.

Ad 2. Licet Gratia habitualis Chriſti ſit eiuſdem infimæ ſpeciei cum noſtrâ, quæ nos reddit Filios adoptiuos Dei; non potuit tamen communicare hunc effectum formalem Chriſto Domino; Quia filiatio adoptiua dicit carentiam filiationis naturalis, quæ conuenit Chriſto; ita vt includat in ſuo conceptu,

ceptu, tùm perfectionem poſitiuam ſufficiẽ-tem ad imitationem filiationis naturalis, tùm aliquem defectum perfectionis, quo ab eadẽ deſciſcit. Quare cum in Chriſto nullus fuerit talis defectus, nec adoptio dari potuit. Contulit nihilominus illi alios effectus formales, quorum erat capax, vt apparet ex dictis.

Ad 3. Dona ſupernaturalia purè creata collata ſunt Chriſto cum maximà intenſione, licet non cum infinità, quod repugnat. Quia verò neque ſanctificatio, ac dignificatio humanitatis per Verbũ fuit infinita ſimpliciter, vt dictum eſt quæſt. 24. ad 4. propterea intenſio donorum non infinita ſimpliciter potuit illi iuſtè correſpondere, atq; eſſe omninò proportionata.

Ad 4. Virtutes, & dona prout in viatore ſunt media ad conſequendam beatitudinem, Eadem verò in beato ſunt inſtrumenta & principia ad operationes, quæ decent Beatum circa Deum & alia obiecta; atque hac de cauſa data ſunt, danturq; modo in Chriſto ſicut in cæteris Beatis.

Ad 5. Fides eſt fundamentum omnium Virtutum in viatore. In comprehenſore verò ſufficiuntur illi habitus luminis Gloriæ aliæque ſpecies, & euidentes cognitiones, per quas dirigantur actus Virtutum, quibus non repugnat ſtatus Beatitudinis ſicut ei repugnant Fides, & Spes, & Timor ſeruilis; & ſicut repugnat impeccabili pœnitentia; ex quibus proinde negatis Chriſto, nulla eſt conſequentia ad negationem aliarum Virtutum.

Ad 6. Licet Chriſtus Dominus nunquam vſus fuerit peritià plurium linguarum (quod tamen ipſum eſt dubium) adhuc debuit habere poteſtatem vtendi ſi vellet; quando-

quidem

quidem vſus non repugnabat Chriſto, ſicuti neque repugnabat vt non vteretur, ſi noluiſſet vti lingua materna, cuius peritiâ de facto vſus eſt. Habuit igitur iſtam Gratiam gratis datam, ſicut habuit cœteras quæ numerantur ab Apoſtolo 1. ad Cor. 12.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum anima Chriſti intelligat per intellectionem increatam?

VIDETVR intelligere. 1. Quia Dionyſ. 2. de Diu. nomin. Operationem *Chriſti* appellat Theandricam, ſeu Dei virilem, hoc eſt humanitati & Deitati communem. Sed intelligere eſt operatio Chriſti; Ergo intelligere *Chriſti* eſt Deitati, & humanitati cōmune, ergo eſt increatum. Patet ſecunda conſequentia; quia intellectio creata non poteſt eſſe communis Deitati, vtpote quæ non poteſt intellligere per intellectionem creatam.

2. Intellectio non poteſt vniri ſubiecto capaci intelligendi, quin tribuat illi effectũ formalem intelligentis; ſed intellectio increata vnitur animæ Chriſti, quæ cum ſit intellectiua, eſt vtique ſubiectum capax intelligendi. Ergo tribuit animæ Chriſti effectum formalem intelligentis.

3. Non minus intimè vnitur animæ Chriſti intellectio, quam ſanctitas increata: Et anima Chriſti non minus eſt capax effectus formalis intellectionis, quàm ſanctitatis. Sed ſanctitas increata tribuit animæ Chriſti ef-

fectum formalem ſanctæ, vt dictum eſt q. 24. Ergo etiam intellectio intelligentis.

4. Viſio beata, ſicut in alijs iuſtis, ſic etiã in Chriſto debet ad amuſſim correſpondere ſanctitati eius. Quantum enim Deus Vnumquemque diligit propter ſanctitatem, tantundem beatitudinis illi tribuit; ſed viſio creata non poteſt adæquatè correſpondere ſanctitati increatæ, per quam fuit ſancta anima Chriſti. Ergo anima Chriſti videt Deum per viſionem increatam.

R. Certum eſt animam Chriſti nec intelligere de facto, nec potuiſſe de potentia abſoluta intelligere per intellectionem increatam, ſicut nec velle per voluntatem increatam: Atque oppoſitam ſententiam non ſolùm quoad priorem partem de facto; verum etiam quoad ſecũdam de poſſibili plures Theologi inſequuntur grauibus cenſuris. Et quidem videtur expreſsè contra eam definiuiſſe Agatho Pontifex in Epiſt. ad Conſtant. Imperat. quæ Epiſtola cum lecta fuiſſet act. 4. in 6. Synodo Generali coactà contra hæreticos Monothelitas ponentes in Chriſto vnicam voluntatem, & vnicam operationem; approbata fuit ab eadem Synodo act. 8. Igitur Pontifex cum præmiſiſſet, quod, ſecundum S. Auguſtinum, *Voluntas eſt motus naturæ*; (ex quo patet quod nomine *Voluntatis*, non intelligit potentiã, ſed operationem volendi), quæ ſola eſt motus) ſubdit; *cum hæc ita veritas habeat, certiſſimè claret, quod in Domino noſtro Ieſu Chriſto duas, ideſt, Dei, & Hominis naturas, ſiue ſubſtantias confitentes, in vnam conueniſſe ſubſiſtentiam, ſiue perſonam, neceſſe eſt duas naturales in eo fateri voluntates, Diuinam ſcilicet & humanam; Quia neque Diuinitatem eius, quantum ad naturæ rationem pertinet, humanam*

nam habuiſſe voluntatem dicendum eſt. Neque humanitatem eiuſdem, diuinam habuiſſe naturaliter Voluntatem credendum eſt. Neque rurſus aliquam ex his duabus Chriſti ſubſtantijs, abſque naturali voluntate extitiſſe fatendum. Itaque ſecundum Pontificem, & Synodum, ſicut Diuinitas quantum ad naturæ rationem pertinet, non habuit voluntatem humanam, ita vt vellet per illam; Sic Humanitas non habuit naturaliter, ideſt, ratione naturæ (quæ æquiualentia eſt manifeſta ex contextu) voluntatem Diuinam, ita vt vellet per illam. Ex quo modo loquendi, & ratione à Pontifice adducta, liquet ipſum negare, non ſolùm, quod humanitas habuerit diuinam voluntatem de facto; ſed etiam, quod potuerit habere de potentiâ abſolutâ: præſertim cum ſciret nullam prærogatiuam, aut excellentiam negatam fuiſſe de facto humanitati aſſumptæ, quæ potuerit diuinitus concedi. Eodem namque modo negat Pontifex, quod Diuinitas habuerit voluntatem humanam, & quod humanitas habuerit diuinam. Ergo ſicut Diuinitas, nec de potentia abſoluta potuit velle per voluntatem humanam; Sic humanitas, nec de potentia abſolutâ potuit velle per voluntatem diuinam. Adiungit rationem Pontifex ex definitione Auguſtini dicentis, *Voluntatem eſſe motum naturæ*; & addentis: *Ab illo enim eſt voluntas, cuius eſt voluntas: ab Angelo ſcilicet voluntas Angeli; ab homine hominis; à Deo Dei*. Vnde deducit Pontifex: *Nec enim poterit Angelica natura diuinam habere voluntatem, aut humanam; neque humana, Dei, vel Angeli; ſicut nec alterius quam eſt, quiſquam naturalem habere poterit motum.* Quæ ratio probat implicantiam oppoſiti; Voluntas enim ex doctrina Auguſtini ap-

probata à Pontifice eſt motus naturæ volentis, & debet eſſe ab ea natura, cuius eſt voluntas. Implicat autem contradictionẽ, quod voluntas diuina, quæ eſſentialiter eſt à ſe ſit à natura humana Chriſti. Ergo implicat quod natura humana Chriſti velit per voluntatem diuinam.

Licet autem Pontifex ſolam operationem voluntatis exprimat nominatim, loquitur tamen generaliter de omnibus operationibus proprijs naturarum. Concludit namq; vniuerſaliter ex eo diſcurſu: *Reddere igitur neceſſe eſt quæ ſunt diuina eidem vt Deo; quæ humana ſunt eidem, vt homini*. Et inferius: *Quocirca ſi in nullo differentia naturarũ Domini noſtri Ieſu Chriſti ſublata eſt, neceſſe eſt, vt in omnibus proprietatibus eandem differentiam conſeruemus. Qui enim in nullo adimi differentiam debere docuit, in omnibus hanc ſeruare debere commonuit.* Et non multò poſt: *Vbi autem vna natura, & operatio ab hæreticis, eorumque ſequacibus dicitur, qualis in eà differentia cognoſcitur?* Idem præterea manifeſte colligitur ex ſcopo Pontificis. Sicut enim Monothelitæ non ſolùm ponebant in Chriſto vnicam voluntatem; ſed etiam vnicam intellectionem, & vniuerſim vnicam operationem vtrique naturæ communem; atque ita confundebant proprietates, & operationes naturarum; ſic Pontifex, & Synodus attribuendo diuerſis naturis diuerſas operationes volendi, & intelligendi, omnem confuſionem ſuſtulerunt.

Auctoritati vſque adeò manifeſtæ ſuffragantur validæ rationes. Primùm enim, vt Pontifex indicat ex Auguſtino, intelligere, & velle, & vniuerſim viuere, eſt habere tales operationes ab intrinſeco; & non ſolùm merè paſſiuè illas recipiendo extrinſe-

ſus ab altero. Anima autem Chriſti non habet intellectionem, & volitionem increatam ab intrinſeco. Ergo anima Chriſti neque intelligit neque vult per intellectionẽ, & volitionem increatam. Imò nec poteſt per illas intelligere & velle, cum non poſſit illas habere ab intrinſeco.

Deinde ſi anima Chriſti intelligeret per intellectionem increatam, comprehenderet Deum tantà perfectione, & claritate, quanta Deus cognoſcit ſeipſum; quia intellectio ex ſuo conceptu, eſt vltima determinatio potentiæ cognoſcitiuæ, vt intelligat obiectum tanta claritate, quanta ineſt intellectioni; eodem prorſus modo, quo motus eſt vltima determinatio mobilis, vt moueatur tanta velocitate, quanta ineſt motui. Repugnat autem vt quod eſt vltima determinatio ad aliquid ex ſuo conceptu, ſit indifferens ad præſtandum ſuum munus diuerſimodè ac inæqualiter. Vnde fit vt repugnet quod motus ſit indifferens, ad hoc vt per illum moueatur mobile maiori vel minori velocitate, quàm quæ ineſt motui ex ſe. Ergo repugnat vt intellectio diuina ſit indifferens ad hoc vt aliqua potentia cognoſcat Deum per ipſam maiori, vel minori claritate, quàm quæ ineſt eidem intellectioni ſecundum ſe; atque adeò Anima Chriſti cognoſceret Deum tanta claritate & intenſione, quantà Deus cognoſcit ſeipſum. Hæc autem ſequela eſt abſurda, & damnata in Concilio Baſileenſi ſeſſ. 22. quæ damnatio approbata fuit à Romano Pontifice in quadam Bulla cuius meminit Fr. Gregor. Martinez 1. 2. q. 5. a. 1. dub. 4. concluſ. 2. quam tamen ego nullibi reperire potui.

Vis huius poſtremæ rationis apparebit clarius ſi eadem applicetur alijs Dei prædi-

tatis, quæ certum eſt non communicari formaliter humanitati; nec vllus vnquam Catholicus dubitauit, an poſſint illi communicari vel etiam de potentia abſoluta; Huiuſmodi prædicata ſunt in primis æternitas, & immenſitas Dei, per quas nec exiſtit in loco aut ſpatio, neque durat; ſed neque durare, aut exiſtere in loco poteſt humanitas de potentia Dei abſoluta. Quia videlicet vbicatio, & duratio ex ſuo conceptu ſunt vltima determinatio durantis & vbicati per ipſas, ad tantum & talem locum, & ad tantam ac talem permanentiam in rerum natura. Vnde repugnat vt aliquid informetur, & determinetur æternitate, & immenſitate diuinâ formaliter vt tali, vtque recipiat effectus formales vtriuſque, quin ſit vbique, & ſemper. Ad hoc nimirum ſolum & ad nihil aliud determinare illæ poſſunt ſubiectum quod informant. Nec fieri poteſt vt ratione earum exiſtat aliquid in hoc potius loco, quam in alio, pro hoc potius tempore quàm pro alio, ac proinde, cui conferre nõ poſſunt vt ſit ſemper & vbiq. nihil prorſus cõferre poſſunt. Eodẽ modo quo vbicatio, & duratio creata, nihil conferre poſſunt cui conferre non poſſunt vt ſit vbi, & quãdo illæ ſunt de facto ex ſuâ naturâ. Cum ergo humanitas ob ſuam eſſentialem limitationem nec ſit, nec eſſe poſſit vbique & ſemper, nullius eſt capax effectus formalis proprij immenſitatis & æternitatis diuinæ. Similiter omnipotentia diuina, quia eſt virtus contentiua indiuiſim omnium ſimpliciter producibilium ad extra, nulli poteſt conferre in genere cauſæ formalis poteſtatem producendi hos potius effectus determinatè quàm alios; ſed debet neceſſariò cõferre poteſtatem ad omnes abſolutè poſſibiles

biles indiſcriminatim producendos, vel omninò ad nullos. Quia nimirum virtus actiua eſt vltima determinatio ad poſſibilitatem actiuam eorum, quæ in ipſa continentur. Nequit autem humanitas reddi potens ad producendum omnia poſſibilia; quia nequit reddi potens ſaltem ad productionem ſui, cum ipſa ſit vnum ex poſſibilibus. Eadem eſt ratio de alijs eiuſmodi prædicatis. Non tamen eſt eadem de ſanctitate, cuius effectus formalis non eſt vltimò determinare ad aliquid extrinſecum plus, vel minus; ſed ſolùm reddere ſubiectum, obiectum cõgruum diuinæ dilectionis; id quod præſtari magis poteſt reſpectu ſubiecti cui magis cõmunicatur, & minus reſpectu ſubiecti, cui minus communicatur; Ideòque ſanctitas diuina Deitatem & perſonalitates diuinas, quibus communicatur per identitatem, reddit infinitè diligibiles à Deo: humanitatem verò, cui finitè communicatur per vnionem tantum phyſicam, reddit diligibilem finitè; Cuiuſmodi diſcrimen penes magis & minus dari non poteſt quoad præſentiam ad locũ, & tempus; & quoad poſſibilitatem effectus: Quandoquidem fieri nequaquam poteſt vt aliquid ſit præſens alicui tempori vel loco, vel vt ſit poſſibile plus, aut minus, quàm aliud; ſicut contingit vnum eſſe diligibile plus aut minus, quàm aliud, eò quod illa conſiſtunt in indiuiſibili; hoc verò nequaquam. Concluditur ergo neque ſcientiam, neque volitionem diuinam: neque immenſitatem, æternitatem, aut omnipotentiam; aut quamquam aliud eiuſmodi vltimò determinatiuum, & conſiſtens in indiuiſibili communicare humanitati ſuos effectus formales; licet ſuum communicet eidem ſanctitas diuina ratione vnionis Hypoſtaticæ,

Ad 1. Omnes operationes humanitatis Chriſti, ſiue internæ, ſiue externæ poſſunt dici Theandricæ, ſeu Dei-viriles, licet ſint creatæ, & procedant efficienter ab humanitate; quia ſimul ac indiuiſim dependent à natura humanà, & perſona diuina & fiunt ab homine Deo. Aliquæ nihilominus operationes Chriſti dicuntur Theandricæ ſpeciali alia ratione, quia videlicet in illis elucet ſpecialiter virtus Dei omnipotentis, & Miniſterium hominis redemptoris, vt in illuminatione cœcorum, ſuſcitatione mortuorum, & ſimilibus; in quibus licet interueniant duæ actiones realiter diſtinctæ, altera naturæ Diuinæ, altera humanæ; ſumunt tamen vnum nomen, & dicuntur vna operatio; quia & ordinantur ad eundem effectum, & procedunt à duabus naturis coniunctis in vnicà perſonà. Ergo impertinenter ſe habet, quod intelligat, vel non intelligat Anima Chriſti per intellectionem increatam, ad hoc vt intellectio eius ſit operatio Theandrica.

Ad 2. Repugnat intellectionem vniri ſubiecto capaci intelligendi per ipſam, quin illud reddat intelligens; non tamen ſi ſubiectum ſit incapax intelligendi per ipſam, tametſi abſolutè ſit capax intelligendi. Oſtenſum autem eſt Animam Chriſti eſſe incapacem intelligendi, per intellectionem increatam.

Ad 3. Patet ratio diſcriminis ex nuper dictis inter ſanctitatem & intellectionem, aliàque prædicata Dei. Licet autem ea omnia prædicata ſint inter ſe virtualiter intrinſecè indiſtincta; tamen ex parte humanitatis datur capacitas ad vnum effectum formalem; diſtincta realiter, à capacitate ad alios effectus formales, eàque carens.

Ad

Ad 4. Quantum Deitas intrinſecè vnita ſanctificat animam Chriſti, tantundem illam beatificat Deitas viſa prout intrinſecè vnita eidem animæ, ideòque Beatitudo iuſtiſſimè correſpondet ſanctitati. Tametſi enim viſio, qua Anima Chriſti videt Deum, ſit eiuſdem perfectionis ſpecificæ, cum viſione aliorum Beatorum, propter identitatem motiui formalis; tamen eſt propè infinitè vtilior, ac delectabilior Animæ Chriſti ſua viſio, quàm cœteris beatis. Quia in Anima Chriſti ex viſione Deitatis, prout ſummè, ac intimè ſibi coniunctæ per vnionem hypoſtaticam ſequitur gaudium penè infinitè maius, quàm ex viſione eiuſdem extrinſecè afficientis. Vniuerſim enim ex viſione boni, prout perfectius poſſeſſi ſequitur maius gaudium, quam ex viſione eiuſdem prout imperfectius poſſeſſi.

QVÆSTIO XXVIII

Vtrum detur in Chriſto multiplex ſcientia creata?

VIDETVR non dari. 1. Quia cum aliqua perfectè cognoſcuntur ex motiuo formali præſtantiſſimo, ſuperfluit omnis alia eorundem cognitio ex motiuis minus perfectis. Datur autem in Chriſto ſcientia beata per quam Deum videt & in Deo cœtera omnia. Ergo omnis alia cognitio eſt ſuperflua ac inutilis in Chriſto.

2. Scientia excludit ex ſubiecto in quo eſt fidem eiuſdem obiecti ſecundum idem, vt dictum eſt, quæſt. 25. de virtut. Theol.

Ergo eadem ratione cognitio perfecta, qualis eſt viſio beata excludit ex ſubiecto, in quo eſt, omnem aliam cognitionem. Quia quælibet alia cognitio eſt imperfecta comparatione ipſius, eidemque contradicit, ratione ſuæ imperfectionis.

3. Vires animæ ſunt ita limitatæ, vt impenſà virtute actiuà in effectus alicuius generis, eo ipſo minus ſufficiant ad effectus alterius generis, iuxta vulgàre illud, *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*. Ergo ſi Chriſto ineſſet multiplex ſcientia nulla illi ineſſet omninò perfecta, & in ſummo gradu, quod eſt inconueniens.

4. Anima Chriſti multiplicatis ſcientijs non poſſet plura, aut meliùs cognoſcere, quam cognoſcat per ſolam viſionem beatam, quia per eam cognoſcit ſummà cum claritate quidquid Deus cognoſcit per ſciētiam viſionis. adeòque cognoſcit infinita cum perfectione prope infinità, & ſimiliter cognoſcit ex poſſibilibus multò plura, & multò melius, quam poſſit cognoſcere per vllam aliam cognitionem. Nullius autem vtilitatis poſſūt eſſe cognitiones ex vi quarum nihil de nouo innoteſcit, nihilque innoteſcit magis. Ergo ſola ſcientia beata, eaque omninò ſimplex eſt admittenda in Chriſto.

5. Videtur Chriſtum Dominum nullam ſcientiam habuiſſe perfectam; id eſt complectentem omnia, quæ ipſius ſpecialiter intereſſet ſcire; quia cū triſtaretur in horto, apparuit ei Angelus de cœlò confortans eum ex Luc. 22. 43. Qui autem confortat neceſſe eſt vt proponat noua motiua ſolatij antecedenter incognita confortato, & quæ ipſius intereſſet cognoſcere atque aduertere actu; ſicut intereſt depulſio triſtitiæ & conſolatio.

R. At.

R. Attribuenda eſt Chriſto Domino omnis ſcientia & notitia includens in ſuo conceptu perfectionem aliquam peculiarē & nullam ſimul includens imperfectionem repugnantem perfectioni & dignitati eius ſubſtantiali. Quadruplex autem eſt poſſibilis huiuſmodi notitia; quia totidem ſunt genera obiectorum formalium valentium refundere in cognitionem aliquam eiuſmodi perfectionem, abſque vlla eiuſmodi imperfectione. Prima ſcientia eſt viſio Beata habens pro obiecto formali immediato Deitatem ſecundum ſe; & in ea cognoſcens res creatas naturales, & ſupernaturales, tanquam obiecta materialia. Eſt autem hæc ſcientia maximè debita Humanitati aſſumptæ. Debetur enim naturæ intellectiuæ cognitio intuitiua ſuæ perſonæ: debetur naturæ dignificatæ intima, & immediata inſpectio ſuæ dignitatis intrinſecæ, quæ in Chriſto eſt Deitas; debetur Filio naturali viſio ſui Patris facie ad faciem; atque adeò ſi animæ Chriſti defuiſſet pro aliquo inſtāti ſcientia Beata, data fuiſſet in eà ignorantia priuatiuè; hoc eſt, carentia ſcientiæ debitæ, quam ignorantiam nunquam fuiſſe in Anima Chriſti, docet tanquam dogma fidei pluribus auctoritatibus ſuffultus P. Vaſq. diſp. 41. c. 2. Conſonāt plura Euangelij teſtimonia clarè oſtendentia Chriſtum, vt hominem vidiſſe Deum, etiam ante Reſurrectionem: Ioan. 3. 11. ſuadet Chriſtus Nicodemo fidem eorum quę docebat, eo quod eſſet teſtis de viſu. *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur; & quod vidimus, teſtamur*. Teſtatur autem eo loco multa de dilectione Patris erga mundum, & de Diuinitate vnigeniti: Ergo eorum erat teſtis de viſu; atque adeò viderat Diuinitatem vni-

geniti, & dilectionem Patris, & quia teſti-
monium perhibebat vt homo, & per hu-
manitatem, erat teſtis de viſu, vt homo. Si-
militer Ioan. 8. 31. dicebat *Ego quæ vidi apud Patrem loquor*. Et Ioan. 1. 18 *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit*. Vbi cum Chriſtus contraponatur alijs, qui non viderant, manifeſtè aſſeritur, quod ipſe viderit Deũ immediatè. Ex quibus omnibus apparet ſẽtentiam iſtam abſque errore negari minimè poſſe; iſque eſt communis Theologorũ omnium conſenſus.

Secundum ſcientiæ genus dicitur ſcientia per ſe infuſa, quæ talis dicitur, quia eſt ſupernaturalis intrinſecè, & conſtituitur per ſpecies impreſſas ſupernaturales itidem intrinſecè; ideòque habitas à Chriſto per infuſionem, & quæ haberi non potuere, niſi infuſæ à Deo. Et licet ſcientia etiam Beata ſit per ſe infuſa; quia tamen illa habet nomen illud ſpeciale, nomen generis factũ eſt proprium alterius ſpeciei, minus perfectæ, quam ſit ſcientia Beata, & magis perfectæ quam ſit vlla alia ſcientia. Obiectum porrò formale ſcientiæ per ſe infuſæ ſunt res creatæ tùm naturales, tùm ſupernaturales, ratione quarum per eandem cognoſcitur etiam Deus, vt obiectum materiale, quantum cognoſcibilis eſt per creaturas. Vſus huius ſcientiæ eſt independens à ſenſationibus, & imaginationibus, tùm præexiſtentibus, tum comitantibus; ac proinde quoad modum exiſtendi, & operandi, eſt omninò ſimilis ſcientiæ Angelorum, & Animæ ſeparatæ.

Ratio attribuẽdi Chriſto huiuſmodi ſciẽtiam, eſt capacitas in primis Animæ humanæ ad cognoſcendum immediatè ratione

ſui quęlibet obiecta. Deinde quia cum res creatæ naturales & ſupernaturales, habeant ſuam vnaquæque perfectionem peculiarem, poſſunt communicare cognitioni ipſarum immediatæ perfectionem peculiarem, non contentam formaliter in viſione immediata Dei, minimè comprehenſiua eiuſdem; Ac demum, quia modus iſte cognoſcendi non repugnat Animæ coniunctæ cum Corpore. Poteſt enim Corporis organizatio, & diſpoſitio, eſſe vſque adeò prrfecta vt nihil impediat Animam, quominus operetur perinde, atque ſi Corpori vnita non eſſet, vt apparet ex ſtatu Beatorum poſt reſurrectionem, qui perinde non impedientur à corpore, quoad vllam animæ operationem; atque ſi corpus non haberet. Chriſto autem Domino debebatur omnis perfectio abſolutè poſſibilis, tam animæ, quam corporis. Habuit igitur talem organizationem, quæ non impediret cognitionem independentem a ſenſibus, & phantaſia, abſque extaſi, & alienatione à ſenſibus, eorumq. ſuſpenſione a propria operatione. Huiuſmodi nãque perfectio eſt cõpoſſibilis cũ munere Redẽptoris; quia eſt cõpoſſibilis cũ paſſibilitate corporis, & Chriſtus Dominus ſolas illas imperfectiones aſſumpſit, illiſque ſolis perfectionibus caruit, dum fuit in via, quas vt haberet, & quibus vt careret, neceſſarium fuit pro fine redẽptionis. Data igitur eſt in Chriſto ſcientia per ſe infuſa, qualis initio deſcripta eſt.

Per vtramque iſtam ſcientiam cognouit Chriſtus Dominus omnia in primis exiſtentia pro qualibet temporis differentia, eaque cognouit, comprehenſiuè. Et quidem per ſcientiam beatam, neceſſe fuit vt ea omnia cognoſceret; quia ad perfectionem Beatitudinis

dinis pertinet, vt vnuſquiſque ea omnia cognoſcat, quæ ipſum ſpeciali aliquâ ratione contingunt, vt dicetur in quæſtionib. de viſione Dei, vbi & reliqua exponenda ſunt quæ huic ſcientiæ Chriſti ſunt communia cum viſione beata cæterorum; vti etiam ſunt exponenda in qq. de ſcientia Dei, quæ ſunt eidem cum hac eàdem communia. Spectant autem ad Chriſtum ſpeciali ratione, titulo Mediatoris, ac Redemptoris, Domini, & Principis, atque Magiſtri vniuerſalis omnia creata exiſtentia, pro quauis temporis differentiâ. Illa igitur omnia vidit in Deo. Vidit verò, & cognouit comprehenſiuè, quia hoc non excedit limites ſcientiæ ſimpliciter finitæ; ſiquidem comprehenſio rerum finitarum non eſt infinita ex ſuo conceptu. Qua ſimiliter ratione conficitur ſcientiam etiam per ſe infuſam fuiſſe comprehenſiuam omnium rerum creatarum, exiſtentium pro qualibet temporis differentiâ. At per neutram ſcientiam cognouit omnia poſſibilia creata comprehẽſiuè. Quia hoc haberi non poteſt, abſque comprehenſione Dei, quæ repugnat intellectui finito, vt dicetur loco proximè indicato.

Tertia ſcientia eſt acquiſita, qualis datur in nobis, dũ manemus in corpore, includẽs in ſuo obiecto formali præter alia obiecta, etiã actũ imaginationis, ſeu phãtaſiæ, ac proinde nihil cognoſcẽs niſi depẽdẽter à phãtaſia; nihil iudicans niſi componendo, aut diuidendo; nullam cognitionem eliciens niſi ænigmaticam ex parte; ac proinde intelligens ſpiritualia ad modum materialium, & alia ad modum aliorum. Quarta ſcientia huic affinis eſt, ſcientia Experimentalis includens in ſuo obiecto formali, ipſam experientiam præſentem, aut præteritam ſenſuum

ſuum exteriorum, & nihil cognoſcens, qu od ſu b experientiam eorum non caderet. Vtraqu e hæc ſcientia debebatur Chriſto Domino, tùm quia ſicut eſt connaturalis animæ vnitæ corpori modus cognoſcendi materialis, per actus ſenſuum & imaginationis; ita connaturalis eſt modus cognoſcendi ſpiritualis dependens à ſenſibus & imaginatione: tùm quia eàdem naturali neceſſitate, qua ex obiectis exterioribus ſequuntur ſenſiones, & imaginationes materiales; ſequitur etiam in intellectu ſcientia, & acquiſita, & experimentalis, ex ſenſionibus, & imaginationibus materialibus. Et aliunde, talis modus intelligendi non dicit defectum repugnantem humanitati aſſumptæ, ſicut cognitiones materiales ſenſuum multò imperfectiores talem defectum non includunt.

De ſcientijs ipſis acquiſità, & experimẽtali, quas Chriſto cõcedit communis Theologorum & Patrum conſenſus, explicantur à pluribus quædam Teſtimonia Scripturæ vt illud ad Hebr. 5. *Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam.* Iſai. 8. *Antequam ſciat puer vocare Patrem ſuum, & Matrem ſuam, auferetur Fortitudo Damaſci.* Quem locum accomodat Chriſto Ambroſius de Incarnat. c. 7. Matt. 24. *De die autem illà, aut horà, nemo ſcit, neque Angelus in Cœlis, neque Filius, niſi Pater.* Quod ab Origene intelligitur de defectu ſcientiæ exprimentalis; licet communiter accipiatur ab alijs de totali defectu notitiæ, ita communicabilis à Chriſto cuiquam alij, ſicut ſibi communicata erat à Patre; Ideòque Patri inerat communicabiliter; Filio verò nequaquã illud deniq. Luc. 2. *Proficiebat ſapientia, & ætate*; Plures Sãcti Patres apud Card. Toletũ, & Maldonat. accipiunt de profectu in ſcientià, acquiſità vel experimen

rimentali. Hæ igitur duæ ſcientiæ concedendæ ſunt procul dubio Chriſto Domino ſimul cum duabus prioribus.

Ad 1. Tunc ſuperfluit cognitio minus perfecta habita perfectiori, quando ambæ differunt inter ſe praeisè, quoad maiorem, & minorem intenſionem in ordine ad idem obiectum formale; non verò quando in vtralibet datur perfectio aliqua ſpecialis nō reperta in alterà relatè ad motiua formalia diuerſa. Dictum autem eſt huius ſecūdi Generis eſſe, quadruplicem ſcientiam Chriſto attributam.

Ad 2. Eodem illo in loco expoſita eſt ratio ſpecialis eius incompoſſibilitatis, quæ conuenit ſcientiæ & Fidei; quia videlicèt exigunt ex parte ſubiecti diſpoſitiones ad cognoſcendum inuicem incompoſſibiles; Quæ ratio nequaquam militat in ſcientijs inter ſe diſparibus Chriſto attributis, vt ibidem obſeruatum eſt, & ſatis apparet ex dictis in hac quæſtione.

Ad 3. Tunc anima impensà virtute actiuà in effectus vnius generis redditur minus ſufficiens ad effectus alterius generis, cum debet circa idem genus impendare eaſdem formaliter vires, eandemque actiuitatem, & continentiam perfectionis. quà de cauſà pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus; quia potentiæ ſenſitiuæ impendunt in ſuos actus eaſdem vires ſpirituum vitalium, qui cōcurrentes ad vnum actum deprimuntur, vel laxantur, ita vt nō poſſint ad alium concurrere, aut non poſſint cum tanto conatu. At verò cum anima ad actus vnius generis, etiamſi illos ſolos efficiat, non poteſt adhibere niſi talem formaliter actiuitatem, & vires, tunc remanent nihilominus integræ vires aliæ adhibendæ

benda circa effectus alterius generis, nec impeditur ob perfectionem vtcumque, magnam priorum à conferenda poſteriori. bus perfectione æquali. Qua de cauſa, ex eo quod anima impendat omnes vires apprehenſiuas obiectis optimè apprehendendis, non impeditur, quominus perfectè iudicet, ſed magis iuuatur, ſimiliterque iuuatur perfectione præmiſſarum ad perfectionem concluſionis; perfecta cognitione bonitatis obiecti, ad perfectum amorem; perfectione ſimplicis complacentiæ ad perfectionem actus efficacis. Igitur in re noſtra virtus cognoſcitiua creaturarum in Deo, & Dei, vt eſt in ſe immediatè, diſtinguitur formaliter à virtute cognoſcitiua creaturarum immediatè in ſeipſis; atque, Dei immediatè in iiſdem; neque ſecus diſtinguitur hæc vtraque virtus à virtute, cognoſcitiua ænigmaticè iuuante phantaſia; atque à virtute experiundi. Potuit igitur Chriſtus Dominus habere ſimul omnes iſtas ſcientias in ſummo gradu perfectionis iuuantibus ad vnamquamque earum comprincipijs diuerſis.

Ad 4. Conceditur nullum obiectum potuiſſe cognoſci à Chriſto Domino perfectius per aliam ſcientiam, quàm cognoſceretur per ſcientiam beatam. Negatur tamẽ non potuiſſe cognoſci eadem obiecta per cognitiones alias præditas peculiari perfectione ſpecifica, quæ formaliter non ineſſet ſcientiæ beatæ, nec ita eminenter vt eadem ſcientia beata coniuncta cum illis alijs cognitionibus non conſtitueret cumulum perfectionis intenſiuè & extenſiuè maiorem, quam quæ ſoli ipſi ſcientiæ beatæ conueniret. Oportuit autem eſſe in Chriſto cumulum perfectionis in omni genere, maxi-

maximum; nec eſt inutile quod auget perfectionem ſubiecti.

Ad 5. Sicut Humanitati aſſumptæ propter phyſicam, & intrinſecam vnionem cum ſummo bono debebatur ex natura rei carentia mortis, ærumnarum & cruciatuum corporalium; & tamen Chriſtus, ſupernaturaliter impediendo talem carentiam, per nouum miraculum patratum, amore noſtri elegit mortem, ærumnas & cruciatus corporales; ſic Beato propter intentionalem connexionem cum ſummo bono per lumen gloriæ, debetur ex naturâ rei viſio Beata eſſentialiter incompoſſibilis cum quacumque triſtitia & dolore, etiam corporali; & nihilominus Chriſtus per nouum miraculum eligendo ſibi triſtitiā partis ſuperioris & inferioris, indirectè impediuit viſionem Dei eſſentialiter incompoſſibilem cum triſtitià, & dolore, & voluit ſibi aliam viſionē ſubſtantialiter non minus perfectā; quæ tamen eſſet compoſſibilis cum dolore, & triſtitia partis etiam ſuperioris. Neque propterea quidquam euenit eſſentiali Beatitudini contrarium; ad quam videlicet ſufficit vt ratio dictet nullam ſupereſſe cauſam ſollicitudinis circa poſſeſſionem vltimi finis; cui dictamini coëxiſtere poteſt dictamē inductiuum triſtitiæ repræſentans ſupereſſe aliquod bonum creatum, acquirendum, vel malum repellendum cum anxietate. Cum ergo Chriſtus ex tali dictamine liberè triſtaretur, etiam quoad partem intellectiuā, Angelus illum confortauit non proponēdo nouum motiuum, ſed ſuppliciter exorando vt triſtitiam voluntariè ſuſceptam, liberè deponeret & à miraculo contriſtatiuo ſui deſiſteret. Quoad partem verò ſenſitiuam confortauit tum propoſitis, aſpectui, vt ex

Caiet.

Caiet. docent. Valĕnt. & alij obiectis, quæ ſua amœnitate recrearent ſenſum: Tum deducto iuſtà proportione ſanguine per omnes corporis partes, ne nimis cor grauaretur, eiuſque particulis ita collectis ac diſpoſitis, vt guttæ defluentes in terram corpus leuarent. Non igitur probat ea confortatio defuiſſe Chriſto, aliqua ex parte, perfectionem & plenitudinem ſcientiæ ſibi congruentis.

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum humanitas per vnionem hypoſtaticam immediatè reddatur impeccabilis?

VIDETVR non reddi. 1. Quia vires actiuæ humanitatis, nec auctæ ſunt, nec diminutæ præcisè ratione vnionis hypoſtaticæ; quandoquidē ratione huius vnionis, nec eſt ſpecialiter communicatum humanitati Verbum Diuinum quatenus actiuum; nec eidē humanitati ablatum eſt quidquam de ſua entitate, aut de accidentibus connaturalibus vt dictum eſt ſupra; Atque adeo nec de actiuitate ſibi connaturali ablatum quidquam eſt. Ergò humanitas præcisè ratione vnionis hypoſtaticæ, nec reddita eſt valentior ad reſiſtendum peccato, nec debilior, quominùs elicere poſſit actum peccaminoſum. Ergò manſit humanitas perinde peccabilis, non obſtante hac vnione, atque foret eadem ſibi non ſuperaddità.

2. Priuatio vnionis hypoſtaticæ poteſt habere rationem pœnæ reſpectu humanitahabere

tis aſſumptibilis per ipſam. Poteſt enim Deus promittere, tum vnionem hypoſtaticam ſecundum ſubſtantiam, tum eius perſeuerantiam ſub conditione innocentiæ conſeruatæ; & minari vtriuſuis priuationem ſub conditione peccati cõmiſſi; quod omninò eſt vnionem, & eius conſeruationẽ, poſſe habere rationẽ præmij & vtriuſuis priuationẽ rationẽ pœnæ. Nõ poſſet autẽ priuatio vnionis hypoſtaticæ, aut conſeruationis eius habere rationẽ pœnæ peccati, ſi eſſet ex ſua natura intrinſecè incõpoſſibilis cum peccato. Quia eſt de ratione pœnæ, & præmij, vt eorũ inflictio, & collatio pendeant à libera voluntate præmiantis, ac punientis poſt commiſſum peccatum & exhibitum obſequium, vtque neutra ad alterutrum horũ naturali neceſſitate inimpedibiliter conſequatur. Ergo priuatio vnionis hypoſtaticæ non conſequitur neceſſariò ad poſitionem peccati; ac proinde illa non eſt incompoſſibilis ex natura rei cum iſto.

3. Si vnio hypoſtatica eſſet intrinſecè incompoſſibilis cum peccato, eiuſdemque impeditiua immediatè ratione ſui, etiã peccatum eſſet intrinſecè incompoſſibile cum illa, eiuſdemque impeditiuum immediatè ratione ſui; Neceſſe namque eſt oppoſitionem, & incompoſſibilitatem eſſe vtrimque æqualem, & eiuſdem rationis. Sequela autẽ eſt falſa; quia inde rurſus ſequeretur aliquid purè naturale, quale maximè eſt peccatum, eſſentialiter connecti cum poſſibilitate alicuius ſupernaturalis, quale maximè eſt vnio hypoſtatica; cùm, quod eſt intrinſecè impeditiuum alicuius, eiuſdemque exiſtentiæ intrinſecè oppoſitum, eſſentialiter præſupponat poſſibilitatem ipſius. Hæc autem ſecunda ſequela eſt falſa; quia eſt de conceptu

ceptu entis ſupernaturalis, vt eius poſſibilitas ſit ſupra omnem exigentiam, & connexionem tam intentionalem, quàm phyſicam totius naturæ; nec vllo alio pacto quidditas illius ſufficienter explicari poteſt, vti pluribus ſemel atque iterum contendit Pater Ripalda.

4. Vnio hypoſtatica non eſt immediatè per ſe ipſam inductiua bonorum operum humanitatis: neceſſe namque eſt, vt prætere a interponatur cognitio eorum directiua, & ſimplex complacentia inclinans ad eadē. Ergo nec eſt impeditiua peccatorum eadem vnio immediatè per ſe ipſam, cùm ad hanc impeditionem eadem requirantur, quæ ad illam inductionem. Ratio à priori antecedenti, & conſequenti communis eſt, quia nequit voluntas per aliqnid purè phyſicum immediatè determinari, aut aliquatenus inclinari ad vnam potiùs partem cōtradictionis, quàm ad oppoſitam; ſed per ſolam cognitionem, & complacentiam antecedentem præſtari id immediatè poteſt, vt dictum eſt quæſt. 15. de Grat. Ergo voluntas Chriſti Domini non poteſt determinari ad non peccandum præcisè ac immediatè per vnionem hypoſtaticam, quæ eſt quid purè phyſicum; ac proinde nec potuit per illam immediatè reddi impeccabilis, ſed per interpoſitam viſionem beatificam, aut quid ſimile; vti Schotiſtæ communiter tuentur. Quare ſi humanitati aſſumptæ per Verbum conferretur nihilominus ſola cognitio ex ſe indifferens ad peccatum & bonum opus, qualis confertur puro homini viatori, poſſet vtiq; peccare non minùs, quàm quilibet purus homo.

5. Humanitas Chriſti antecedit prioritate naturæ vnionem hypoſtaticam, tum quoad

quoad primum eſſe, tùm pro ſingulis conſeruationis inſtantibus. Ergo tam pro primo inſtanti, quàm pro reliquis omnibus fuit indifferens pro priori naturæ ad peccandum, & non peccandum, non ſecùs ac humanitas cuiuſuis puri hominis; Nempe vnio impedire nihil potuit pro eo ſigno naturæ, pro quo non dum erat. Potuit ergo abſolutè excludi vnio hypoſtatica per peccatum ab humanitate, atque impediri quo minùs exiſteret; nec non corrumpi poſtquam iam extitiſſet. Ergo humanitas Chriſti manſit ſemper peccabilis ſaltem in ſenſu diuiſo vnionis hypoſtaticæ, ſicut purus homo iuſtus eſt peccab lis in ſenſu diuiſo iuſtitiæ; quod ſufficit vt abſolutè dicatur, & ſit peccabilis.

R. Tria ſunt certa circa præſentem quæſtionem, & à Theologis indubitanter admiſſa. Et quidem primum eorum eſt certum ex fide; nimirum Chriſtum de facto nunquam peccaſſe, quod habetur Petri 2. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Idem traditur in Euang. Ioannis 14. 31. & ab Apoſtolo Paulo 4. ad Hebr. 15. Nonnulla in contrarium teſtimonia exponit inter alios diligēter Moncæus diſp. 9. cap. 1. Alterum eſt, non potuiſſe de facto peccare Chriſtum Dominum. Primò, quia fuit beatus à primo ſuæ conceptionis inſtāti; atque omnis beatus redditur impeccabilis per beatitudinem, vt dictum eſt in qq. de Angelis. Secundò quia omnis peccans eſt ignorans; atque in Chriſto nulla fuit ignorantia vt conſtat ex quæſt. 28. Tertium eſt Chriſtum eſſe impeccabilem ex vi vnionis hypoſtaticæ, ſaltem ex natura rei, & mediatè; Quia ex vi vnionis hypoſtaticæ debita illi fuit ſaltem ex natura rei vt dictum

eſt

eſt in eadem quæſt. beatitudo, & excluſio omnis ignorantiæ, quæ immediatè reddunt impeccabilem eum, cui inſunt.

Dicendum præterea eſt Chriſtum fuiſſe impeccabilem, ſaltem ex natura rei, immediatè ac præcisè ratione vnionis hypoſtaticæ. Quia præcise ac immediatè ratione ipſius debetur Chriſto, ſaltem ex natura rei, vt modo dicebatur, beatitudo, & excluſio omnis ignorantiæ; quæ per ſeipſas immediatè ſunt formæ excluſiuæ peccati. Id autem, ratione cuius debetur immediatè forma incompoſſibilis cum aliqua priuatione, ſeu cũ alia forma, neceſſariò eſt æquè immediatè incompoſſibile cum eadem priuatione, ſeu forma. Quia incompoſſibilitas immediata cum priuatione aut forma aliqua conſtituitur formaliter per connexionem immediatã cum forma oppoſita.

Adde nec de potentia Dei abſoluta peccare potuiſſe Chriſtum Dominum in ſenſu compoſito vnionis hypoſtaticæ. Quia peccatum eſt impoſſibile, ſaltem ex natura rei, in ſenſu compoſito huius vnionis, vt modò dicebatur. Peccatum autem quandocunq; & quomodocunque eſt impoſſibile ex natura rei, eſt etiam impoſſibile de potentia abſoluta; nec fieri poteſt, vt per miraculum committatur. Quia miraculum directum ad exiſtentiam peccati eſt intrinſecè turpe ac dedecens Deum; nec eſt perfectiuum, ac promotiuum naturæ vltra ſuam intrinſecam exigentiam, ſed eſt deturpatiuum ac diminutiuum eiuſdem infra eandem, quod dictũ eſt in quæſtionibus de gratia eſſe contra cõceptum eſſentialem veri; hoc eſt diuini miraculi. Secundò humanitas Chriſti ita eſt ſancta, & grata Deo per vnionem hypoſtaticam, vt Chriſtus ratione ipſius ſit per-

fectiſ-

ſectiſſimè, atq; in ſummo gradu amicus Dei, ſitque chymæricum, vt, dum retinet eam vnionem, non retineat ſeum amicitiæ gradum cum Deo, vt oſtenſum eſt quæſt. 24. Repugnat autem in ſenſu compoſito eiuſmodi amicitiæ cum Deo dari diuinam reſpectu eiuſdem ſubiecti non ſolùm inimicitiam, quæ conſequitur eſſentialiter ad peccatum lethale, ſed etiam diſplicentiam vel minimam, qualis ſimiliter conſequitur ad peccatum veniale. Ergò repugnat in ſenſu compoſito vnionis hypoſtaticæ omne peccatum.

Sed neque in ſenſu diuiſo vnionis hypoſtaticæ fieri vllo pacto potuit, vt peccaret Chriſtus Dominus; ita vt humanitas eius impediret peccando, aut haberet poteſtatem proximam impediendi exiſtentiam, vel conſeruationem vnionis ſibi, ſi non peccaret, conferendæ, vel conſeruandæ pro eodem illo inſtanti, pro quo vel de facto peccat, vel peccare proximè poteſt. Quia huiuſmodi poteſtas peccandi in ſenſu diuiſo nullo pacto dari poteſt, quin componatur cum vnione hypoſtatica, poſſitque componi poteſtas proxima peccandi; quod conſideranti euentum propoſitum ſatis ex ſe patet. Poteſtas autem proxima peccandi ratione ſui eſt eſſentialiter incompoſſibilis cum vnione hypoſtatica. Quælibet namq; poteſtas proxima peccandi formaliter ratione ſui eſt aliquod periculum proximum peccati, ac proinde aliqua proxima poſſibilitas veræ miſeriæ, & materia prudentis alicuius ſolicitudinis, & anxietatis circa vltimum finem, veramque felicitatem; quæ ipſa conſtituunt formaliter ratione ſui veram aliquã miſeriam incompoſſibilem cum vera ſubſtãtiali felicitate, & beatitudine formali, vt dictum eſt in qq. de Angel. Quidquid autem

miſeria

miſeriæ eſt incompoſſibile cum vera ſubſtã-tiali felicitate, & beatitudine formali, eſt etiam incompoſſibile cum vnione hypoſtatica, vtpote continente in ſe eminenter beatitudinem ipſam formalem, multò quę magis coniungente cum Deo, & concilian-te affectum ipſius multò maiorem, quam coniungat & conciliet beatitudo formalis purè creata Ergo poteſtas proxima peccã-di eſt incompoſſibilis cum vnione hypoſta-tica; ac per conſequens cuicunque datur poteſtas proxima peccandi, eo ipſo negatur pro tunc vnio hypoſtatica, & poteſtas illam habendi; atque è conuerſo. Ergò repugnat vt inſit alicui poteſtas proxima indifferens peccandi, & excludendi peccato vnionem hypoſtaticam, vel, ſi non peccauerit, obti-nendi, aut retinendi eandem vnionem, quod eſt repugnare poteſtatem proximã peccan-di in ſenſu diuiſo vnionis hypoſtaticæ.

Fuit igitur Chriſtus Dominus, & eſt prorſus impeccabilis, tum in ſenſu compoſito, tum etiam diuiſo vnionis hypoſtaticæ, abſq; vlla poteſtate proxima peccandi, tum ex natura rei, tum etiam de potentia Dei ab-ſoluta, idque ex vi vnionis hypoſtaticæ for-maliter & immediatè. In quam ſententiam vehementer inclinat communis conſenſus Patrum, quorum plura pro illa teſtimonia videri poſſunt apud Suarium diſp. 34. ſect. 2. & apud Vaſq. diſp. 61. cap. 3. nec non gra-ues grauium Theologorum cenſuræ aduer-ſus contrarias opiniones apud Em. de Lugo, & Bernal.

Ad 1. Vires actiuæ humanitatis nec augẽ-tur quidquam quoad entitatem, nec minuũ-tur immediatè per vnionem hypoſtaticam; impediuntur tamen immediatè, quominùs prodeant in actum peccati. Sicut potentia

 ambus

ambulatiua impeditur per compedes, quominùs exerceat actum ambulandi; tametſi nec augeatur, nec minuatur quoad entitatem actiuitas eius: quia videlicet ea vnio eſt forma immediatè incompoſſibilis cum eo actu, & cum iis, quæ vltimò complent potentiam proximam ab illum.

Ad 2. Tranſeat pro nunc priuationem vnionis hypoſtaticæ pro vno inſtanti poſſe eſſe pœnam peccati commiſſi pro alio priori inſtanti reali temporis, de quo poſtea; & nego eandem priuationem poſſe eſſe pœnã peccati commiſſi pro eodem inſtanti reali, pro quo ipſa inducitur. Quia hoc includit compoſſibilitatem potentiæ proximæ peccandi cum vnione hypoſtatica, quam compoſſibilitatem oſtenſum eſt eſſe repugnantẽ. Deinde non eſt de ratione pœnæ, aut præmij, vt non conſequantur neceſſitate naturali, aut etiam metaphyſica ad meritum, aut ad demeritum. Immo nulla de facto infligitur pœna, nullumque confertur præmium, cum quibus non habeat connexionem eſſentialem tota ſaltem collectio meritorum, & demeritorum, quibus rependuntur, vt dicetur infrà. Ex duplici igitur capite deficit illud argumentum quominùs concludat cõpoſſibilitatem vnionis hypoſtaticæ cum peccato.

Ad 3. Peccatis, quæ de facto puniuntur priuatione beatitudinis ſupernaturalis; impediuntur, condonantur, ac corrumpuntur per dona ſupernaturalia gratiæ; ac per ſui maximè deteſtationem ſupernaturalem; ſunt occaſio eorundem donorum, & propter eadem occaſionaliter inducenda permittuntur à Deo; eſt intrinſecum & eſſentiale eſſe ſic punibilia, impedibilia, condonabilia, ac corruptibilia; occaſionãtia, deteſtabilia, ac permiſſibilia:

miſſibilia: quæ omnia includunt formaliter eſſentialem connexionem cum poſſibilitate donorum ſupernaturalium, vt patet. Neque verò id cedit in aliquam peccatorum excellentiam, aut depreſſionem donorum ſupernaturalium; ſiquidem omnia ea prædicata fundantur in vilitate, & malitia peccatorum, atque in contraria donorum Dei præſtantia, ac bonitate; ideoque maximè præeminent in maximis peccatis, & ſummis donis inuicem collatis, vti facilè apparet in peccato originali, & vnione hypoſtatica. Iam quod dicitur nullum ſupereſſe modum exponendi quidditatem entis ſupernaturalis, niſi eius poſſibilitas abſoluatur à connexione, & ordine tranſcendentali totius naturæ, verum minimè eſt. Quia ad legitimam expoſitionem quidditatiuam entis ſupernaturalis, ſufficit, ſi eius non poſſibilitas, ſed ſola exiſtentia abſoluatur ab ea connexione, & ordine totius naturæ, dicente Auguſtino lib. 1. de prædeſt. Sanctorum cap. 3. *Poſſe habere fidem natura eſt hominum; habere fidem gratia eſt fidelium*: ac ſi diceret: Poſſibilitas fidei ineſt intrinſecè naturæ humanæ, ſolaq; illius exiſtentia eſt eidem gratioſa, ac indebita; qua de re dictum eſt ex profeſſo q. 6. de gratia. Dicatur modo ratione, quæ inſinuata eſt, nullius abſurdi eſſe, quòd peccatū ſit eſſentialiter connexum cum poſſibilitate vnionis hypoſtaticæ; intrinſecè tamen præditum vi, quantum eſt ex ſe, impeditiua exiſtentiæ eiuſdem vnionis, atque eſſentialiter impedibile viciſſim per eandem vnionem cum mutua vtrinque eſſentiali incompoſſibilitate.

Ad 4. Conceſſo antecedenti negatur cōſequentia. Quia ad impediendam exiſtentiam alicuius rei quidlibet cū ea incompoſſi-

bile æqualiter, eodemque modo ſufficit. Sicut exiſtentia ipſius rei ſe ſolà immediatè & formaliter eſt excluſio ac negatio omniū & ſingulorum ſecum incompoſſibilium. At ad inducendam exiſtentiam rei, non ſimiliter ſufficit ſe ſolo quidlibet cum ea connexum, ſed requiruntur omnia, ex quibus cōflatur cauſa eius immediata adæquatè ſumpta, quæ ex pluribus comprincipijs, & requiſitis conſurgere poteſt, quorum quolibet deficiente deficit effectus. Nulla igitur eſt paritas argumenti. Ad rationē eius à priori conceditur per nihil purè phyſicum poſſe voluntatem immediatè determinari, aut inclinari ad actum vitalem, ſeu bonum, ſeu malum; idque ſolùm oſtenſum fuit in quæſtionibus de gratia. Cæterùm ad priuationem inuoluntariam actûs determinari proculdubio poteſt immediatè voluntas per aliquid purè phyſicum; quia per aliquid purè phyſicum auferri ipſi poteſt immediatè id ſine quo operari non poteſt ſeu bene, ſeu malè. Potuit igitur per vnionem hypoſtaticam immediatè impediri humanitas Chriſti, quominùs peccaret. Quia ratione eius impedita fuit immediatè, quominùs haberet potentiam proximam peccandi; atque adeò & cognitionem ex ſe indifferētem ad peccandum, & non peccandum, vt conſtat ex poſtrema parte reſpōſionis ad quæſtionem. Quare vt humanitati aſſumptæ per Verbū conferretur nihilominùs ſola cognitio ex ſe indifferens ad peccatum, & bonum opus, eſt caſus chimæricus.

Ad 5. Vt nihil modò dicatur de impotentia ſeu phyſica ſeu metaphyſica cuiuſuis naturæ ad operandum, priuſquam ſit vltimo ſubſtantialiter completa per ſuppoſitum, quod eſt valde anceps; hoc certò dici poteſt,

teſt, humanitatem, dum pro priori naturæ eſt indifferens ad ſuppoſitum diuinum, vel creatum ac connaturale, eſſe etiam indifferentem, ſaltem ex natura rei, ad comprincipia accidentalia, talia vel talia, quæ videlicet debent ſibi attribui diuerſa pro diuerſitate ſuppoſiti, quod ipſi contigerit: ſicut de facto collata ſunt diuerſa Chriſto Domino, ac puro cuiuis homini. Quodſi nihilominùs ponatur Deum de potentia abſoluta conferre humanitati pro illo priori naturæ omnia comprincipia ad operandum requiſita, eàque ſint talia, quæ conſtituant adæquatam potentiam proximam ad peccandum, eo ipſo pro eodem priori naturæ ante peccatum poſita erit in humanitate priuatio vnionis hypoſtaticæ; ſiquidem oſtenſum eſt potentiam proximam peccandi immediatè ratione ſui eſſe incompoſſibilem cum ea vnione. Nullo igitur pacto fieri poteſt, vt humanitas conſtituatur pro priori naturæ potens ad excludendam per peccatum vnionem hypoſtaticam ſibi ſi non peccet, conferendam, aut conſeruandam pro eodem illo inſtanti reali temporis, pro quo quo conſtituitur potens peccare.

QVÆSTIO XXX.

Vtrum humanitas aſſumenda à Verbo, vel quæ aſſumpta fuiſſet, redderetur impeccabilis ante aſſumptionem, aut poſt dimiſſionem?

VIDETVR quòd non redderetur. 1. Quia forma nondum communicata ſubiecto, aut iam ab eodem ſeiuncta, nullum illi communicat effectum formalem. Ergo effectum formalem impeccabilis habere nullàtenus potuiſſet humanitas ab vnione hypoſtatica præcisè quatenùs futura, vel quatenus præterita.

2. Futuritio, & præteritio vnionis hypoſtaticæ, ſunt denominationes purè extrinſecæ humanitati pro eo tempore, quo caret vnione; Impeccabilitas verò eſt perfectio intrinſecè afficiens naturam impeccabilem, & confirmatam in bono pro eo tempore, quo eſt impeccabilis, & confirmata in bono: Præcedit enim dignitate, & iuſta æſtimabilitate impeccabilis & confirmatus in bono, peccabili & minimè confirmato. Ergo impeccabilitas per neutram illarum denominationum haberi potuiſſet.

3. Verbum diuinum aſſumere potuit naturam humanam venientem ex Adamo per ſeminalem propagationem: ita vt Chriſtus quatenùs homo haberet Patrem, ſicut habuit Matrem deſcendentem ex Adamo. Talis autem natura eo ipſo fuiſſet infecta pec-

cato

cato originali. Ergo natura infecta peccato manet nihilominùs aſſumptibilis à Verbo. Ergo futuritio aſſumptionis nihil impedit anteceſſionem peccati; eademque eſt ratio de præteritione, & ſubſecutione.

4. Nulla forma creata futuritione, aut præteritione ſui præcisè impedit ſubiectum, quominùs contrahat qualemcunque imperfectionem. Ergo nec vnio hypoſtatica, quæ & ipſa eſt aliquid creatum, vt dictum eſt.

R. Voluntas perfectè intentiua finis, qualis imprimis eſt diuina, diſponit media prout expedit ad conuenientem ac decentem executionem talis finis. Pertinet autem ad conuenientem ac decentem executionem incarnationis, & exiſtentiæ Chriſti, vt natura aliquando aſſumenda à Verbo nunquã peccet antecedenter, tametſi præexiſtat ſeiuncta ab illo. Quod à fortiori conuincunt rationes, quas communiter afferunt Theologi cum D. Thoma quæſt. 27. art. 4. pro indemnitate B. Virginis ab omni peccato tam mortali, quàm veniali. Quia honor naturæ aſſumendæ redundat in ſuppoſitum multò magis, quàm honor matris in filium; & multò maiorem affinitatem, ac coniunctionem habet cum diuinitate natura, quæ aſſumitur aliquando à Verbo, quàm mater ex qua aſſumitur; & ſapientia Dei ita habitauit in vtero Virginis, vt multò magis inhabitet in natura aſſumpta *plenitudo diuinitatis corporaliter* ex 2. ad Coloſſ. 9. Ergo ſi, quia ex Prouerb. 17. 6. *Gloria filiorum patres eorum:* ac per conſequens ignominia matris ad filiũ redundat; & quia ex 2. ad Corinth. 6. 15. *Quæ conuentia Chriſti ad Belial?* hoc eſt, nulla prorſus: & quia ex Sap. 1. 4. *In maleuolã animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis:* Si, inquam, ob

has rationes & authoritates communi Au-thorum conſenſu concluditur, & quidem meritò, neceſſe fuiſſe, vt, quæ futura erat Mater Dei, præſeruaretur, quominùs vllum peccatum committeret; ratione vtique multò maiori neceſſe foret, ſaltem ex natura rei, vt humanitas aliquando aſſumenda à Verbo nullo pacto permitteretur peccare, aut lethaliter, aut venialiter; ne prouidendentia Dei deficeret in idonea medio-rum diſpoſitione reſpectu finis præ intenti. Ergò natura aliqnando aſſumenda à Verbo eo ipſo redderetur impeccabilis à primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti.

Iam natura ſemel aſſumpta à Verbo ideò impoſterum redderetur impeccabilis abſolutè, ſaltem ex natura rei, per totam æternitatem, quia vnio hypoſtatica eſt incorruptibilis, ſaltem ex natura rei, ſimulque eſt eſſentialiter incompoſſibilis cum peccato: Et quia neceſſitate vt minimùm naturali infert beatitudinem formalem, cui eſt eſſentiale reddere ſuum ſubiectum impeccabile per totam æternitatem, cui videlicet eſſentiale eſt reddere ſuum ſubiectum beatum per totam æternitatem, vt ſuppoſitum nuper fuit ex quæſtionibus de beatitudine. An verò diuinitùs fieri poſſit vt natura creata aſſumpta à Perſona diuina dimittatur ab ea poſt aliquod tempus nunquam iterum reaſſumenda? obſcurum mihi maximè eſt, vti pleraque alia, quæ de potentia Dei abſoluta diſputantur; dicetur tamen obiter ea de re aliquid infrà.

Quod ad præſens directè attinet, ſuppoſito per poſſibile, vel impoſſibile, dimitti naturam ſemel aſſumptam, non video cur ea peccare non poſſet perinde atque ſi nunquam vnita fuiſſet Perſonæ diuinæ: Quia pecca-

peccatum quatenus futurum nullam refundit in genere cauſæ formalis indignitatem, & contemptibilitatem in peccantem; nec vllam vim demeritoriam, aliùdue genus cauſalitatis exercet pro tempore antecedenti. Ergò non ſpectat ad dignitatem, & decentiam Perſonæ diuinæ ne incidat in peccatum natura per ipſam aſſumpta poſtquam ab eadem dimiſſa fuerit, ſed perinde dignè, ac decenter exiſtet vnita, atque ſi ea natura nunquam eſſet peccatura; nec illi contingere poterit, vt antecedenter priuetur vnione hypoſtatica propter ſubſequens peccatum; ne, quod fieri non poteſt aliquam iacturam patiatur natura, dum eſt innocens, ex peccato poſteà committendo, & pœna, aut quaſi pœna antecedat peccatum impedito per illud bono aliàs habendo.

Hæc ratio non viget proportionaliter ſimili modo circa peccatum quatenus præteritum; quia peccatum ſemel commiſſum eſt exprobrabile committenti per totam æternitatem, eidèmque eſt cauſa & materia æternæ humiliationis, & minoris honoris, quàm ſi innocens, & incolumis permanſiſſet. Nec dici poteſt diuinitatem ſubiecto, cui vnitur pro aliquo tempore, communicare ſimiliter dignitatem æternam, ne vnquā ſinatur labi in peccatum. Quia dignitas habita per voluntatem alterius communicantis aliquam formam penitùs interit habenti quoad omnes ſuos effectus formales, quando aufertur per voluntatem eiuſdem; quia dat æſtimabilitatem, & honorabilitatē præcisè quatenus perficit phyſicè, quod ceſſat penitùs ceſſante phyſica vnione formæ perficientis. Ergò natura aſſumenda à Verbo eo ipſo redditur impeccabilis

bilis, ſaltem ex natura rei; non verò quæ aſſumpta & demiſſa fuerit.

Ad argumenta in contrarium conceditur intentum quoad vnionem hypoſtaticã vt iam præteritam. Quoad futuritionem verò reſpondetur ad 1. Forma nondũ communicata ſubiecto, ſi conſideretur præcisè in genere cauſæ formalis nihil illi præſtare poteſt; poteſt verò ſi conſideretur in genere cauſæ final s; quia hæc cauſa exercere valet ſuam cauſalitatem, & inducit ſuos effectus, antequam ſit in ſe intrinſecè. Quare vnio hypoſtatica futura, quatenus eſt finis præcedentium, poteſt mediante cognitione, & voluntate Diuina inducere formã, quã immediatè præſeruetur à peccato, & reddatur impeccabilis natura aſſumenda.

Ad 2. Licet futuritio vnionis hypoſtaticæ ſit denominatio extrinſeca humanitati, & impeccabilitas ſit perfectio eius intrinſeca; poteſt tamen hæc ab illa prouenire in genere cauſæ finalis, vt dictum eſt, inducta per eam futuritionem, hoc eſt, per prouidentiam, & decretum incarnationis futuræ, formà immediatè, ac intrinſecè cõfirmante voluntatem in bono.

Ad 3. Admittitur aſſumi potuiſſe naturam venientem ex Adamo per ſeminalem propagationem. Sed non propterea aſsũpta fuiſſet natura infecta peccato originali; quia præſeruata ab illo fuiſſet pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti per infuſionem gratiæ ſanctificantis: Nempe rationes, & authoritates fundamentales reſponſionis ad quæſtionem, non minùs efficaciter concludunt de præſeruatione ab originali, quàm ab omni actuali, ſeu perſonali. Immò concludunt de illo efficacius; quoniam exiſtente indecentia indiſcriminatim communi vtri-

que

que generi peccatorum, hoc eſt in eorum impeditione diſcrimen, quòd attentâ rerum naturâ faciliùs eſt eximi aliquem a malo morali ſibi imminente ex volũtate alterius, quàm ab imminente ex propria voluntate; quatenus virtualis ſeu moralis incluſio vnius agentis liberi in alio agente libero creato non eſt connaturalis, nec debita ex natura rei, vel includenti, vel incluſo: fragilitas verò & labilitas propriæ voluntatis eſt vnicuique conſerta naturali neceſſitate; atque, cæteris paribus, credibilius eſt & eatenus quodammodo facilius, id accidiſſe, aut fore vt accideret, quod nulli naturali exigentiæ, ac neceſſitati aduerſatur, quàm quod aduerſatur eidem; Idque priuilegium conceſſum eſſe, quod eximit à lege rebus, circa quas verſatur, prorsùs extrinſecâ & innaturali, quàm ab ea, quæ eſt eiuſdem naturaliter agnata, & cui ſubiacent naturali neceſſitate.

Ad 4. Etiam natura intendens formam ignis excludit ante exiſtẽntiam ipſius ex ſubiecto frigus, quod illi minimè congruit, & inducit calorem eidem congruentem; Et ſic ſimiliter in alijs finibus, & medijs contingit, ſeu purè phyſicis, ſeu moralibus. Deinde eſt diſcrimen inter formas creatas, & vnionem hypoſtaticam; quia licet ſit quid creatum; communicat tamen ſubiecto formam, ſeu quaſi formam increatam eſſentialiter æternam, ac proinde pollentem, pro omni temporis differentia, vi & exigentiâ ſibi intrinſecâ ad repellendum quidquid quomodolibet, & quandolibet ipſam non decet, inducendũmque quod decet ex quauis ſuppoſitione ſeu præſenti, ſeu futura; quam ad omnia tempora phyſicam præſentialitatem indiuiſam propriæ dignitatis nulla habet forma, purè creata.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrum alij defectus connaturales humanitati, præter peccatum & peccabilitatem, aſſumpti fuerint à Chriſto Domino?

VIDETVR nullos omninò defectus in Chriſto fuiſſe, aut eſſe potuiſſe 1. Quia cui ineſt omnis perfectio, nulla poteſt ſimul ineſſe imperfectio. Chriſto autem ineſt omnis perfectio; ſiquidem ineſt plenitudo diuinitatis continens in ſe omnem perfectionem; ineſt verò vnita immediatè tam corpori, quàm animæ. Ergò nec in corpore, nec in anima Chriſti vlla fuit, aut eſſe potuit imperfectio. Ergo nec vllus defectus.

2. Quilibet defectus perfectionis vnicuique ineſſe poſſibilis eſt aliqua pars miſeriæ contradicens plenitudini felicitatis, ac beatitudinis, quæ videlicet eſt *ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*. In Chriſto autem fuit plenitudo beatitudinis, quia in ipſo fuit plenitudo gratiæ, vt habetur Ioan. 1. Atque beatitudo, quæ eſt ipſa vita æterna, eſt gratia Dei, vt docetur ab Apoſtolo.

3. Defectus corporis, & maximè animi, vt mors, dolores, triſtitia, & ſimiles, omnes proficiſcuntur ex peccato originali. Quia Deus in initio hominem fecit rectum, hoc

hoc eſt, expertem omnis defectus. In Chriſto autem nec fuit, nec eſſe potuit peccatum originale, vt dictum eſt. Atque remotà causà remouentur effectus ex ea manantes. Ergò in Chriſto nullus fuit, nec eſſe potuit defectus aut corporis, aut animæ.

4. Nullus fuit defectus in Chriſto ex parte animæ; quia omnis perfectio propria animæ, atque ideò & omnis defectus proprius eiuſdem, pertinent ad intellectum, & voluntatem. Chriſtus autem quoad voluntatem fuit *plenus gratiæ*, & quoad intellectum *plenus veritatis*, ex 1. Ioannis. Ergò quoad neutram potentiam fuit in Chriſto vlla vacuitas, vllúſue defectus perfectionis. Exiſtente autem plenitudine perfectionis abſque vllo defectu ex parte animæ, nullus poteſt eſſe defectus in corpore. Quia ex perfecta animæ conſtitutione deſcendit in corpus excluſio omnis defectus tendentis ad corruptionem, & mortem. Nam vt habetur ex Auguſtino ad Dioſcorum ep. 55. ante medium: *Tam potenti naturà Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine &c. redundet in inferiorem naturam, quod eſt corpus &c. plenitudo ſanitatis, ideſt, incorruptionis vigor.* Ergò nec ex parte animæ, nec ex parte corporis vllus potuit eſſe defectus in Chriſto.

R. Verbum Diuinum naturam humanam neque cum omnibus, neque ſine vllis defectibus ipſi connaturalibus aſſumpſit: fuit enim Chriſtus comprehenſor ſimul & viator, cum pleniſſima Dei viſione ac fruitione ex vna parte, & ex alia cum poteſtate, ac idoneitate merendi ſibi & alijs, atque ſatisfaciendi pro noſtris peccatis. Perfectio autem beatitudinis neceſſariò excludit eos

defectus

defectus humanæ naturæ connaturales, quibus ipſa ſibi relicta, & cum ijs ſolis proprietatibus, quæ connaturaliter ei debentur, neceſſariò eſt miſera. Conditio ſimiliter viatoris excludit aliquas perfectiones in quarum conſecutione via eius terminatur, & quarum gratiâ iter peragitur; ac proinde includit defectus illis perfectionibus oppoſitos. Quia verò neque perfectiones pertinentes ad complementum beatitudinis, neque defectus, quos comprehendit ſtatus viatoris, conſiſtunt in indiuiſibili, & vtrinque plures, pauciorè ſue eſſe abſolutè potuere, alia præterea regulâ opus eſt ad diſcernendos, & vltimò determinandos defectus aſſumptos, & reiectos. Hæc autem regulâ eſt finis incarnationis, quatenus finis eſt iuſta mediorum menſura. Finis porrò ſpecialis incarnationis, vt dictum eſt q. 13. præter ipſius myſterij excellentiam, fuit remedium peccati per condignam eius ſatiſfactionem, emundationem, & illuminationem mortalium. Ad hunc autem finem nullus imprimis defectus ſanctitatis, aut ſcientiæ fuit in Chriſto neceſſarius; quin immò fuit neceſſaria ſumma quoad vtramque perfectio. Primùm enim qui vult alios emũdare à peccato, debet ipſe quàm longiſſimè ab eo remoueri. Quapropter non ſolum, nullum fuit in Chriſto peccatum, nullaque peccandi potentia proxima, vt dictũ nuper eſt; verùm neq. fuit quicquã eorum, quæ vel perducũt ad peccatũ, vel nõ niſi ad peccatũ conſequuntur: ac proinde nõ fuit in Chriſto fomes peccati, qui nihil eſt aliud, quàm inordinata inclinatio ad ea, quæ legi Dei, & rationi ſuperiori aduersãtur; nec potuit aliqua tentatione, aut motu primò primo ad hæc eadẽpulſari; nec etiã fuit vllus peccati-

rea-

reatus, cui ſolum is eſt obnoxius, qui aliquando peccauit. Similiter in intellectu Chriſti non modo nullus fuit error, ſeu falſitas, temeritas, opinio, dubitatio, aut ſimilis alius defectus poſitiuus; ſed neque fuit vlla ignorantia, ſeu priuatio cognitionis ipſi debitæ ſecundum ſuam cõditionem, ſtatum, & munus. Quia huiuſmodi defectus nihil iuuare poterant ad finem incarnationis; quin immò oppoſitæ perfectiones erant neceſſariæ ad eam illius partem, quæ in illuminatione, & inſtructione generis humani, & perfecto ac vniuerſali erga illud magiſterio ſita erat; & præterea, vt volũtas optimè ac opportunè operetur circa omnia & ſingula, & pro omnibus ac ſingulis, vti decebat Chriſtum operari, oportet intellectum eſſe de omnibus & ſingulis pleniſſimè inſtructũ.

Aſſumpta igitur imprimis fuit paſſibilitas ex parte corporis cum ea primarum, & ſecundarum qualitatum diſpoſitione, ac tẽperamento, quod læſioni corporis, vulnerationi & occiſioni, fami, ſiti, alijſque huiuſmodi locum daret. Quia, vt ſic pateretur Chriſtus Dominus, fuit neceſſarium ad ſatisfactionem pro noſtris peccatis; ſiquidem de ratione ſatisfactionis eſt, vt ſit opus pœnale ac moleſtum ſatisfacienti. Quia verò ſatisfactio Chriſti fuit vniuerſalis pro toto humano genere, & exhibita pro illo eſt principaliter quatenus infecto per peccatũ originale; atque ſatisfactio vnius pro alio tunc fit conuenientiſſimo modo, cum ſatisfaciens in ſe ſuſcipit eas paſſiones, quibus ſuberat peccator ratione peccati; propterea Chriſtus Dominus ſuſcepit eos omnes defectus corporales cõſtitutiuos paſſibilitatis, qui ſunt omnibus hominibus communes, & ratione peccati originalis vniuerſaliter ac indi-

indiſcriminatim propagantur, iuxta illud Iſa: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit* Eos verò defectus, qui quibusdam ſolùm inſunt, vel ex defectu virtutis generantis, vel ex vitio ac abuſu patientium illos, nequaquam aſſumpſit; Quia Chriſtus cauſam ſuæ generationis diſpoſitiuam & effectricem habuit perfectiſſimam Spiritum ſanctum, nullòque voluntario vitio, ac abuſu laborauit. Rurſus quia paſſiones corporales, ſeu læſiones meritoriæ, & ſatisfactoriæ eſſe non poſſunt, niſi sẽſus earum ad animam vſque pertingat; ideò etiam ex parte animæ aſſumpta eſt capacitas ſentindi dolorem prouenientem ex corporis læſione, ex qua de facto dolor etiam in animam redundauit, vt liquet ex memorato Iſaiæ teſtimonio. Ad hoc autem neceſſe fuit animam operari dependenter à ſenſu, & phantaſia, atque mediantibus ipſis notitiam experimentalem cauſatiuam doloris de nouo acquirere læſione corporis per ſenſum tactùs perceptà de præſenti, & inde tranſmiſsà notitià intellectuali. Quia verò eadẽ eſt ratio de triſtitia circa quoduis nociuum, quatenus interiùs apprehenſum ratione, vel imaginatione, quæ eſt de dolore circa nociuum tactùs vt perceptum eodem tactu, propterea fuit in Chriſto etiã triſtitia, iuxta illud Matt. 26. 38. *Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe*: & *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Ratione eiuſdem dependentiæ intellectus à ſenſu; admittitur in Chriſto admiratio, non quidem fundata in abſoluta circa cauſam alicuius euentùs ignorantià, ſecundum omnem cognitionem, vel in noua ſimiliter eiuſdem euentùs notitia, vel in magnitudine rei comparatione Chriſti; ſed fundata in noua experimentali,

ſeu

ſeu adquiſita cognitione rei inſolitæ, & magnæ comparatione aliorum. Atque huiuſmodi eſt ex ſenſu D. Thomæ quæſt.15. art.8. aliorũmque communi admiratio de fide Centurionis, quæ habetur Matth.8.10. licet eam aliter exponat Auguſtinus epiſt. 101. Admittenda demum eſt in Chriſto, quæ ad triſtitiam connaturaliter conſequitur, paſſio iræ, non illius, quæ inclinat ad vindictam contra ordinem rationis, ſed eius, quæ illam quærit iuxta ordinem iuſtitiæ, & dicitur ira per zelum.

Ab iſta potiſſimùm poſtrema paſſione, ſed & a cæteris vniuerſim adſcriptis Chriſto Domino, excludendæ ſunt reſpectu ipſius tres imperfectiones cæteris hominibus communes. Prima eſt ex parte obiecti; quia eiuſmodi paſſiones habent in nobis vim inclinandi promiſcuè ad honeſta, & inhoneſta, in Chriſto autem nulla potuit eſſe inclinatio ad inhoneſtum, vt dictum eſt. Secunda ex parte principij; quia eædem paſſiones ſæpè in nobis ſunt motus primo primi præuenientes iudicium, & deliberationē rationis, quod in Chriſto non accidit. Quia, vt dicit Auguſtinus lib. 14. de ciuit. cap. 9. prope medium: *Hos motus certæ diſpenſationis gratiâ ita, cùm voluit, Chriſtus ſuſcepit animo humano, ſicut, cùm voluit, factus eſt homo.* Tertia ex parte effectùs; quia motus paſſionum in nobis, ſiue excitati ſint præeunte iudicio rationis, ſiue illud præueniēdo, ſemper habent vim pertrahendi poſt ſe rationem, eámque perturbant, ac impediũt; quominùs tranquillè & perfectè attendat ad rationes æternas, aliáque obiecta. Nec ſiſtunt in appetitu præcisè ſenſitiuo. Quod ſimiliter non euenit in Chriſto; in quo nimirum ſemper ratio manſit expedita ad

omnia

omnia conſideranda & exequenda, propter excellens & perfectum dominium partis ſuperioris ſupra inferiorem, quin hæc illi vllatenus dominaretur. Quod diſcrimen ſolet communiter ſignificari dicendo; motus eiuſmodi extitiſſe in Chriſto per Propaſſionẽ; in nobis verò per paſſionem perfectam in ratione talis. Conſtat igitur ex his, cum, & ſine quibus, & qualibus defectibus aſsũpta fuerit à Verbo natura humana.

Ad 1. Non eſt Verbum diuinum omnis perfectio formaliter, & proxime reſpectu humanitatis, ſed tantum eminenter, ac remotè. Vnde cum eius vnione ad humanitatem conſiſtere potuit aliquis in eadem defectus perfectionis formalis & proximæ.

Ad 2. Habuit quidem Chriſtus in ſummo gradu beatitudinem, & gratiã, quoad ſubſtantiam, & eſſentialem eius conceptum; non tamen quoad omnem accidentalem, & extenſiuam eius perfectionem. Vnde ſimul fuit in termino, & in via reſpectu diuerſorum bonorum, felix ſimpliciter, ſimùlque miſer ſecundum quid, & accidentaliter. Definitio autem illa eſt de beatitudine accidentaliter etiam ac integraliter completa.

Ad 3. Eos defectus, qui in nos deſcendunt ex peccato originali, aſſumpſit Verbũ diuinum ex nimia erga nos dilectione. Qua de cauſa tales defectus non dicuntur contracti à Chriſto quaſi ex neceſſitate ob peccatum proprium, ſed ſuſcepti ex libera electione.

Ad 4. Ex plena animi perfectione quoad ſummam coniunctionem cum ſummo bono per intellectum, & voluntatem redundat ex natura rei plena quoque perfectio corporis, & inferiorum animæ virium. Sed ſupernaturaliter impedita eſt hæc redun-

datio

datio ex certæ diſpenſationis gratia, vt di-
ctum eſt ex eodem Auguſtino.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum Chriſto impoſitum fuerit, vel potuerit imponi præceptum comminatorium culpæ & pœnæ.

VIDETVR impoſitum fuiſſe. 1. Quia Ioan. 10. 18. dicit Chriſtus Dominus: *Hoc mãdatum accepi à Patre meo*: & 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. Mandatum autem ſecundum propriam & communem ſignificationem includit in ſe comminationem pœnæ, & culpæ, ſi ſecùs fiat; Nec verba ſcripturæ licet detorquere à proprietate ſuæ ſignificationis abſque fundamento aliquo inſuperabili, quale in præſenti nullum eſt.

2. Impoſita fuère Chriſto præcepta eiuſdem rationis cum ijs, quæ nobis imponuntur. Quod indicat apertè ea vniformis cõparatio, quæ habetur Ioan. 15. 10. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea; ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione*. Eodem pertinet illa antitheſis ad Rom. 5 19. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi*. In quibus locis eadem periodus, præſertim comparatiua, eandem vocem nõ niſi abſurdè, ac in idoneè ſubdiuerſa ſigni-
ficatione

ficatione vſurparet, nec ſatis vigeret pro ſcopo ſuo. Præcepta autem, quæ nobis imponuntur, ſunt comminatoria pœnæ, & culpæ; & inobedientia Adami fuit contraria præcepto eiuſdem generis. Ergo & præcepta Chriſto impoſita fuère comminatoria pœnæ, & culpæ; & eorum obedientia ab vtroque hoc malo ipſum præſeruauit.

3. Præceptum & lex per hoc præcisè differunt à conſilio, vt docet Suarez lib. 3. de legibus cap. 22. & 36. & communiter alij; Quia obligant in conſcientia ſub peccato, quod eſt eſſentialiter inductiuum pœnæ. Ergo ſi Chriſtus obligari in conſcientia ſub culpa & pœna nullatenùs potuiſſet, ſolius ipſa conſilij capax fuiſſet. Conſilium autem, aut nullo pacto, aut nonniſi latiſſimè ac impropriè præceptũ dici poteſt, aut lex. Ergo teſtimonia adducta de preceptis Chriſti, & illud aliud ad eundem pertinens ex pſalm. 39. 9. *Deus meus, volui, & legem tuã in medio cordis mei*: vel prorſus redderentur falſa, vel impropriiſſimè accipienda forent ex eadem ſuppoſitione. Vtrumlibet autem eſt abſurdum. Similis ponderatio cadit in teſtimonia de obedientia Chriſti, quia obedientia propriè talis dicitur tantùm reſpectu præcepti, & legis propriè talis.

4. Suberat Chriſtus præceptis legis naturalis, ſubeſtque modo: erat enim ipſi illicitum, & modò eſt, non minùs quàm nobis, odiſſe Deum, peierare, dehonorare parentes; infamare, aut occidere innocentem, mentiri, & ſimilia. Præcepta autem legis naturalis ſunt comminatoria pœnæ & culpæ; quia præceptum eſſe comminatorium culpæ, & pœnæ, nihil eſt aliud, quàm non poſſe fieri oppoſitum præcepti abſque peccato, & peccatum non poſſe committi abſq; reatu

reatu pœnæ: atque hoc omninò conuenit præceptis legis naturalis; quorum videlicet tranſgreſſio eſt intrinſecè mala, ac proinde contingere nequit abſque peccato; quod rurſus contingere nequit abſque reatu pœnæ, quia contingere nequit abſque odio Dei erga ipſum, & peccantem, quæ eſt ingens per ſe pœna, & radix cæterarum pœnarum. Ergo Chriſtus fuit, eſtque capax præceptorum comminantium culpam, & pœnam.

5. Chriſtus eſt ſeruus Dei; & Deus Dominus eius, vt colligitur ex Iſa.42. 1. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum.* Quem locum eſſe accipiendum de Chriſto conſtat ex Matth. 12. 17. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus &c.* Vbi puer ponitur pro ſeruo ex vſu frequenti ſcripturæ. Idem colligitur ex 34. Ezech.24. *Et ſuſcitabo ſuper eos paſtorem vnum qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid.* Ad quem locum alludit Chriſtus eum ſibi accommodans Ioan. 10. 11. *Ego ſum paſtor bonus*: cũ ijs quæ præcedunt & ſequuntur. Confirmatur ex ep. ad Philip. 2. 6. Vbi eodem modo dicitur Chriſtum eſſe in forma Dei, & accepiſſe formam ſerui. Ita autem eſt in forma Dei, vt ſit verè Deus. Ergo ita accepit formam ſerui, vt verè ſit ſeruus.

6. Rurſus Deum eſſe Dominũ Chriſti Chriſtus ipſe fatetur Matth.11. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ.* Vbi nomine cæli & terræ intelligit quidquid à Deo factum eſt; atque ideò ipſum etiam Chriſtum cõprehendi docet diſertè Athanaſius lib.3. contra Arrianos. Eſt autem de ratione ſerui, vt poſſit obligari pro libito à Domino ſuo ſub culpa & pœna; ſublata enim huiuſmodi

di ſubiectione, nihil differt ſeruus à non ſeruo, & dominus à non domino. Nec enim agere poteſt pro dominio, qui pœnà terrere non poteſt, nec ſeruiliter tractari, qui illius timori non ſubeſt. Pœna verò ſine culpa iuſta eſſe non poteſt. Ergo Chriſtus ſubeſſe potuit cōminationi pœnæ & culpæ.

6. Poteſt Deus voluntate ſua, prout libuerit, reddere illicitum queml.bet actum Chriſto Domino, non ſecùs ac nobis. Siquidem ex indubitato omnium conſenſu, & ratione manifeſta, de facto illi per ſuam voluntatem reddit illicita omnia opera cōtraria legi naturali, non ſecùs ac nobis. Deum autem reddere voluntate ſua illicitum aliquem actum, idem omninò eſt, atq; comminari malum culpæ elicienti talem actum; actus enim illicitus eſt, qui ſi fiat, peccatur, & incurritur malum culpæ; cōminatio autem mali culpæ includit in ſe eſſentialiter comminationem pœnæ. Nulla enim culpa eſt, vbi nulla dignitas eſt, & nulla vis inductiua pœnæ. Vnde comminatio culpæ indiuiſim eſt comminatio pœnæ. Ergo poteſt Deus voluntate ſua, prout libuerit, comminari Chriſto culpam & pœnā non ſecùs ac nobis.

7. Deus eſt vltimus finis Chriſti Domini, ſicut eſt primum eiuſdem principium. Ergo ſicut poteſt ipſum annihilare quatenùs eſt primum principium, non minùs aut aliter, quàm poſſit annihilare quamlibet puram creaturam; ita etiam quàtenùs eſt vltimus finis poteſt ipſum obligare ſub comminatione c ipæ & pœnæ, non minùs aut aliter, quàm poſſit obligare quamlibet puram creaturam. Tenet conſequentia. Quia moralitas, atque bonitas & malitia actuum pendent ab vltimo fine, ſicut pendent effectus

Phyſici

phyſici à primo principio. Deinde hæc ipſa ratio primi principij fundat dominiũ æquale in ordine ad obligandum moraliter, & ad deſtruendum phyſicè, ſiue quidlibet aliud actione phyſica peragendum.

8. Licet natura humana in Chriſto Domino propter vnionem ad Verbum habeat incapacitatem incidendi in culpam, & incurrendi reatum pœnæ ſecundum ſe; tamen eſt capax vtriuſque; atque hanc capacitatem, quæ eſt identificata cum ipſa, auferre nequaquam potuit vnio hypoſtatica. Ac proinde eam retinuit humanitas in ſenſu compoſito eius vnionis. Ergò etiam retinuit capacitatem, vt ipſi ſecundum ſe comminaretur Deus, prout libuiſſet, culpam & pœnam. Quapropter potuit Deus abſolutè vtramque illi comminari. Confirmatur paritate timoris, qui ex Iſaiæ 11. tribuitur ab omnibus Chriſto Domino; quia licet nihil timere poſſet, quatenùs Deus; timere tamen potuit quatenùs homo, propter eminentiam poteſtatis conuenientis Deo ſupra naturam humanam ſecundum ſe. Ergo potuit ſimiliter terreri Chriſtus Dominus quatenùs homo comminatione culpæ & pœnæ propter eandem eminentiam poteſtatis, & dominij diuini ſupra humanitatem ſecundũ ſe. Sunt nimirum correlatiui, & eſſentialiter mutuò connexi timor verâ ratione cōceptus, & comminatio diuina. Vt quid enim timeatur is, ex quo nullum malum imminere poteſt? aut quomodo is comminetur, ex quo nullum malum prouenire, aut infligi alteri poteſt?

9. Communis conſenſus Theologorum agnoſcit in Chriſto Domino præceptũ ſtrictè, & propriè tale de ſubeunda morte pro genere humano, deque alijs actibus; eadem-

que

que videtur eſſe communis ſententia Patrũ, ac præſertim Auguſtini tom.4.lib.2. de ſermone Domini in monte, in expoſitione tertiæ petitionis: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*. Cùm enim prætuliſſet primam expoſitionem de voluntate conſulente viatoribus perfectionem, qualis eſt Beatorum; ſubiungit deinde ſecundam expoſitionem de voluntate præcipiente præcepto vtique prout diſtincto à conſilijs, de quibus iam egerat immediatè. Probat verò voluntatem Dei ſumi pro eiuſmodi præceptis ex eo quod dicit Chriſtus Dominus: *Cibus meus eſt vt faciam voluntatem eius*, quæ probatio eſſet inutilis, ſi non ſupponeretur Chriſtum ſubiacuiſſe voluntati Dei præceptiuæ, quatenùs diſtinctæ à conſiliatiua; hoc eſt, præceptis propriè ac ſtrictè talibus; Præceptũ autem propriè ac ſtrictè tale, prout diſſidẽs à conſilio, includit eſſentialiter comminationem culpæ & pœnæ, vt ſæpe dictum eſt. Cùm igitur non liceat recedere à communi conſenſu Theologorum, maximè munito auctoritate Patrum, ac nominatim Auguſtini; minimè verò omnium id liceat in quæſtione dogmatica, qualis eſt omnis, quæ pertinet ad rectam intelligentiam ſacræ Scripturæ, vti pertinet quæſtio præſens; nefas profectò erit negare impoſita fuiſſe Chriſto, nedum imponi potuiſſe, præcepta comminatoria culpæ, & pœnæ.

R. Comminatio legiſlatiua eſt voluntas inferendi aliquod malum facienti aut omittenti talem vel talem actum, intimata potenti facere aut omittere, antequam faciat aut omittat; deterrens quantum eſt ex ſe per timorem talis mali à faciendo, aut omittendo; ac per conſequens reddens talem actum, aut omiſſionem intrinſecè illatiuam

illius

illius mali, atque intrinſecè impeditiuam, boni oppoſiti propter connexionem intrinſecam tam actûs, quàm omiſſionis cum volũtate legiſlatiua præintimata & contempta per ipſos.

Quodſi malum inferendum per voluntatem legiſlatiuam fuerit priuatio beatitudinis & vltimi finis æterna, vel ad tempus, ideòque actus vel omiſſio, circa quos verſatur ea voluntas, redditi fuerint intrinſecè impeditiui beatitudinis & vltimi finis in æternum, vel ad tempus; ac per conſequens incompoſſibiles cum conuerſione, & adhæſione ad vltimum finem ſimpliciter, vel ſecundum quid; eo ipſo ijdem ſeu actus, ſeu omiſſio redditi erunt illiciti, & peccaminoſi lethaliter, aut venialiter; Siquidem actum, vel omiſſionem eſſe illicitam & peccaminoſam lethaliter aut venialiter, nihil eſt aliud, quàm eſſe impeditiuam beatitudinis, & vltimi finis æternùm vel ad tempus, & incompoſſibilem ſimpliciter, vel ſecundum quid cum conuerſione, & adhæſione ad vltimum finem, & beatitudinem.

Si verò malum inferendum per eandem voluntatem non ſit priuatio beatitudinis; ac proinde actus vel omiſſio ſubſtans tali voluntati non propterea reddatur impeditiuus beatitudinis, neque in æternum, neque ad tempus, eo ipſo non reddetur illicitus & peccaminoſus, neque lethaliter, neque venialiter; Quia nullum eſt peccatum, vbi nulla eſt oppoſitio cum beatitudine, & vltimo fine. Quapropter qualibet comminatio negandi beatitudinem, ſeu inferendi eius priuationem, ſi fiat, aut omittatur talis vel talis actus, eſt comminatio culpæ & pœnæ ſub eadem conditione; nulla verò comminatio cuiuſuis alterius boni negandi, aut

M mali

mali inducendi, eſt comminatio culpæ, atq; ideò neque pœnæ; ſiquidem eſt de conceptu eſſentiali pœnæ, vt præſupponat culpam. Quæ quidem omnia videntur certa, & ex ſe ſponte manifeſta; atque expoſita, & confirmata iam ante fuère in quæſtionibus de bonitate, & malitia.

Ex illis autem deducitur repugnare metaphyſicè Chriſto Domino omnem culpæ & pœnæ comminationem; quia repugnat metaphyſicè dari in Deo voluntatem negãdi Chriſto beatitudinem in æternum, vel ad tempus, ſi eliciat aut omittat talem vel talem actum, præeunte intimatione, ac præcognitione eius voluntatis diuinæ. Repugnat enim metaphyſicè imprimis Chriſtum Dominum peccare, vt dictum eſt quæſt. 29. Peccaret verò ſi eliceret, vel omitteret talem vel talem actum cum ea præcognitione vti modo concluſum fuit. Repugnat deinde ſimiliter Deum aliquid velle ſub conditione metaphyſicè impoſſibili; quia vellet fruſtra, quod repugnat Deo: Immò ſimul vellet, & nollet eandem rem ſub eadem conditione; quia de ratione conditionis metaphyſicè impoſſibilis eſt, vt eo ipſo quod exiſtat verificetur eam non exiſtere. Eſt enim de ratione cuiuſuis impoſſibilis, vt, ſi ipſum exiſtat, exiſtat etiam ipſius contradictorium; adeòque vt, ſi exiſtat, eo ipſo non exiſtat. Nempe vnum quoduis deſinit eſſe formaliter per exiſtentiam ſui contradictorij. Ergo ſi Deus vellet aliquid exequi datâ aliquâ conditione, idemque non exequi non datâ eâdem conditione, atque ea conditio eſſet metaphyſicè impoſſibilis, idem vellet & nollet ſub eadem cõditione, & ſibi ipſi eſſet contrarius. Repugnat ergo dari in Deo voluntatem negandi Chriſto beatitudinem

tudinem ſub tali conditione. Vnde vlteriùs repugnat dari in eodem reſpectu eiuſdem comminationem culpæ & pœnæ; ſiquidem oſtenſum eſt iſtiuſmodi comminationem cõſtitui per eiuſmodi voluntatem. Atque hinc demum repugnat aliquem actũ Chriſti Domini reddi illicitũ, & peccaminoſum, ſiquidem oſtenſum ſimiliter eſt, ſolà eiuſmodi comminatione, & voluntate diuinà actum aliquem alicui illicitum, & peccaminoſum reddi poſſe.

Confirmatur diſcurſus, quod ad comminationem attinet. Quia cui repugnat timor alicuius mali, non poteſt prudenter fieri cõminatio eiuſdem mali; Tum quia fructus per ſe comminationis eſt timor; Tum quia, cui repugnat vt patiatur aliquod malum, vnde eſt timor, repugnat etiam neceſſariò, vt aliquis habeat poteſtatem inferendi ipſi tale malum, vnde eſt comminatio prudens. Repugnat autem Chriſto timor mali culpæ & pœnæ, vt docet D. Thomas quæſt. 7. art. 6. & cum ipſo cæteri omnes Theologi; quia videlicet timor eſt de malo poſſibi ſi euenire timenti. Impoſſibile verò eſt, vt Chriſtus incidat in peccatum, vtq; puniatur pro peccato. Ergo eidem repugnat comminatio vtriuſque huius mali.

Confirmatur rurſus. Repugnat Deum alicui promittere bonum ipſi impoſſibile, aut quod eſt ſecundum ſe poſſibile, ſub conditione impoſſibili. Ergo pariter repugnat Deum comminari alicui malum ipſi impoſſibile, quale eſt reſpectu Chriſti peccatum, & punito peccati; aut ſub conditione impoſſibili, qualis eſt reſpectu eiuſdem operatio contraria legi obliganti in conſcientia.

Cõfirmatur 3. Circa illud ad Galatas 4.4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege*, obſeruat D. Thomas, & communiter interpretes, *Tò ſub*, dupliciter accipi. Primò vt denotat ſolam obſeruantiam legis, atque exhibitionem operum, quæ in ea continentur. Secundò vt denotat oppreſſionem per incuſſionem vtique timoris, & comminationem. Atque primo modo Chriſtum ſub lege factum eſſe, non verò ſecundo modo: quia videlicet omnia præſtitit ex impulſu charitatis; & non ex coactione legis. Vnde idem S. Doctor lib. 4 contra gentes cap. 55. ad 15. & 16. ſoli Charitati Chriſti attribuit, quòd mortem pro nobis ſubierit; circa quam tamen maximè dicitur mandatum & præceptum habuiſſe, & obedientiam exercuiſſe; Et conſequenter legi ac præcepto, cui ſuberat Chriſtus, negat vim coactiuam, tum eodem in loco, tùm maximè in præſenti ſæpiùs, nec vno modo quæſt. 46 art. 1 prope medium; art. 2. in corpore, & ad 2. art. 6. in fine corporis; art. 9. in corpore; & art. 11. ad 1. Vim autem coactiuam vſurpat pro obligatoria, comminatoria, ac perterrente, vt patet ex contextu; & non pro illatiua violentiæ propriè dictæ, quæ reſpectu nullius dari poteſt in vlla lege.

Confirmatur denique ex illo ad Galatas 5. 18. *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, & 1. ad Tim. 1. 9. *Iuſto non eſt lex poſita*: quorum communis expoſitio eſt, ideò dici virum iuſtum ac ſpiritualem non eſſe ſub lege, nec legem ei eſſe poſitam, quia, qui talis eſt, non operatur ex timore pœnæ, cuius comminatio eſt diſtinctiua legis à conſilijs; ſed operatur ex adhæſione charitatis

ad

ad voluntatem, complacentiamque diuinam, quæ eſt communis conſilijs, legibuſque diuinis. Ergò Chriſto, qui non ſolùm non eſt operatus ex timore pœnæ, ſed neque potuit talem timorem concipere, non ſolũ non eſt poſita lex comminatoria pœnæ, ac proinde neque culpæ, verùm nec poni, & illum ſub ſe habere vllo pacto potuit.

Dicendum igitur eſt nomine præcepti & legis, dum ſermo eſt de Chriſto Domino, intelligi diuina conſilia, & maiorem Dei approbationem de aliquo actu, quàm de oppoſito, æternamq; Dei prædefinitionem, ac præordinationem; non verò voluntatem obligandi in conſcientia. Quam ſententiam communiter docent Patres Græci, Chryſoſtomus, Cyrillus, Nazianzenus, Theophilactus, & Eutymius locis expenſis à M. Lorca hîc diſp. 63. Et licet nonnulli varijs interpretationibus eos eludere nitantur; meritò tamen Cardinalis Toletus ad 10. Ioan. annotatione 14. pronunciat Patres Græcos eſſe indubitatos noſtræ ſententiæ patronos, etſi ipſe ſit in contraria.

Et quidem non congruebat, nec decebat, vt filius Dei naturalis intrinſecè determinatus, vt nihil inhoneſtum. nihilque diſplicẽs Patri agere poſſet, & optimè diſpoſitus, ſũmeque inclinatus, vt eidem per omnes ſuos actus placeret, non vtcunque, ſed quantum abſolutè fieri poſſet, vtque quamlibet ipſius inſinuationem pronâ ſemper & conformi voluntate ſequeretur obſequiosè; Non, inquam, congruebat, nec decebat, vt talis filius eo legum genere premeretur, quæ imponuntur peccatoribus & inimicis, atque filijs adoptiuis potentibus filiationi renunciare, & retinentibus diſpoſitionem, quâ facilè poſſint aduerſus patrem rebellare, s.

Sed vt ſolis conſilijs, ſolaque maioris paternæ complacentiæ oſtenſione dirigeretur ac alliceretur. Agnouit hoc inter alios D. Thomas ſuper illud ad Rom. 8. 32. *Pro nobis omnibus tradidit illum*: dicit enim: *Tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari & pati ſtatuendo, & humanæ eius voluntati inſpirando charitatis affectum, quâ paſſionem ſpontaneus ſubiret*. Solo igitur tradidit conſilio & prædefinitione; non verò præcepto moriendi obligante in conſcientia; quale certè nullum de incarnatione præceſſit, quæ ſtatuta dicitur ſimul cum morte.

Quapropter nomine præcepti, & quod perinde eſt, Mandati, dum ſermo eſt de Chriſto Domino, intelligenda ſunt conſilia & prædefinitiones. Neque verò id eſt ſine exemplo in ſacris litteris, vt videre eſt apud P. Montoyam, de conſilijs quidem diſp. 39. de ſcientia Dei, ſect. 4. initio. De prædefinitionibus verò tractat. 2. de prouidentia diſp. 9. ſect. 2. fine. Præterea D. Thomas 2. 2. quæſt. 104. art. 2. in corpore docet obiectum proprium ac ſpeciale obedientiæ eſſe præceptum; & tamen ibidem. & art. 5. ad 3. dicit perfectam obedientiam obedire in omnibus licitis & præuenire voluntatem expreſſam ſuperioris, tametſi in omiſſione nullum ſit peccatum. Ergo cenſet etiam conſilia habere aliquam rationem præcepti.

Accedit, quod leuis neqraquam conſiderationis eſt pro hac re, voluntatem Dei circa mortem, aliaque vniuerſim opera meritoria Chriſti Domini, non fuiſſe ſolùm inſinuatiriam vtcunque maioris perfectionis, qualis ſola voluntas datur reſpectu purè beatorum; ſed fuiſſe inſuper oneroſam, & coniunctam cum comminatione alicuius mali, ſi nollet mori, aliaque opera exercere

ſibi

ſibi incommoda ac moleſta. Cum enim contulerit Chriſto in præmium mortis, aliorumque meritorum, gloriam ſui corporis, ſuiq; nominis exaltationem, noſtrorumque remedium peccatorum, ſatis liquet hæc eadem conferenda illi minimè fuiſſe, ſi noluiſſet pati merendo, quæ paſſus eſt. Habuit igitur Deus voluntatem, vt Chriſtus pateretur aliquam in ſuo corpore & nomine iacturam; maximam verò in nobis, qui ſumus ipſius membra, & eiuſdem conſortes naturæ, ſi noluiſſet ea opera edere, quæ proponebantur vt meliora, atque magis placentia Deo. Voluntas autem ſuperioris præſcribens ſubdito aliquod opus nō purè ac præcisè vt melius, ſibique magis placiturum; ſed inſuper cum interminatione alicuius mali illi infligendi, vel in ſe, vel in alijs cōnaturali dilectione eidem coniunctis, communiſſimo omnium vſu præceptum, mandatum, & lex nuncupatur, tametſi nullam inducat obligationem in conſcientia, nec omiſſionem talis operis reddat illicitam ac peccaminoſam. Iis namque vocibus paſſim ſignificantur leges purè pœnales, omneſq; vniuerſim ordinationes ac regulæ aliquod eiuſmodi grauamen continentes aduerſus tranſgreſſores, tametſi tranſgreſſio ne venialiter quidem ſit peccaminoſa. Independenter igitur ab obligatione in conſcientia, & comminatione culpæ & pœnæ adeſt ſpecialis ratio, ob quam, iuxta communiſſimum loquendi modum, præcepta, mandata, & leges dicantur ea conſilia, quæ Chriſtus accepit de operibus meritorijs, quæ præſtitit.

Hinc patet ad 1. Licet enim accipere verba ſcripturæ in ſenſu tametſi non ſummè proprio ac rigoroſo; vſitato tamen alias in

ipſa ſcriptura, & extra eam frequenti; maximè cum magno fundaměto rationis theologicæ deductæ ex eadem ſcriptura, quale innotuit adeſſe in præſenti.

Ad 2. Eadem vox in eàdem periodo etiã comparatiuà diuerſam ſæpè ſubit ſignificationem vt patet ex Ioan. 20. 50. *Sicut miſit me Pater &c.* & iterum cap. 20. 21. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Nempe ſufficit conuenientia ſecundum rationem genericam, vel analogicam, quæ minimè deeſt inter præcepta & conſilia Dei, maximè ſi hæc ſint oneroſa; vtriſque enim communis eſt voluntas ſuperioris dirigens inferiorem, & aliquatenus grauans, ſi is renitatur. Viget verò vtroque illo in loco comparatio etiã multò magis iuxta noſtram ſententiam. In priori quidem, quia ex obſeruantia præceptorum non obligantium in conſcientia deducitur vrgentiùs, ea debere obſeruari, quæ obligant. In poſteriori verò quia inobediẽtia præcepti obligantis in conſcientia eſt turpiſſima, & maximè potens nocere; & ſimiliter eſt perfectiſſima obeditio, maximèque potens prodeſſe, quæ eſt ſine obligatione in conſcientia.

Ad 3. Certum eſt præceptum ſtrictè tale eſſe diuerſum à conſilio: nam, vt ait Auguſtinus ſerm. 61. de tempore ad medium: *Aliud eſt præceptũ aliud conſiliũ:* Et conſtat ex illo Pauli 1. ad Corinth. 7. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autẽ do.* Verum non eſt minùs certum, votum propriè ac ſtrictè ſumptum diſtingui, tum à ſacrificio, tum à ſimplici propoſito; & nihilominùs licuit D. Thomæ, & alijs communiter, intelligere de Chriſto illud pſalmi 21, 26. *Vota mea reddam*; ſimulque eidem negare

negare. 2.2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. votū propriè ac ſtrictè tale, intellecto ſub ea voce, ſacrificio, vel ſimplici propoſito, Ergò ſimiliter licet, & ſanè cum fundamento non valde diſſimili, accipere præceptum, dum agitur de Chriſto, pro conſilio præſertim oneroſo, & non purè approbatiuo; quod ſcilicet non vſque adeò diſtat à conditione præcepti ſtrictè talis. Dictum verò eſt, vnde hæc qualiſcunq alienatio præcepti, mādati, & legis à propria & rigoroſa ſignificatione, non ſit abſurda. De obedientia nihil opus dicere, cùm obſeruatum ſit ex D. Thoma, eam eſſe perfectiſſimam, quæ verſatur circa conſilia.

Ad 4. Nec etiam Deo eſt licitum mentiri, peierare, ſe odiſſe, hæc & ſimilia præcipère, aut conſulere, & ſic de alijs huiuſmodi. Et tamen nulli propterea ſubeſt præcepto, aut legi propriè ac ſtrictè tali; nec eiuſmodi actùs ſunt illiciti poſitiuè reſpectu Dei, ſed impoſſibiles. Redduntur verò impoſſibiles per dictamen diuinæ ſapientiæ dictans eos eſſe incompoſſibiles, ſeu potiùs actus oppoſitos eſſe intrinſecè connexos cum amore ſummi boni, ad quem Deus ſūmma cum neceſſitate eſt intrinſecè determinatus. In hunc igitur modum Chriſtus erat determinatus ad ea, quæ ſunt legis naturalis; quatenus cognoſcebat eorum ſeu proſecutionem ſeu fugam, prout in ipſa continentur, eſſe connexas cum amore ſummi boni, ad quem erat intrinſecè determinatus, & actus, ſeu omiſſiones contrarias eſſe eſſentialiter coniūctas cū contēptu Dei ſibi prorſus impoſſibilē. Vnde non cognoſcebat actus aliquos eſſe ſibi illicitos, & alios licitos; ſed quoſdam eſſe impoſſibiles, aut neceſſarios, alios verò poſſibiles & ſimul liberos. Eatenus igitur præcisè dici poteſt Chri-

ſtus ſubeſſe præceptis legis naturalis, quatenus ea, ſeu neceſſitas, ſeu impoſſibilitas primitus venit ex dictamine, & voluntate ſuperioris. Vnde reſpectu Chriſti nulla poteſt deduci poſſibilitas legis, aut præcepti communicantis culpam & pœnam, aut reddentis aliquem eius actum illicitum; ſed neceſſarium, aut impoſſibilem.

Ad 5. Conceditur Chriſtum, quatenus hominem, eſſe ſeruum Dei ſeruitute naturali; quoniam eſt ſubſtantia rationalis propria Dei ex ſua natura, iuxta illud, ad Corinth. 3. 23. *Chriſtus autem Dei*: ſubiecta eius voluntati non ſolùm purè directiuæ, & vtcunque conſiliatiuæ; ſed etiam præſcriptiuæ, ac exigitiuæ pro libito talium determinatè mediorum ad talem determinatè finem, vertibilis, & præordinabilis efficaciter ad omnia quæcunque libuerit vſque ad mortem incluſiuè, iuxta illud nuper expenſum: *Pro nobis omnibus tradidit illum*: Ac proinde Chriſtus eſt *organum animatum, ſeparatum* (ſecundum naturam vtique, & voluntatem) *alterius* (nempe Dei) *homo exiſtens*: quæ eſt tota definitio ſerui tradita ab Ariſtotele. 1. Polit. cap. 3. & ex ipſo à D. Thoma ibidem lectione 3. Quapropter peccabilitas, &, quæ ad illam conſequitur, capacitas obligationis in conſcientia, & comminationis culpæ, ac pœnæ ſunt extra conceptum quidditatiuam ſeruitutis in communi, & pertinent ad imperfectionem puri hominis ſerui, eiuſque nondum beati. Ergò ex conceptu ſeruitutis nihil conficitur pro ſcopo argumenti; quia Chriſtus eſt ſeruus ſecluſis imperfectionibus peccabilitatis. Idē dicitur conſequenter de conceptu Domini ex parte Dei, qui conceptus non eſt negādus, ſed nobilitandus reſpectu Chriſti re-

tentò diſcrimine ſerui à non ſeruo per alia prædicata contenta in data ſerui definitione; quæ ſanè definitio vti propria Ariſtotelis & D. Thomæ eſt pro ſcholis anteponenda alijs aliorum definitionibus, ſecundum quas ſunt accipiendæ authoritates negantes Chriſtum eſſe ſeruum, apud Vaſquez diſp. 80. cap. 3. 6. & 7.

Ad 6. Patet ex dictis circa 4. negandam eſſe maiorem, nec ſatis eam probari.

Ad 7. Annihilationi correſpondet ex parte creaturæ ſola potentia paſſiua, ſeu quaſi paſſiua: Obligationi verò, & comminationi correſpondet potentia etiam actiua eius effectûs, ad quem obligatur, atque inducitur per minas. Patet autem potentiam actiuam creaturæ non tam latè patere, atque patet paſſiua. Vnde nulla eſt conſecutio in argumento. Deinde idem eſt ambitus Dei, vt primi principij, & vltimi finis; nec non vt domini proprietatis & iuriſdictionis; atque operantis phyſicè & moraliter. Quare non eſt facienda comparatio cum diuerſis effectibus, ſeu quaſi effectibus, ſed cum iiſdem: hoc autem ſi præſtetur, euaneſcet argumentum; Quia Deus non poteſt eſſe principium phyſicè cooperans Chriſto ad actum timoris culpæ, aut pœnæ, nec ad actum honeſtum reiectiuum, ſeu impeditiuum alicuius ſui actûs inhoneſti, vt patet ex dictis.

Ad 8. Naturæ humanæ ſecundum ſe ſola ineſt capacitas remota comminationis culpæ & pœnæ, ſicut & incidendi in culpã & pœnam. Ad comminationem autẽ actualem, eiuſque proximam poſſibilitatem requiritur capacitas proxima peccandi, quàm excludit vnio ad Verbum. Paritas ex timore valet potiùs in contrarium, vt patet ex

prima noſtra confirmatione: Timor enim communiter cum D. Thoma ibi citato attributus Chriſto eſt ſolùm reuerentialis, qui non eſt de culpa & pœna. Attribuatur igitur Chriſto ſola obedientia itidem reuerẽtialis, ſeu filialis, & charitatiuà, non verò extorta viliter per minas, & obligationem in conſcientia.

Ad 9. Noſtræ ſententiæ ſunt Lorca, Ioannes Antonius Velaſquez, Victoria, apud Medinam, & Ludouicus de Roa apud Puente Hurtado cum Dionyſio Ciſtercienſi, propendentibus eodem Paludano, & Alberto Magno. Tenent etiam illam, licet non admodum conſequenter Gamachæus, & Bernal; nec ab ea omninò recedit Suarez. Eandem dicunt probabilem, minimèque ſingularem, Medina de Lugo, & Bernal. Quòd attinet ad Patres, iam dictum eſt Græcos eſſe pro nobis, nec apud Latinos quidquam apparet ſpeciale pro præcepto ſtrictè tali, ſed illud enunciant abſolutè, prout habetur in ſacris litteris; ideòque eidem, quæ ijs eſt adhibita, interpretationi dant aditum. Iuuat ſexta ſynodus locuta procul dubio ad mentem Patrum, & dicens actione 4. eodem modo, contextùque verborum Chriſtum fuiſſe obedientem præceptis Dei, & parentum; cùm tamen parentes nec poſſent, nec vellent ipſum obligare in conſcientia, aut minis cum eo agere. Iam Auguſtini illa ſpecialis põderatio procedit ex mala intelligentia; quia in prima tertiæ eius petitionis expoſitione non accipit voluntatem Dei pro conſilio, ſed pro pace, & beata animi tranquillitate viatorũ, qualis eſt in Beatis. Conſequenter in ſecunda expoſitione non accipit voluntatem Dei pro eius præceptis vt contradiſtinctis

à Con-

à conſilijs, ſed abſolutè iuxta totam eius vocis amplitudinem, vti dictum eſt de cæteris Patribus. Nec ab eis disſident communiter in modo loquendi Theologi antiquiores; nec ex modernis, niſi per pauci, ideòque perinde, ac illi ſunt exponendi. Non igitur ineſt oppoſitæ ſententiæ pondus authoritatis, quale obijcitur, eſtque maius pro parte noſtra.

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrum in Chriſto fuerit libertas indifferentiæ?

VIDETVR non fuiſſe. 1. Quia Damaſcenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 14. verſus finem: *ſententiam*, ait, *& electionem in Domino dicere non poſſumus, ſiquidem propriè loqui ſtudemus*. Libertas autem indifferentiæ abſque ſententia, id eſt, dictamine concludente. Quid agendum, & abſque electione eſſe non poteſt. Ergò libertatem indifferentiæ in Chriſto Domino dicere non poſſumus per locutionem propriam.

2. Electio eſt appetitus præconſiliati ex Ariſt. 3. ethic. cap. 3. ad finem. In Chriſto autem non potuit eſſe præconſiliatum; quia conſilium nitur tantùm de incertis, & Chriſto omnia erant certa. Ergò in Chriſto non potuit eſſe electio, quæ eſt proprius actus principij indifferentis.

3. Chriſtus Dominus erat intrinſecè determinatus ad vnum oppoſitorum, nempe ad bonum, abſque vlla poteſtate ad oppo-

ſitum boni, quod eſt malum; quia erat intrinſecè impeccabilis, vt dictum eſt. Libertas autem indifferentiæ eſt ad vtrumlibet oppoſitorũ. Ergò hæc in Chriſto nõ erat.

4. Vbi concurrunt duæ potentiæ appetitiuæ inæquales, bene inuicem ordinatæ, quæ eſt inferior ſubordinatur perfectè ſuperiori, eiuſque motu rapitur neceſſariò; ac proinde non eſt domina ſui actûs, vt dictum eſt de appetitu ſenſitiuo & rationali Chriſti. Erant autem in ipſo ſimiliter duæ voluntates, humana & diuina, bene inuicè ordinatæ Ergò humana, vt pote inferior, erat perfectè ſubordinata diuinæ, eiuſque proinde motu rapiebatur neceſſariò abſque dominio ſui actûs; quod tamen eſt de conceptu potentiæ liberæ libertate indifferentiæ.

5. Chriſto inerat ineuitabiliter ſcientia beata, eadèmque erat eſſentialiter connexa cum omnibus & ſingulis actibus ab eo exercitis pro quauis temporis differentia, & eſſentialiter incompoſſibilis cum omiſſione cuiuslibet eorum; quia omnes illos & ſingulos repræſentabat, vt conſtat ex quæſt. 28. eratque eſſentialiter vera, vtpote ſupernaturalis, & beatificans. Quidlibet autem ineuitabile, ſimùlque eſſentialiter incompoſſibile cum omiſſione alicuius actûs auſert libertatem indifferentiæ reſpectu eiuſdem. Ergò non fuit in Chriſto libertas indifferentiæ reſpectu vllius ſui actûs.

R. In Chriſto fuit libertas requiſita ad merendum; meruit enim de facto, quod eſt certum ex fide vt dicetur quæſt 38. Libertas autem indifferentiæ, quæ eſt eadem cum libertate à neceſſitate, eſt requiſita ad merendum, vt conſtat ex definitione Innocentij X. in Bulla, quæ incipit. *Cùm occaſione*

edita

edita paucos ante dies hoc ipſo anno 1653. pridie Calendas Iunij ſuper quinque propoſitionibus Cornelij Ianſenij , in qua hæretica declaratur,& vt talis damnatur tertia propoſitio, quæ eſt huiuſmodi : *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Valet verò conſequentia quaſi à fortiori à ſtatu naturæ lapſæ ad ſtatum innocentiæ proprium Chriſti, pro exiſtentia & neceſſitate libertatis à neceſſitate; quod neque ij in dubiũ vnquam reuocarunt, quorum occaſione iſta declarationis, & condemnationis ſententia lata eſt. Fuit igitur in Chriſto libertas indifferentiæ.

Deinde humana natura aſſũpta eſt à Verbo cũ omni perfectione ipſi cõnaturali, nec incompoſſibili cũ fine incarnationis, vt dictum eſt ſuprà. Libertas autem indifferentiæ eſt aliqua perfectio; ſiquidem datur in Deo; eademq. eſt humanæ naturæ connaturalis; ſiquidem datur in puro homine vniuerſaliter pro quouis ſtatu ; nec eſt incompoſſibilis cũ fine incarnationis,ſed magis ad eum neceſſaria; ſiquidẽ obtentus eſt per opera meritoria, & ſatiſfactoria.

Demum indifferentia deficit voluntati abſolutè, vel ex parte principij ob imperfectionem cognitionis, vel ex parte obiecti purè boni, aut neceſſarij ad beatitudinem:Aberat autem a Chriſto imperfectio cognitionis, eidèmque aderant plura obiecta creata habentia perfectionem coniunctam cum imperfectione, cum quibus & ſine quibus ſubſtantia beatitudinis omninò ſubſiſteret. Nihil ergò fuit, quod auferret Chriſto libertatem indifferentiæ.

Ad 1. Damaſcenus negat Chriſto ſolam

ſententiam, qualis in nobis; eſt depulſiua ignorantiæ, & determinatiua dubitationis præexiſtentis; & electionem per ſe pendẽtem à tali ſententia. Sequitur nimirum immediatè apud ipſum: *Etenim ſententia poſt ignota rei inueſtigationem, & deliberationem affectio eſt ad id quod decretum eſt*. Sed talis imperfectio non eſt de conceptu per ſe libertatis, & electionis in communi. Siquidem hæc datur in Deo, iuxta illud 1. ad Epheſ. 4. *Elegit nos in ipſo*. Ergò potuit ſimiliter eſſe in Chriſto ſententia & electio expers imperfectionis meritò illi negata à Damaſceno.

Ad 2. Præcõſiliatio & diſcurſus circa eligẽda præcedit in nobis ante electionẽ ob imperfectionẽ cognitionis & ignorãtiã; ſed ad electionẽ ſolùm requiritur per ſe, & immediatè vltimum dictamen circa eligibile; quod dictamen quia Chriſto aderat abſque præuio diſcurſu, propterea in ipſo potuit eſſe libera, ac indifferens electio abſque præconſiliato formaliter & adæquatè ſũpto.

Ad 3. Chriſtus non fuit indifferens ad bonum & malum; fuit tamen indifferens ad hoc vel illud bonum inuicem incompoſſibilia; atque hoc eſt ſufficiens ad libertatem indifferentiæ ſimpliciter, præſertim cùm dicat Auguſtinus, & meritò, poteſtatem peccandi non eſſe libertatem, nec partem libertatis.

Ad 4. Sicut in Chriſto ſunt duæ naturæ non vnitæ inuicem immediatè; ita etiam ſũt duæ voluntates & duæ electiones, quarum neutra alteram ſibi de neceſſitate ſubordinat deſpoticè, ſed diuina humanam politicè. Quia vtraque eſt capax operandi indifferenter cum dominio ſui actus, expeditque ad fines diuinæ prouidentiæ; vt ſinatur

huma-

humana voluntas ſic operari, vt apparet ex reſponſione ad quæſtionem. Nec propterea perturbatur debita ſubordinatio, vt patebit quæſt. 37. Alia eſt ratio de appetitu rationali, & ſenſitiuo; quia vterque eſt eiuſdem naturæ, & ſenſitiuus minimè capax electionis, nec determinatus ad honeſtum, niſi ex imperio rationalis.

Ad 5. Sola beatitudo quoad ſubſtantiam inerat Chriſto neceſſariiò, ac ineuitabiliter; Quia gloriam accidentalem habuit dependenter à ſuis meritis, vt infrà dicetur; atque adeò liberè & contingenter: Non autem pertinet ad ſubſtantiam beatitudinis Chriſti ſcientia beata horum potiùs ſuorum actuum, quàm aliorum, & effectuum ſeu præmiorum pendentium ex illis; quia gloria accidentalis conſurgit ex viſione horum obiectorum in Deo. Ergò beatitudo quatenus neceſſariò ac ineuitabiliter habita non fuit eſſentialiter connexa, aut incompoſſibilis cum talibus determinatè operationibus Chriſti vt viatoris. De anteceſſione ſcientiæ beatæ ad iſtas operationes, dicetur infrà.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrum Chriſtus fuerit indifferens ad actus inæquales?

VIDETVR non fuiſſe 1. Quia Chriſtus ſicut eſt intrinſecè impeccabilis, ita etiam eſt intrinſecè irreprehenſibilis, minimèque capax, qui ob aliquam ſuam operationem, conſtituatur proximè reprehẽſibilis: ſi enim oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vt dicitur 1. ad Tim. 3. 2. quanto maiori ratione neceſſe erat eſſe intrinſecè, & ex natura rei irreprehenſibilem, minimèque capacem, qui incideret in indignitatem operandi cuiquam reprehenſioni & exprobrationi obnoxiam, eum, qui ex extrinſeca ſua dignitate erat ex natura rei ſupremus omnium Paſtor, Caput, & Exemplar. Non fuiſſet autem ſic irreprehenſibilis Chriſtus, ſi fuiſſet indifferens ad actus inter ſe inæquales, quia hæc indifferentia continet in ſe poteſtatem eligendi actum minùs perfectum, omiſſo libere alio perfectiori: Atq; hæc electio & omiſſio eſt reprehenſibilis; reprehenduntur enim paſſim nõ ſolùm qui peccant, ſed etiam tepidè, & minùs quàm poſſent perfectè operantes; maximè ſi ſpeciali aliquà ratione ad ſummam vitæ perfectionem teneantur; vti profectò tenebatur Chriſtus ratione modò inſinuatâ.

2. Non eſt bonus ac perfectus filius; neq; bonus ac perfectus amicus, qui non exhibet opera ſũmè placẽtia patri & amico; proindeq;

deq. contemnit maiorē eorū inclinationem & complacentiam, & ſic inducit aliquam mutuæ dilectionis tepiditatem. Chriſtus autem erat neceſſariò, & non libera electione bonus ac perfectus tum filius, tum amicus æterni Patris: Nec enim credendum eſt illud apud Matt. 3. 17. obiter expenſum ſuprà: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: ita de facto verificari, vt potuerit falſum reddi liberà Chriſti voluntate. Ergò non fuit liberum Chriſto elicere actus minus bonos, minúſque placentes Deo patri & amico prætermiſſis melioribus, magiſque placentibus.

3. Impoſſibile eſt minus bonum maiori bono eiuſdem præſertim generis præferri ab eo, qui vtrumque perfectè, & æquè efficaciter cognoſcit. Chriſtus autem omnia obiecta, circa quæ verſabatur, cognoſcebat perfectè, & cum efficacia quanta abſolutè poſſibilis eſt; nec poterat pro libito, vti nos poſſumus, & intellectum diuertere, vtque aliter repræſentaret obiecta, determinare; eadémque obiecta erant omnia contenta intra idem genus honeſti. Ergò Chriſtus ſemper erat neceſſitatus ad obiectum optimum. Eadem verò eſt ratio, quidquid dicat in contrarium Vaſquez in præſenti, vt ſe expediat ab ijs, quæ tradiderat circa hoc in 12. Eadem, inquam, eſt ratio de ſumma intenſione actus; quia hæc ſimiliter cognoſcebatur vt melior, ac eligibilior, quam minor intenſio.

4. Ex vnione hypoſtatica reſultat in Chriſto ius, & in Deo neceſſitas ex natura rei, vt illi conferantur omnes habitus, & dona ſummæ perfectionis entitatiuæ & intenſiuæ, vt dictum eſt ſupra. Ergò indidem reſultat in Deo ius, & in Chriſto neceſſitas

natu-

naturalis ad actus ſecundum ſpeciem, ac intenſionem ſummè perfectos. Patet conſequentia, quia eſt æqualis vtrinque: coniunctio, & inſuper ex parte Chriſti adeſt obligatio gratitudinis, vt obſequatur, ac placeat Deo quantum poteſt.

5. Gratia habitualis puri hominis viatoris eſt incompoſſibilis cum peccato lethali, & beatitudo eiuſdem puri hominis eſt incompoſſibilis etiam cum veniali. Ergo gratia vnionis eſt incompoſſibilis etiã cum imperfectione. Patet conſequentia, quia ex vna parte vis perfectiua, & ſanctificatiua gratiæ vnionis excedit multò magis vim perfectiuã, & ſanctificatiuam beatitudinis formalis puri hominis, quàm hæc excedat gratiam habitualem puri hominis viatoris; cum ille exceſſus ſit prope infinitus ob diuinitatem intrinſecè perficientem ac ſanctificantem. Ex alia parte quoad defectum eſt minor diſtantia imperfectionis moralis à peccato veniali, quàm huius à peccato mortali; cùm mortale inducat auerſionem, & ſeparationẽ ſimpliciter à ſummo & infinito bono. Ergo gradatio facta concludit velut à fortiori.

Idem argumentum conficitur ex dilectione Dei; quia dilectio Dei neceſſario elicita à Chriſto ſuperat multò magis dilectionem Dei beatificam propriam puri hominis, quæ eſt incompoſſibilis cum peccato etiam veniali; quàm hæc dilectio ſuperet dilectionẽ propriam puri hominis viatoris, quæ eſt incompoſſibilis cum peccato ſolùm lethali. Ergo dilectio Dei neceſſariò à Chriſto concepta eſt incompoſſibilis cum imperfectione morali; ideſt, cùm actu minùs perfecto liberè impediente actum perfectiorem; ſiquidem imperfectio moralis nihil eſt aliud, quàm omiſſio libera maioris perfectionis.

6. Dede-

6. Dedecet ſublimem filij Dei naturalis, hominiſque Dei dignitatem, vt repat in operando ad modum puri hominis, tepidi & remiſsè adhærentis Deo; faceret verò hoc Chriſtus Dominus, ſi eligeret actus minùs perfectos omiſſis melioribus. Quod autem vnumquemque dedecet attentà eius dignitate ſubſtantiali, eſt peccaminoſum reſpectu eiuſdem, vt conſtat ex dictis de bonitate & malitia circa regulam morum. Cùm igitur Chriſtus Dominus ſit impeccabilis intrinſecè, eſt etiam impotens operari niſi ſummè perfectè. Confirmatur dedecentia; quia dedecent magnificum parui ſumptus, & parui honores magnanimum; atque ab vtroque infra dignitatem cenſentur, vt habetur ex Philoſopho 4. Eth. c. 2. & 3. Ergo dedecent multò magis, ſuntque infra dignitatem parua quæuis opera, & infra ſupremum perfectionis gradum conſtituta, ſi cum eo comparentur, qui omnes virtutum habitus habet in ſupremo perfectionis gradu; in quo videlicet *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, quique eſt *plenus gratiæ & veritatis*, nec eſt purus homo, ſed ſimul Deus.

R. Ob eaſdem ferè rationes quibus probata eſt in Chriſto libertas indifferentiæ abſolutè, attribuenda eſt eidem indifferentia ad actus inter ſe inæquales, ita vt potuerit elicere aliquos actus minùs perfectos, omiſſis liberè ac indifferenter alijs perfectioribus. Imprimis enim libertas ad actus omninò æquales non ſufficit ad meritum. Quia qui hàc ſolà libertate prædictus eſt, tantum bonum impedit operando, quantum ponit à parte rei; ideoque eius opus nullà euadit laude aut præmio dignum ex poſitione; ſicut nullo euadit dignum vituperio aut

aut ſupplicio ex impeditione. Et præterea de ratione actûs meritorij eſt contemptus liber, & arduus commodi temporalis ob honeſtatem ſimpliciter, vel maiorem honeſtatem ſectandam, vt dicetur quæſt. 38. Patet verò eiuſmodi actum differre ſpecie à quouis alio, per quem omittatur; nec illi eſſe æqualem quoad honeſtatem & perfectionem. Siquidem ergo fuit in Chriſto libertas ſufficiens ad merendum, fuit vtique in eodem indifferentia ad actus inæquales. Indidem patet huiuſmodi indifferentiam, cū proculdubio ſit humanæ naturæ ſecundum ſe connaturalis, eſſe quoque congruentem fini incarnationis, vtpote obtento per merita & ſatisfactionem, ideoque aſſumptam à Verbo fuiſſe iuxta dicta quæſt. 31. ſiue ea ſit perfectio, ſiue defectus, ſiue, quod verum eſt, ex vtroque conflata.

Demum occurrebant Chriſto Domino plura obiecta amabilia propter ſe honeſtè, limitatæ perfectionis inter ſe inæqualia, optimè cognita, & quibus non indigeret ad ſuum vltimum finem obtinendum, poſſidendamque cumulatè beatitudinem ſuam: huiuſmodi namque ſunt reſpectu Chriſti obiecta formalia virtutum moralium, quæ ſuperiùs ipſi attributæ ſunt; hæc enim obiecta ſunt imprimis amabilia propter ſe honeſtè; ſiquidem amantur per virtutes ſpecificatas ex ipſis. Deinde non indiget illis Chriſtus, nec actibus ad ea terminatis pro vltimo ſuo fine & beatitudine; ſiquidem ratione vnionis hypoſtaticæ collata ipſi eſt beatitudo cumulatiſſima independenter ab omnibus actibus, & meritis ſuis. Eadem obiecta eſſe bonitatis limitatæ, inter ſe inæqualia, & optime à Chriſto cognita, ex eo patet, quia ſunt creata, & in ordine ad illa exiſtunt virtutes

tutes perfectionis ex omnium confeſſione inæqualis. Quæ autem ſunt huiuſmodi, habent, quantum eſt de ſe, contemptibilitatē, & omiſſibilitatem, ſiue conſiderentur in ratione finis, quia habent bonitatem limitatā, & cum imperfectione coniunctam; ſiue conſiderentur in ratione medij ad vltimum finem, quia non ſunt neceſſaria ad illum obtinendum ac poſſidendum. Ex reliquis verò capitibus datur in Chriſto, quidquid requiritur ex parte principij ad proximam indifferentiam reſpectu eorundem obiectorū, vt liquet ex dictis. Neque hæc indifferentia verſari poteſt niſi inter actus inæquales; quia ea obiecta motiua ſunt inæqualia. Aderat igitur, in Chriſto indifferentia ad actus inæquales.

Ad 1. Iuxta doctrinam D. Thomæ opuſculo 18; cap. 1 & lectione 1. ad caput 13. Dionyſij de diuinis nominibus: Perfectio cuiuſque, & imperfectio, & conſequenter laudabilitas, ac reprehenſibilitas, conſiderantur in ordine ad vltimum finem; itaque abſolutè perfectus ac laudabilis exiſtit, qui actu illum poſſidet: Perfectus verò ac laudabilis viator eſt, qui eſt bene vndequaquè diſpoſitus ad vltimum finem conſequendum; imperfectus autem & reprehenſibilis, vel abſolutè, vel ſecundum quid, qui nec vltimum finem actu poſſidet, nec eſt ad illum bene diſpoſitus, ſed cum voluntario aliquo ſpeciali vel impedimento illius obtinendi, vel periculo eiuſdem amittendi. Vnde omiſſio libera cuiuſuis actus perfectioris, eiuſque impeditio per actum, minùs perfectum eſt aliqua imperfectio in puro homine viatore, eumque conſtituit reprehenſibilem; quia priuat ipſum maiori aliqua ſecuritate obtinendi vltimi ſui finis, ideòque conſtituit in

aliquo

aliquo ſpeciali periculo voluntario eiuſdem amittendi .] At verò in Chriſto Domino actus minùs perfectus, omiſſo liberè perfectiori, non habet rationem imperfectionis moralis, neque Chriſtum conſtituit reprehenſib.lem; quia independenter à ſuis operationibus liberis potitur cumulatè beatitudine abſque vllo periculo illius amittendæ.

Ad 2. Fœlicitatem & delectationem puri hominis, vtpote finitam, ac limitatam, auget quælibet acceſſio boni, & eius magis, quod magis placet; & conſequenter dolorem ac moleſtiam procreat eidem aliquam priuatio eiuſdem boni; vtpote diminutiua fælicitatis, & delectationis & contradicens naturali appetitui augmenti circa illas. Non eſt autem bonus, & vndequaque perfectus, ſeu filius, ſeu amicus, qui eſt cauſa voluntaria alicuius iuſti doloris, ac moleſtiæ patri, vel amico, & contradicit vtriuſuis inclinationi naturali ad augmentum propriæ fælicitatis ac delectationis. Eſt igitur contra perfectam filiationem & amicitiam reſpectu hominis, ſi omittantur, quæ ipſi maximè placent, eaque fiant, quæ minùs placent. Alia eſt ratio comparatione Dei, cuius nimirum fælicitas & delectatio nullum poteſt augmentum ſortiri ex acceſſione vllius boni creati, quique nullam ex oppoſita omiſſione, ac priuatione moleſtiam, aut dolorē pati poteſt. Quare non eſt contra rationem perfectæ filiationis, & amicitiæ cum Deo, quod non fiant ea, quæ ipſi maximè placent, eaque fiant, quæ minùs placent, ſi nihil interueniat aliud; Quia complacentia diuina circa actus creatos non eſt afficiens & delectans, ac beatificatiua, ſed purè approbatiua. Filius igitur & amicus Dei ſibi debet prouidere, non patri & amico Deo, eritque

proinde

proinde perfectus in ratione talis, ſi nullum apponat impedimentum, nullumque creet periculum hæreditati paternæ capeſſendæ, & retinendæ æternæ ſuæ cum Deo coniunctioni per ſuum amorem, & gaudium erga ipſum, quidquid ſit de reliquo. Chriſtus autem longe aberat, vt dictum eſt, ab omni eiuſmodi impedimento & periculo, vtcunque verſaretur circa obiecta creata meliora, & minùs bona.

Ad 3. Chriſtus ſolùm erat determinatus intrinſecè ad vniuerſaliſſimū genus honeſti, ſub quo ſuperſunt plures ſpecies obiectorū inter ſe inæquales, aliæ cum commodo, aliæ cum incommodo temporali cōiunctæ, adeòque inuicem incompoſſibiles, vt clariùs infrà: Dictum autem eſt in quæſtionibus de bonitate, & malitia, ſaltem exiſtenti huiuſmodi diuerſitate bonorum inæqualiū, poſſe eligi quod eſt minus bonum, tametſi nullus ſit defectus in præuia cognitione. Quod additur de identitate rationis circa inæqualitatem intenſionis, & ſpecificæ perfectionis, conceditur omninò, nec negari vllo pacto poteſt. Immo vrget ratio P. Vaſquez multò magis circa inæqualitatem ſolius intenſionis; quia in maiori intenſione reperitur formaliter totum bonum minoris intenſionis.

Ad 4. Maximus amor eſt neceſſariò actiuus maximi eius boni, quo indiget amatus, ſeu quod ipſius intereſt habere; non verò eius, quo non indiget, neque quidquam intereſt ipſius. Intererat autem Chriſti habere dona ſupernaturalia in ſumma perfectione, iiſdemque indigebat ad operandum perfectiſſimè, & feliciſſimè viuendum. At Deus non indigebat perfectiſſimis Chriſti operationibus, neque quidquam ipſius in-

N tererat,

ſererat, vt exiſterent. Eſt igitur diſpar manifeſte ratio, tametſi eſſet æqualis vtrimque, & ſumma coniunctio phyſica, & affectiua, ex vi vnionis hypoſtaticæ. Iam gratitudo ex parte Chriſti poterat eſſe maior, vel minor in actu ſecundo, quin propterea eſſet poſſibili ingratitudo, aut imperfectio in actu gratitudinis ob eandem rationem, quæ reddita eſt pro reliquis virtutibus.

Ad 5. Nihil ea gradatio concludit; quia fit tranſitus à genere in genus; peccatum enim tam veniale, quam lethale diſplicet Deo, & vtrumque eſt impeditiuum beatitudinis in æternum vel ad tempus. Vnde, iuxta dicta ad 1. neutrum peccatum cohærere poteſt cum perfectione operantis, & ſumma eiuſdem ad vltimum finem adhæſione per charitatem ſiue actualem, ſiue habitualem; nempe eſt eadem ratio de vtraque quoad punctum præſens. At actus minùs perfectus, alio abſolutè poſſibili, reſpectu operantis nullum prorſus vel minimum eiuſmodi incommodum ſecum affert; ideòque nullam habet ex ſua præciſe ratione formali incompoſſibilitatem cum ſumma ad vltimum finem adhæſione ſiue actuali, ſiue habituali, cumque perfectione operantis excludente omnem imperfectionem moralem.

Ad 6. Decederet quidem filium Dei naturalem, eundemque hominem-Deum, ſi non ſe exerceret actibus inter omnes abſolutè poſſibiles præſtantiſſimis circa ſummũ bonum, quod eſt Deus, & quia non eſt liber ad aliquid ſeſe dedecens, propterea eiuſmodi actus elicit neceſſariò, eſtque per eoſdem tota æternitate felix atque beatus; & conſequenter conſtitutus in ſtatu perfectionis abſque vlla imperfectione morali potente

tente impedire conſummatum abſolutè exemplar ſanctitatis. Cæterùm quòd, hoc poſito, circa alia obiecta finita & limitata liberè interim verſetur Chriſtus cum plena indifferentia eligendi minùs vel magis bonum, nihil continet dedecens. Immo eſt pars quædam felicitatis, ſubſtantiam eius maxime decens, poſſe inferiora hæc, qualiacunque fuerint, amplecti facile, vel reijcere, ac contemnere, vt libuerit, veluti res parui momenti. Magnificus & magnanimus, vt conſiderantur a Philoſopho, nihil habent maius profuſione magnorum ſumptuum, & meritis magni honoris humani, quo ſint felices & perfecti, quodque illis eorum habituũ operationibus ſubſtituant. Vnde illis ſublatis nihil ſupereſt, quo ſe decenter exerceant, quod patet non habere locum in Chriſto.

QVÆSTIO XXXV.

Vtrum Chriſtus fuerit indifferens reſpectu mortis?

VIDETVR non fuiſſe. 1. Quia Chriſtus non fuit indifferens reſpectu eorum, quæ pertinent ad legem naturalem, vt dictum eſt q. 29. & 32. Pertinebat autem ad legem naturalem reſpectu Chriſti, vt ipſe moreretur pro ſalute generis humani; Tum quia lex naturalis obligat ad ſubueniendum proximo conſtituto in extrema neceſſitate, qualis profectò erat, quæ opprimebat genus humanum obnoxium morti æternæ, & multiplici

tiplici miſeriæ temporali, vnde ſola mors Chriſti eximere poterat: Tum quia vnanimis omnium Doctorum conſenſus tradit vnumquemque lege naturali teneri ad profundendam vitam temporalem pro ſalute ſpirituali proximorum maximè verò totius Reipublicæ alias infallibiliter interituræ. Quid igitur par eſt ſentire de toto mundo interituro, ſi Chriſtus mortem recuſaſſet?

2. *Bonus paſtor dat animam ſuam pro ouibus ſuis*, vt habetur Ioan. 10. 11. Chriſtus autē erat bonus paſtor, vt ibidem ipſe teſtatur de ſe ipſo. Nec fieri potuit vt eſſet malus paſtor, vel etiam non bonus. Quia neceſſe erat ob eius impeccabilitatem, vt in quouis genere, ac materia eſſet non malus, ſed bonus. Ergo non potuit fieri, vt non poneret animam ſuam pro nobis.

3. In eodem capite Ioannis verſu 17. dicit Chriſtus: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*. Fieri autem non potuit vt non diligeretur à Patre; ſiquidem erat intrinſecè, ac ſubſtantialiter gratus ipſi & ſanctus. Ergo nec fieri potuit vt deficeret ratio & cauſa dilectionis paternæ, quæ dicitur poſitio animæ.

4. Matth. 26. 42. dicit Chriſtus orando ad Patrem: *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum; fiat voluntas tua*. circa quæ verba ſubdit Hilarius can. 31. in Matth prope finem: *Ideo calix tranſire non poteſt niſi illum bibat: quia reparari, niſi ex eius paſsione, non poſſumus*. Quare calix ille erat paſſionis & mortis; Ergo tranſire, ſeu præterire paſſionem & mortem Chriſtus non poterat. Ergo non fuit ea in re indifferens.

5. Quod neceſſe eſt fieri, nō poteſt ſimul eſſe indifferens, vt fiat vel non fiat. Neceſſe autem

autem erat Chriſtum pati, vt ipſe declarat Lucæ 24. 44 dicens: *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & pſalmis de me*. Et mox verſu 46. exponens quid illud eſſet, quod ſcriptum erat ſubiungit: *Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat pati Chriſtum*. Vnde apud eundem Lucam 22. 22. dicitur: *Et quidem filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit*: Definitum autem vtique a Deo, cuius definitio fruſtrari non poteſt, ſed eadem neceſſitate expletur, quâ verificatur ſcriptura, per quam illa cum ſuo ſimul effectu diuinitùs manifeſtatur.

R. Chriſtum liberè mortem ſubijſſe, cum plena indifferentia illam vitandi, ſi voluiſſet, ſatis conſtat ex illo Ioannis 10. 18. *Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam &c.* Nec enim verificatur id à nemine alicui tolli, ad cuius iacturam patiendam is ab alio omninò neceſſitatur, nullâ eidem relictâ indifferentiâ ac poteſtate vitandi. Similiter verificari nõ poſſet Chriſtum poſuiſſe animam ſuam à ſe ipſo, ſi vltimam ad id determinationem non habuiſſet à ſe ipſo, ſed ab alio principio extrinſeco. Ea enim tantummodò à nobiſmet ipſis facere dicimur, quorum arbitrium noſtræ determinationi ac electioni relictum eſt. Demum non dicitur propriè, nec iuxta, ſed contra communem loquendi modum, habere aliquem poteſtatem ad aliquid, ſi facere id & non facere indifferenter nõ poſſit; tunc enim neceſſitatem potiùs dicitur habere faciendi, quàm poteſtatem. Idem apparet ex illo Iſaiæ 53. 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum*. Particula enim cauſalis, *Quia*, adiuncta voluntati ſignificat penes ipſam fuiſſe determinationem

effectus, cuius cauſa perhibetur; ſi enim à voluntate alterius habeat vltimam determinationem is effectus, qui circa aliquem ſortitur executionem ineuitabilem ab ipſo per ſuam ipſius voluntatem & electionem, non adſcribitur effectus huius, ſed illius voluntati, eumque dicitur hic pati; non quia ipſe, ſed quia ille alter voluit. Deinde non alio modo ſignificatur penes voluntatem Chriſti fuiſſe, vt offerretur, quàm vt non aperiret os ſuum. Eſt autem vltra omnem veriſimilitudinem, Chriſtum vſque adeò arcta, & vniuerſali neceſſitate ſimpliciter antecedenti fuiſſe vndequaq; circumluſum, vt nequidem ad vnam ſupplicem vocem emittendam eſſet indifferens. Multo certè maiorem, ac ampliorem indifferentem poteſtatē ſibi Chriſtus attribuit Matth. 26. 53. dum dicit: *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit, mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* in hunc vtique finem, de quo agebatur, vt ipſum defenderent, & eriperent ex manibus Hebræorum, quominùs eum occidere poſſent. Ita enim Chriſti proteſtatio fuiſſet planè inanis, nugatoria, & fallax, ſi ad nullum prorſus modum vitandæ mortis habuiſſet liberam, & pleniſſimè indifferentem poteſtatem.

Accedit mortem Chriſti fuiſſe meritoriā, quod eſt certum ex fide, vt infra apparebit. Dictum autem eſt ſemel atque iterum, meritorium eſſe non poſſe, quod non eſt liberum libertate indifferentiæ, idque eſſe certum ex fide. Certum igitur eſt mortem Chriſti fuiſſe ipſi liberam libertate indifferentiæ. Quod quidem argumentū, vti & præcedens, ita eſt manifeſtum & conuincens, vt ægrè adducar ad tranſmittendum abſque grauiori

cenſura,

cenſura, propter reuerentiam Authorum, à quibus defenduntur, opiniones aliquas de Chriſto necesſitato antecedenter quoad ſubſtantiam mortis, ſolùmque indifferenti quoad aliquas circumſtantias ex parte obiecti, vel actùs.

Accedit rurſus, mortem non eſſe volibilem, niſi in ratione puri medij; ſiquidem eſt expers omnis ſecundùm ſe bonitatis; atque in Chriſto non potuiſſe eſſe medium neceſſarium ad finem neceſſariò volitum, nempe ad propriam beatitudinem, quæ ſola neceſſariò ab vnoquoque intenditur, atque à Chriſto habita eſt independenter à morte. Sed ſolùm fuiſſe medium neceſſarium ad noſtram reparationem, ac ſalutem, quæ non potuit eius voluntatem neceſſitare, cùm non indigeret illâ, ſed poſſet abſque ea eſſe felix. Medium autem neceſſarium tantum ad finem non neceſſariò intentum, liberè ac indifferenter eligitur. Ergò mors liberè ac indifferenter electa fuit à Chriſto.

Ad 1. Lex naturalis non obligat ad procurandum proximo ea bona, quorum participatio ſub nulla ratione ipſi debetur; aut ad auertendum ab eodem ea mala, quorum inflictio ipſi debetur. Homini autem puro ſecundùm ſe non debentur dona ſupernaturalia, quæ videlicet ſunt ſupra omnem eius dignitatem, & proportionem: Homini verò peccatori ſecundùm ſe debetur inſuper priuatio eorundem donorum, & inflictio mali contrarij. Independenter autem à meritis Chriſti, ſeu antequam ipſe illa pro nobis exhiberet, nullum inductum erat à Deo priuilegium, ratione cuius homo ſupra ſuam conditionem naturalem eleuaretur, aut facultas eidem concederetur euadendi ex

ſtatu peccati per Sacramenta, vel actus ſalutares. Nullo igitur titulo tenebatur Chriſtus ex præſcripto legis naturalis, vt mortem ſubiret pro nobis, vel eleuandis, vel redimendis, ſed quòd vtrumq. præſtaret per paſſionem ſuam, fuit beneficium purè gratuitum, ſoliùſque dilectionis purè liberalis opus nulla legis neceſſitate extortum, iuxta illud ad Epheſ.5. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*. Nec enim vlla lege, & vera neceſſitate deberi poterat peccatoribus, vt ante omnem aliam fauorabilē diſpoſitionem vſque adeò, ab ipſorum maximè iudice, diligerentur.

Alia eſt ratio de mutua inter puros homines obligatione exiſtente de facto poſt eleuationem totius hominum communitatis ad finem ſupernaturalem per remiſſionem peccatorum. Hac enim factà ſuppoſitione, quam Chriſtus gratiosè induxit, ſinguli lege naturali tenentur, vt ſe inuicem iuuent ad finem communitati præſcriptum, & nulla cuiuſquam ſcorſim ac ſecundum ſe conſiderati indignitas aufert priuilegium communitatis, & ius inde reſultans in ſingulos, quatenus & quandiu ſunt membra illius, vt iuuentur à cæteris in ordine ad finem omnibus communem, omnibùſque peruium per gratiam Diuinam communicandam mutuo aliorum in alios miniſterio, & iuuamine: hoc enim onus mutuum eſt omnibus puris hominibus indiſcriminatim vtile, & à ſingulis maximè deſiderabile. Quod de Chriſto dici non poteſt, qui non indigebat iuuamine, reliquorum, & eleuatus, ac in tuto collocatus erat loco per ſingularem circa ipſum diſpoſitionem Diuinam.

Ad 2. Conceditur non potuiſſe Chriſtū eſſe malum paſtorem, aut non bonum, ſed potuit

potuit ſimpliciter non eſſe paſtor; ſuſcepit enim libere huius officij onus, cùm potuiſſet ſolo iudicis officio fungi aduerſus peccatores; ſiquidem oues vitio ſuo iam mortuæ erant indignæ paſtore eas regenerante per mortem ſuam.

Ad 3. Non ſignificat Chriſtus illis verbis ſolùm ob animæ poſitionem, ſed ob eam etiam ſe à Patre diligi. Volebat enim oſtẽdere Iudæis ſuſcepiſſe ſe officium paſtoris, & elegiſſe ſe animæ poſitionem approbante Patre, atque ideò honeſtè, & non per temeritatem malè conſilitam, vti exprobrabant Iudæi. Videatur Maldonatus cum alijs interpretibus eo in loco.

Ad 4. & 5. Neceſſaria erat mors Chriſti, & impoſſibilis omiſſio, neceſſitate, & impoſſibilitate non ſimpliciter antecedenti, ſed conſequenti; vtraque enim prouenicbat à reuelatione Dei pendenti ab æterna eiuſdem prædefinitione pendentì rurſus à ſciẽtia media mortis liberè ac indifferẽter ſubeundæ à Chriſto; ac proinde potente abſolutè ea omnia impedire. Vel dicatur eſſe impoſſibilitatem, & neceſſitatem ex ſuppoſitione finis noſtræ redemptionis, & exaltationis Chriſti liberè ac indifferenter ab eo intenti, ſed non aſſequibilis iuxta decretum Patris, niſi per paſſionem, & mortẽ. Videatur D. Thomas quæſt. 46. art. 1.

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrum indifferentia Chriſti ad mortem foret compoſsibilis cum precepto obligante ad illam in conſcientia.

VIDETVR fore compoſsibilem. 1. Quia, vti tradunt plerique PP. Dominicani, licet non potuiſſet Chriſtus recuſare mortem in ſenſu compoſito talis præcepti ob impeccabilitatem ipſi intrinſecam; potuiſſet nihilominus illam recuſare in ſenſu diuiſo, ad eum modum, quo iuſtus poteſt peccare; amans Sortem, odio habere illum; ſtans ſedere. Quia voluntas Chriſti ſecundum ſe erat indifferens ad mortem, & recuſationē mortis ſecundum ſe. Id autem ſufficit ad indifferentiam ſimpliciter ac propriè talem, vt patet in exemplis poſitis.

2. Diuina noſtri actus prædefinitio abſoluta, efficax, & omninò determinata non aufert nobis indifferentiam ad eundem actū & ipſius omiſſionem. Ergò nec præceptum obligans in conſcientia abſtuliſſet Chriſto indifferentiam ad acceptationem mortis, & eius omiſſionem. Probant conſequentiam Suarez, & nonnulli alij quia tale præceptum imponeretur Chriſto, &. vt ipſi putant, impoſitum eſt de facto, præeunte ſcientiâ mediâ mortis acceptandæ à Chriſto independenter etiam à præcepto; atq; ob ſolam huiuſmodi anteceſſionem ſcientiæ

mediæ

mediæ non aufert indifferentiam nobis præ-
definitio Dei.

3. Non obſtante præcepto obliganti in conſcientia abſolutè impoſito, manſiſſet Chriſtus indifferens ad petendam à Patre, & non petendam eius diſpenſationem; & ſiquidem illam petiuiſſet, infallibiliter, & ineuitabiliter obtinuiſſet, iuxta illud Matth. 26. 53. *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum? & exhibebit mihi modò* Obtenta verò diſpenſatione potuiſſet abſque peccato recuſare mortem. Ergò non obſtante præcepto obliganti in conſcientia manſiſſet Chriſtus abſolutè indifferens ad ſubeundam, & non ſubeundam mortem; quo pacto tuentur indifferentiam Chriſti ad mortem Cardinalis de Lugo, & alij.

4. Præceptum de ſubeunda morte quoad ſubſtantiam non abſtuliſſet Chriſto indifferentiam, tum ex parte obiecti ad plura motiua acceptandi mortem, & ad plures eius circumſtantias [quoad locum, tempus, ſocios, auctores &c. quò recurrunt Fonſeca, Valentia, & plures alij: Tum ex parte actus ad plures gradus intenſionis inæquales, vt vult ſpecialiter Vaſquez, & ad quamlibet in indiuiduo ex pluribus actibus internis omninò inter ſe æqualibus, quò confugit Arauiſo. Quælibet autem ex his indifferentia ſufficit vt mors Chriſti dicatur abſolutè libera, & propriè meritoria.

R. Qui eſt intrinſecè impeccabilis, ideoque minimè indifferens ad peccandum & non peccandum, non poteſt eſſe indifferens ad actum, cuius omiſſio eſt peccaminoſa. Chriſtus autem eſt intrinſecè impeccabilis, & omiſſio actûs præcepti præcepto obligante in conſcientia, eſt peccaminoſa. Ergò Chriſtus nõ potuit eſſe indifferẽs ad actum

præceptum præcepto obligante in conſciẽtia. Ergò indifferentia Chriſti ad mortem non foret compoſſibilis cum præcepto obliganti ipſum ad illam in conſcientia; id eſt cum præcepto reddente peccaminoſam omiſſionem mortis.

Ad 5. Ideò iuſtus poteſt peccare in ſenſu diuiſo iuſtitiæ, quia poteſt per actum peccati excludere à ſe gratiam ſanctificantem, & ſic ponere peccatum à parte rei diuiſum ab eadem gratia per diuiſionem factam à voluntate ipſius iuſti. Eadem eſt ratio de ſtante reſpectu ſeſſionis; de amante reſpectu odij, & ſic de ſimilibus. At qui ſubeſt præcepto, non poteſt illud tollere per actum inobedientiæ eidem contrarium; ideòque non habet poteſtatem ponendi à parte rei actum tranſgreſſionis diuiſum à præcepto. Vnde qui ſubeſt præcepto, ſi non poteſt facere actum illi contrarium in ſenſu compoſito eiuſdem, nullam prorſus habet potentiam proximam, & abſolutam ad actũ contrarium. Chriſtus autem non potuit elicere actum contrarium in ſenſu compoſito præcepti obligantis in conſcientia; hoc eſt, componere cum hoc præcepto actum contrarium. Ergò ſi habuiſſet tale præceptum reſpectu mortis, nullam, vel etiam in ſenſu diuiſo, habuiſſet indifferentiam ad illam. Deinde cognitio præcepti obligantis in conſcientia non potuiſſet repræſentare Chriſto indifferenter obiectum quatenus ſubſtans tali præcepto; ſiquidem quatenus illi ſubſtans non eſſet refutabile à Chriſto. Sub eâ autem ratione, ſub qua deeſt indifferentia præuiæ cognitionis, deeſt neceſſariò omnis indifferentia voluntatis, & poteſtas tam in ſenſu diuiſo, quam compoſito, etiam ex ſententia eorum auctorum. Nec

ſufficit

ſufficit volutatem ſecūdum ſe reſpectu obiecti ſecundum ſe eſſe indifferentem: ſi hic & nunc, prout ſubeſt tali cognitioni, non manet indifferentia.

Ad 2. Prædefinitio diuina eſt extrinſeca nobis, nec dirigit immediatè voluntatem humanam in opere ſuo. At cognitio præcepti & eſſet intrinſeca Chriſto, & dirigeret immediatè voluntatem eius in opere ſuo: Nulla igitur eſt paritas. Nèc ratio à priori quidquam valere poteſt, quia ſcientia media non eſt vtilis pro tuenda libertatate arbitrij, niſi retineatur eadem hypotheſis in ſtatu abſoluto, quæ conſiderata eſt in ſtatu conditionato; & niſi actus proximè poſſibilis ex vi eiuſdem hypotheſis ſit idem pro vtroque ſtatu; Voluntas autem quatenus intrinſecè informata per cognitionem præcepti incompoſſibilem ex ſua natura cum vna parte contradictionis, & ſimiliter connexam cum altera parte, non eſt eadem hypotheſis, atque eſt eadem voluntas, quatenus diſiuncta, vel non coniuncta cum eadem cognitione; ſiquidem voluntas non ſola, & ſecundum ſe, ſed vt ſubeſt comprincipijs ipſi intrinſecè inhærentibus ſimul cum extrinſecis in impedibilibus per ipſam, habet rationem puræ hypotheſis adæquatè ſumptæ. Deinde actus obedientiæ, & inobedientiæ, qui ſunt proximè poſſibiles ſub cognitione præcepti, diſſident ſpecie à quibuſuis alijs actibus proximè poſſibilibus ſub qualibet alia cognitione ſeorſim ſumpta.

Ad 3. Ex illo teſtimonio Ioannis ſolùm habetur Chriſtum potuiſſe vitare mortem. Quòd verò id fieri poſſet determinatè per petitionem, & conceſsionem diſpenſationis, inde nequaquam habetur, ſed dicitur gratis. Certè poteſtas petedni, & obtinendi

de legionis; non eſt poteſtas petendi & obtinendi diſpenſationem; ſiquidem legiones, neque ſunt diſpenſatio, nec diſpenſationē inducere poſſunt. Deinde iuxta eos auctores, tum petitâ & negata diſpenſatione, tū ablatâ poteſtate illam petendi, voluntas Chriſti maneret phyſicè neceſſitata ad acceptādam mortem. Ergò quod dicitur præceptum, eſt neceſſitas phyſica voluntatis; & quod dicitur diſpenſatio, eſt ablatio neceſſitatis: Hæc autem dicuntur per abuſum vocum; quia præceptum ſignificat voluntatē non phyſicè neceſsitandi, ſed moraliter obligandi, cùm ſit de ratione præcepti, vt per ſe ipſum formaliter non inducat neceſſitatem, ſed ſit potiùs illi eſſentiale connotare libertatem immediatam ex parte voluntatis, cui imponitur, ad obediendum, & non obediendum; quod liquet ex cōmuni apud omnes præcepti notione; & maximè ex Auguſtino probante frequenter, præſertim in de gratia & libero arbitrio, libertatem noſtræ voluntatis ex præceptis ipſi impoſitis. Diſpenſatio ſimiliter ex communi loquendi vſu dicitur ſuſpenſio obligationis ad id, quod etiam ſine ea diſpenſatione omitti abſolutè poterat. Rurſus ſi, vt à nonnullis ex illis auctoribus dicitur, nec de potentia abſoluta poſſet Deus negare diſpenſationem à Chriſto petitam, ſequitur non tam ſubeſſe Chriſtum voluntati præcipientis Dei, quàm Deum voluntati Chriſti nolentis perſeuerantiam præcepti: diceturque diſpenſatio neceſſitas ceſſandi, ſeu ceſſatio neceſſaria à priori voluntate; atque dèſereretur ratio dominij diuini, in quo fundant poſſibilitatem præcepti obligantis in conſcientia; cùm ad dominium non minùs ſpectet poſſibilitas negandi diſpēſationem.

Hæc autem omnia ſunt abſurda. Demum vtcumque exponatur facultas hæc petendi diſpenſationem nunquam ſaluabitur in Chriſto libertas immediata & abſoluta ad acceptandam, & recuſandam mortem, ſed tantum mediata, & conditionata. Vnde totum Chriſt. meritum formaliter reuocabitur non ad actum obedientiæ, ſed ad actum nolendi petere diſpenſationem præcepti, quod eſt contra Apoſtolum conſtituentem meritum Chriſti in actu obedientiæ circa mortem, iuxta illud: *factus obediens vſque ad mortem. Propter quod &c.* Pro qua re ſunt alia etiam teſtimonia.

Ad 4. Certum eſt præceptum circa mortem obligans in conſcientia fore compoſſibile cum indifferentia circa alia, quæ non caderent ſub præceptum. Sed id nihil facit ad quæſtionem; & quod eſt maioris, abſoluteque ſummi momenti, nihil id ipſum facit ad ſaluandam veritatem ſcripturarum manifeſtè tribuentium Chriſto indifferentiam, & meritum, non ſolùm circa aliquid præter mortem dum moritur, ſed circa ipſam etiam mortem & paſſionem ſecundum ſe, & quoad ſubſtantiam, vt clarè apparet de indifferentia ex quæſtione præcedenti, & apparebit de merito ex quæſt. 38. Deinde omnes illæ opiniones, nec non quæ in 3. argumento continentur, falsâ ſuppoſitione laborant, quatenus cenſent Chriſtū circa aliqua habuiſſe, circa alia non habuiſſe præceptum; cùm ſecundum veritatem habuerit præceptum eiuſdem omninò rationis circa omnia & ſingula quæ fecit vſque ad minimas quaſque circumſtantias eorum, quatenus ſeu volitas, ſeu omiſſas vti docent cum magno & ſolido fundamento in Euangelio Maldonatus, & Toletus Ioan 12. 49.

Alua-

Aluarez in præſenti diſp. 46. num. 12. & lib. 12. de auxilijs diſput. 22. num. 18. alijque.

Quare præceptum obligans ſub culpa, licet nullo alio ex capite abſolutè & vniue ſaltem repugnaret Chriſto, vti quæſt. 32 dictum eſt repugnare; nullum tamen tale præceptum de facto exiſtens eſſet admittendum in ipſo reſpectu mortis; Tum vt maneret illæſa libertas indifferentiæ ad mortem, qualis clarè adſtruitur in Euangelio; Tum vt præceptum eiuſdem rationis poneretur in Chriſto reſpectu omnium, quæ geſſit in corpore mortali, & quoad omnes eorum circumſtantias, quod itidem valdè conſonat Euangelio.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum voluntas humana Chriſti fuerit ſemper quoad omnia conformis diuinæ?

VIDETVR non fuiſſe 1. ex illo Matth. 26, 39. *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Circa quæ dicit Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap 19. medio: *In hoc quod Chriſtus ait: Non quod ego volo, ſed quod tu: aliud ſe oſtendit voluiſſe, quàm Pater quod niſi humano corde non poſſet, cum infirmitatem noſtram in ſuum, non diuinum, ſed humanum transfiguraret affectum.*

2. Chriſtus orauit pro Iudæis ſe crucifigentibus, & pro vniuerſis etiam reprobis paſſus eſt, eorumque proinde ſalutem intendit;

tendit; id eſt, voluit, vt eam illi conſequerentur. Et tamẽ eandem illis negauit Deus, ac proinde noluit, vt eam conſequerentur. Ergò idem iiſdem volitum eſt per voluntatem humanam, & nolitum per diuinam.

3. Quod eſt indifferens ad vtrumlibet, & ſæpiſſimè occurrit, non ſemper vniformiter contingit; cùm vniformitas vniuerſalis, ac inuariabilis ſit ſignum naturalis neceſſitatis in agendo. Humana autem hæc Chriſti voluntas erat indifferens ad opera conſilij, vt dictum eſt; ac proinde erat indifferens ad vtrumlibet, quòd daretur, vel non daretur conformitas humanæ Chriſti volũtatis cum diuina in operibus conſilij; atque hæc pœnè infinities Chriſto occurrerunt. Ergò non ſemper, & quoad omnia fuit conformis humana Chriſti voluntas cum diuina quatenus conſulente.

Sed in contrarium eſt 1. Quia Chriſtus vt homo fuit beatus, nec potuit non eſſe beatus. Potuiſſet autem non eſſe beatus, ſi potuiſſet quoad aliquid diſcrepare à voluntate diuina. Quia id habere non potuiſſet, in quo diſcreparet à voluntate diuina quæ videlicet eſt eſſentialiter infruſtrabilis. Eſt autem contra conceptum beatitudinis velle aliquid, & non habere: Quia *beatus eſt, qui habet quæcunque vult, & nihil mali vult*, vt dicit Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 5.

2. Diſcrepantia voluntatum contradicit perfectioni amicitiæ. Quia *vnum de amicabilibus eſt, eadem velle & eligere*, vt dicit Ariſt. 9. ethic. cap. 4. Chriſtus autem vt homo erat in perfecta cum Deo amicitia conſtitutus, nec poterat ab ea reſilire, vt dictũ eſt ſupra. Ergò humana voluntas Chriſti in nullo potuit diſcrepare à diuina.

3. Quidquid ſit de poſſibili, Chriſtus de facto

facto per humanam voluntatem voluit fa-
cere in omnibus voluntatem diuinam, iuxta
illud pſal. 39. 9. *Vt facerem voluntatem tuam,
Deus meus, volui.* voluntatem vtique ſump-
tam illimitatè in omnibus, & quoad omnia.
Atque hic fuit finis ipſi, vel diuinâ, vel hu-
manâ ſui ipſius, vel vtràque voluntate præ-
ſcriptus. iuxta illud Ioan. 6. 38. *Quia deſcendi
di de cælo, non vt faciam voluntatem meam,
ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Chriſtus
autem nec a fine aberrare potuit ſibi præ-
ſcripto, nec à propoſito deficere ſemel
concepto. Ergò ſaltem de facto ſemper
humana Chriſti voluntas fuit conformis di-
uinæ; fuitque ad hoc præſtandum neceſſi-
tata neceſſitate ſibi, vel à Patre, vel à ſe ip-
ſo impoſitâ.

3. R. Duplex datur appetitus in homine,
alius ſenſitiuus, alius rationalis. Appetitus
ſenſitiuus perinde fertur in obiectum ſibi
congruens, ſiue ſit volitum, ſiue nolitum à
Deo, quia dirigitur cognitione repræſentā-
te bonum ſenſibile ſecundum ſe præcisè, &
non conferente, neque valente conferre
illud cum voluntate diuina, & vltimo fine.
Vnde potuit Chriſtus quoad hunc appetitū
diſcrepare, & ſæpè diſcrepauit à voluntate
Diuina, quatenus Deus voluit eum pati mul-
ta repugnantia ſenſui; atque ſenſus per-
miſſus eſt in Chriſto peragere motus ſibi
connaturales, vt dictum eſt ſuprà.

Appetitus rationalis, qui dicitur volun-
tas, duplici actuum genere exercetur: alte-
ro per modum naturæ, ac neceſſariò; altero
electiuè ac liberè. Voluntas enim, quod ad
primum attinet, repræſentato ſibi ſimplici-
ter & ſecundum ſe aliquo obiecto vt bono,
cuiuſcunque generis & rationis ſit, neceſ-
ſariò fertur in illud per ſimplicem, vt mini-
mum

mum complacentiam, non expectatà conſultatione, & vltimo iudicio rationis pro efficaci electionis actu; ſimilique neceſſitate refugit à quouis malo per ſimplicem diſplicentiam. Quare voluntas Chriſti quatenùs hac ratione operans per modum naturæ, ac indeliberatè, non ſecus ac appētitus ſenſitiuus, fuit ſæpè diſconformis diuinæ voluntati; vtpote nolenti plura habentia aliquam rationem boni reſpectu Chriſti, ſimiliterque volenti plura habentia rationem mali in genere vtilis, ac delectabilis.

Iam circa actus voluntatis creatæ electiuos, ſeu liberos ac deliberatos duplex datur voluntas in Deo; altera ſigni, altera beneplaciti, ſumptà vtrobique voluntate pro actu. Voluntas beneplaciti eſt voluntas propriè talis adæquatè intrinſeca Deo; eſt enim ipſe Deus, vt dicit D. Thomas de veritate q.23. art.3. in corpore, & ad 6. quatenus propriè, & ſine metaphora volens aliquid. Circa iſtã voluntatem duplex conſideratur conformitas ex parte voluntatis creatæ; altera quoad volitum formale, altera quoad volitum materiale. Quoad formale quidem præcisè, quando aliquid eſt volitum à nobis abſolutè in ordine ad finem à Deo intentum, licet ſimul ſit nolitum vel ſecundum ſe, vel in ordine ad alium finem conditionatè, aut inefficaciter, ſeu cum ſubordinatione ſaltem implicita ad voluntatem diuinam. Quoad volitum verò etiam materiale datur conformitas, quando idem volunt voluntas creata & diuina, non ſolùm in ordine ad finem talem, vel talem, ſed etiam ſecundum ſe. Cõtraria diſconformitas cum voluntate diuina beneplaciti quoad volitum formale eſt intrinſece mala; quia includit intentionem vt fruſtretur voluntas Dei efficax; ideoque

in

in Chriſto dari non potuit. At verò diſcõformitas ſolùm quoad volitum materiale, modo dicto poteſt eſſe abſque vllo peccato; immo cum meritò, vt accidit in Abrahamo intendente, quantum erat ex ſe, mortem filij cuius vitam Deus volebat voluntate beneplaciti. Huiuſmodi diſconformitas potuit eſſe, fuitque de facto in Chriſto, vt apparet ex ſecundo partis negatiuæ, & dicotur in reſponſione ad illud.

Voluntas diuina ſigni impropriè tantùm & metaphoricè eſt voluntas, cum propriè & re ipsà ſit ſolùm effectus quidam Dei extra ipſum adæquatè exiſtens ſimilis effectui, qui editus ab homine ſignificare ſolet ipſum aliquid præterea velle propriè, & ſine metaphora; id nimirum, ad cuius exiſtentiam talis effectus ordinatur ex ſe, vel aliqualiter confert; & ex cuius amore ſolet ab hominibus ipſe effectus poni à parte rei. Quadruplex huiuſmodi voluntas, quod ad præſens attinet, in Deo reperitur, præcipiẽs, prohibens, permittens, & conſilians. Nec enim Deus volitione aut nolitione propriè tali fertur in actus præceptos, prohibitos, permiſſos, & conſultos, quatenus tales, volendo illos, aut nolendo propriè & ſine metaphora; ſed tantum volendo ſic aliquid circa illos, vt dicit D. Thomas eàdem q. 23. de veritate art. 3. & exprimit ſpecialiter de præcepto & permiſſione in reſpõſione ad 2. Præceptum, prohibitio, & permiſſio, prout diſtinguuntur à conſilio, nullum habent locum reſpectu Chriſti, vt cõſtat ex quæſt. 32. Quoad voluntatem conſiliatiuam potuit dari diſconformitas humanæ Chriſti voluntatis cum diuina; quia potuit per illam eligere actus minus perfectos, omiſſis alijs perfectioribus, vt dictum eſt quæſt. 34. & tamen

Deus ſemper conſulit magis perfectos præ minus perfectis. Nihilominùs de facto humana Chriſti voluntas fuit ſemper quoad omnia & ſingula conformis diuinę quatenus conſiliatrici. Quod quidem videtur minimè poſſe in dubium reuocari, propter communem conſenſum fidelium vnanimiter ac indubitanter credentium Chriſtum Dominum ſemper optima quæque, & optimo modo peregiſſe. Deinde ex teſtimonijs adductis quæſt. 32. initio, conſtat Chriſtum ſemper obſeruaſſe omnia præcepta, & mandata Patris. Ex illo verò Ioan. 12. 49. *Ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*: alijſque huiuſmodi colligitur, vt notatum eſt quæſtione præcedenti fine Chriſtum accepiſſe mandatum à Patre de omnibus indiſcriminatim & ſingulis ſuis actibus vſque ad minimum iota, non exceptâ vel vnius voculæ enunciatione; Et prætereà ex eadem quæſt. 32. conſtat nomine præcepti, & mandati intelligi conſilium reſpectu Chriſti. Nihil igitur egit, aut voluit Chriſtus electiuè, & liberè, in quo non conformaretur paternæ voluntati ſigni, ſeu conſilio.

Accedit Chriſtum Dominum fuiſſe neceſſitatum moraliter ad optima quæque, & optimo modo eligenda, Quia ad hoc fuit optime diſpoſitus per habitus omnium virtutum ſibi in ſummo gradu communicatos; per optimam abſque vllo defectu cognitionem omnium eligibilium, & per ſubordinationem perfectam paſſionum, omniumque motuum partis inferioris ad rationem ſuperiorem; quæ omnia reddunt omninò ferè inſuperabilem maiorem obiecti melioris, quantum eſt de ſe, motionem præ obiecto minùs bono; atque ideò reddunt moraliter

certam

certam electionem inter omnes poſſibiles optimam, non certitudine fundatâ in defectu actiuitatis, & virtutis ad oppoſitum, id eſt ad actum minùs perfectum, ſed in abundantiâ virtutis, & inclinationis ad optimũ. Quæ autem ſic ſunt moraliter, ſeu certa, ſeu neceſſaria, ſemper vniformiter eueniunt. Ergo Chriſtus Dominus de facto ſemper habuit humanam ſuam voluntatem cõformem cum voluntate diuina ſigni.

Ad 1. Prima pars illius teſtimonij Euangelici: *Non ſicut ego volo*: oſtendit diſconformitatem quoad appetitum ſenſitiuum, & rationalem habitum per modum naturæ, poſterior verò conformitatem quoad actum electiuum & efficacem, veluti emendatiuum prioris appetitionis; quod indicat particula aduerſatiua: *Sed ſicut tu*.

Ad 2. Conceditur diſconformitas humanæ Chriſti voluntatis à diuina voluntate beneplaciti quoad volitum materiale tantum; Quia Chriſtus intendebat ſalutem reproborum ſubmittendo abſolutè ſuam iſtam humanam voluntatem diuinæ diſpoſitioni, & ordini iuſtitiæ eius.

Ad 3. Quod eſt indifferens ad vtrumlibet, euenit nihilominùs vniformiter, ſi ſit coniunctum cum neceſſitate morali ad alterutrum determinatè. Et ſic erat in Chriſto, vt dictum eſt.

Ad 1. in contrarium. Sufficit ad beatitudinem, ſi quis habeat, quidquid efficaciter vult per appetitum rationalem. Poteſt autem hoc habere, tametſi voluntas eius ſit diſconformis voluntati diuinæ conſiliatiuæ; vel etiam voluntati beneplaciti tantum quoad volitum materiale: Atque iſtæ duæ ſolæ diſconformitates poſſibiles erant in voluntate humana Chriſti.

Ad

Ad 2. Repugnat quidem perfectioni amicitiæ diſcrepantia volũtatum quoad ea, quæ pertinent ad perfectam vtriuſque amici, vel alterutrius fælicitatem, & beatitudinem; de quo agit Ariſtoteles; non tamen diſcrepantia, quæ tantùm ſecundum quid talis eſt; vel quoad volitum tantùm materiale, vel quoad volitum ſola voluntate ſigni non inductiuâ, ſeu præſcriptiuâ alicuius neceſſarij ad perfectam alterutrius felicitatem. Et ſic fuit in Chriſto, vt dictum eſt quæſt. 34. præſertim ad 2.

Ad 3. Voluntas humana abſolutè dicitur conformis diuinæ, dummodò per actus electiuos, deliberatos & efficaces illi conformetur, omninò quidem quoad voluntatem ſigni, quâ Deus oſtendit, quid velit eſſe volitum ab homine; quoad voluntatem verò beneplaciti in volito formali. Quia diſconformitas per ſolos actus appetitûs ſenſitiui, aut etiam voluntatis præcise agentis per modum naturæ, aut denique per actus deliberatos, ſed in volito tantum materiali, eſt diſconformitas ſolùm ſecũdum quid, & purè materialis; tum quia triplex iſtud genus actuum ſubordinatur quoad totũ effectum, & abſolutam vnius obiecti prælationem reſpectu alterius, actibus deliberatis & efficacibus ſequentibus penitùs ductum voluntatis ſigni, & voluntatem beneplaciti quoad volitum formale; tum quia ea qualiſcunque diſconformitas eſt ſub alia ratione abſolutè conformis diuinæ voluntati; quatenùs Deus poſitiuè & efficaciter vult illam in nobis exiſtere. Saluatur igitur per ea, quæ dicta ſunt, omnis conformitas, quæ eo argumento concluditur, inter diuinam, & humanam *Chriſti* voluntatem: & apparet ambas eſſe abſolutè

abſolutè dicendas cōformes de facto quoad omnia; diſconformes verò non niſi cum addito, & ſecundum quid.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum Chriſtus mereri potuerit?

VIDETVR non potuiſſe. 1. Quia nihil mereri poteſt, qui non eſt indifferens ad omittendum opus meritorium; ſiquidem libertas indifferentiæ eſt de ratione operis meritorij, vt poſitum eſt ex fide q.32. Chriſtus autem non potuit eſſe indifferens ad omittendum opus meritorium. Quia qui poteſt liberè omittere opus meritorii apud Deum, eo ipſo poteſt inſipienter agere, & abuti ſuâ libertate à Deo ſibi datâ ad merendum. Deus enim pro præſenti breui, ac tenui labore operis meritorij rependit æternum ac maximum præmium iuxta illud 2.ad Corinth.4.17. ***Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur***. Quare omittere opus meritorium apud Deum, eſt contemnere bonum ſupra modum ingens ac æternum pro vitãda momentanea, ac leui tribulatione, & percipiēdo bono contrario momentaneo, & leui. Qua rerum, & bonorum permutatione quid inſipientius eſſe poteſt? Maximè verò inſipiens fuiſſet apud Chriſtum cognoſcentem vtrumque extremum clariſſimè & perfectiſſimè;

ſimè; & non obſcurè, atque per fidem, vt euenit in nobis. Cùm igitur Chriſtus Dominus inſipienter operari non poſſet, non potuit eſſe indifferens ad omittendum opus meritorium apud Deum; ac per conſequens neque mereri potuit apud ipſum.

2. Is ſolùm mereri poteſt aliquid apud Deum, cui Deus ipſe propoſuerit illud, ac promiſerit tanquam præmium, vt colligitur inter alia ex Tridentino ſeſſ.6. cap.16. poſt initium. Vbi dicitur: *Proponenda vita æterna tanquam merces ex ipſius Dei promiſsione bonis iuſtorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Chriſto autem nullum a Deo præmium proponi, ac promitti potuit. Quia illi ſoli proponi, ac promitti præmium vtiliter, ac prudenter poteſt, qui poteſt illo moueri ad operandum. Chriſtus verò non poterat moueri præmio ad operandum, quia foret infra eius dignitatem, & contra legem perfectionis ipſum decentis, vt non ob ſolam Dei gloriam, exque ſola charitate, ſed etiam, vel ſolùm lucrandi gratiæ operaretur ac pateretur.

3. Impoſſibile eſt Chriſtum potuiſſe abſolute mereri, & non potuiſſe tantundem mereri, ac meretur purus homo. Chriſtus autem tantundem mereri, ac meretur purus homo, nullatenus potuit; quia purus homo meretur propriam beatitudinem, quam Chriſtus mereri non potuit, vtpote habitã neceſſariò præcisè ratione ſuæ dignitatis ſubſtantialis. Propria autem beatitudo eſt præmium reſpectu cuiuſque incomparabiliter maius, quàm ſit beatitudo aliorum, aut quoduis aliud bonum: beatitudo enim propria plùs quaſi in infinitum delectat vnumquemque, quàm cætera omnia bona ſiue propria, ſiue aliena; & comparatione eius

O qua-

quælibet alia iure contemnuntur, debentq; contemni iuxta rectum ordinem charitatis, vt dictum eſt quæſt. 43. de Virt. Theol. Vnde nullâ charitatiuâ perſonarum transformatione induci poteſt oppoſita bonorum æſtimatio.

4. Purus homo ex quo eſt beatus, nihil ampliùs mereri poteſt. Ergò à fortiori Chriſtus Dominus cæteris omnibus multò ſemper beatior nihil vnquam mereri potuit.

R. Meritum variè a varijs definitum & expoſitum, eſt opus exigens compenſationem faciẽdam operanti ab aliquo alio. Quia autem nemo aut tenetur, aut mouetur ad compenſationem faciẽdam pro opere, quod ad eum nihil ſpectat, tanquam ipſi vel vtile vel placens, atque ab eodem præintentum, & ab alio exhibitum in gratiam ipſius cum aliqua exhibentis iactura ſeu expẽſis; oportet opus meritorium apud Deum eſſe imprimis bonum ac honeſtum; ſiquidem quod tale non eſt, placere ipſi, atque ab eodem præintendi minimè poteſt. Oportet deinde idem opus eſſe liberum, & ſubiacens indifferenti electioni operantis; quia ordinatio mediorum ad finem, quæ eſſentialiter continetur in quouis opere qua tenùs exhibito in gratiam alicuius; cùm iſte habeat rationem finis, & illud rationem medij fit per electionem, de cuius ratione eſt libertas. Qua de cauſa non ab eo propriè & abſolutè dicitur aliquid in gratiam alicuius fieri, qui vtcunque illud exequitur; ſed ab eo, qui, vt ita fieret, liberè & electiuè primitùs diſpoſuit.

Præterea quia Deus ex vna parte non tenetur ad vllam compenſationem faciendã ratione rei acceptæ, ex iuſtitia commutatiua, vel diſtributiua ſtrictè tali; ſed ratione

boni communis, ex iuſtitia legali, prouidentiali, ſeu gubernatrice, præmijs potiſſimum, ac ſupplicijs alliciente homines, ac perducente ad proſecutionem honeſti, & fugam mali, communemque felicitatem. Ex alia verò parte bona, quæ diſtribuit in præmiũ, ſunt dona amicabilia; nempe vel conſtituẽtia formaliter amicitiam hominis cum Deo; vel ad illam obtinendam, aut perficiendam ordinata; Quia, inquam, hæc ita ſe habent in Deo, duæ inſuper conditiones requiruntur in opere apud eum meritorio; quidquid ſit de merito hominis apud hominem. Prima conditio eſt, vt inſit operi aliqua difficultas ex motiuo temporali allicitiuo; appetitûs inferioris, eaque ſuperetur contemptu eiuſmodi bono, propter honeſtatem ſimpliciter, vel maiorem honeſtatem incompoſſibilem cum illo; quia ſemotâ omni tali difficultate, nulla eſt neceſſitas ſtimulandi ad opus honeſtum propoſito præmio. Nec vlla perfecti regiminis ratio ſuadet promiſſionẽ illius; &, quod caput eſt, remouetur eo ipſo apud Deum omnis materia, omniſque titulus compenſationis; cùm Deus nunquam ad eam teneri poſſit ex re accepta; nec operans in tali caſu patiatur iacturam aliquam ex amore ipſius, & adhæſione ad bonum honeſtum, quod ad eundem, vt ad finem, eſſentialiter, & formaliter ordinatur.

11 Altera conditio eſt, vt operans ſit iuſtus, & amicus Dei. Quia dona amicabilia, qualia dictum eſt rependi à Deo in præmium, non poſſunt deberi nondum amico, & multò minùs inimico, ſed ſoli amico operanti ex amicitia. Quare opera peccatoris, aut nondum amici Dei, vtcunque alias bona, tametſi congruitatem aliquam, & diſpoſitionem ad præmia diuina, & dona amicabilia poſſint in

ſe continere; inducere tamen verum ad illa ius, ſeu neceſſitatem ex natura rei, vt retribuantur, nequaquam poſſunt: Id eſt, poſſunt quidem eſſe meritoria de congruo, & ſecundum quid; non tamen poſſunt eſſe meritoria de condigno, & abſolutè; eſt enim de ratione amicitiæ, vt vtrinque formaliter, vel ſaltem æquiualenter ineatur libere, & abſque neceſſitate ex natura rei, quidquid demum ex alterutra parte geſtum fuerit antecedenter ad illam; continet ſiquidem amicitia mutuam communi cationem bonorum, quæ cuiuſque ſeorſim propria antecedenter eſſe non poterant, quin propriæ cuiuſque ſeorſim facultati liberæ ſubeſſent. Omnia igitur, quæ dicta ſunt, neceſſaria ſunt ad rationem meriti. Eadem eſſe ad eandem ſufficientia apparet ſatis ex eorundem propoſitione, & expoſitione, & colligitur clarè ex Tridétino eodem illo cap. 16. ſeſſ. 6.

Iam omnes iſtæ conditiones adfuere in Chriſto. Et quidem de ſanctitate eius, & amicitia cum Deo conſta: ex quæſtionibus 24. & 29. de honeſtate operũ ex quæſt. 37. & de libertate ex quæſt. 32. De victoria verò difficultatum, & commodorum temporalium contemptu ex amore Dei, & ſummæ operum honeſtatis ita conſtat clarè ex toto Euangeliorum contextu, vt nihil clariùs, & toties in illis appareat; Apparet verò omnium clariſſimè ex illo ad Philipp. 2. 8. *Factus obediens vſque ad mortem*, vbi particula, *vſque* denotat continuatam longam ſeriem aliarũ omnis generis difficultatum, & paſſionum infra mortem victarum voluntate quàm maximè placendi Deo Patri. Potuit verò mereri Chriſtus Dominus.

Ad 1. Agit quidem inſipienter, qui omittit opus aliquod meritorium apud Deum, dum

ſubeſt

ſubeſt periculo amittendi beatitudinem, aut ſpei eam ſubſtantialiter cumulandi. At qui eſt de ſua beatitudine, eiuſque ſubſtantiali cumulo omninò ſecurus, poteſt omittere quoduis meritum abſque nota inſipientiæ; quia ſolùm contemnit bonum minimè neceſſarium, vt ſit perfectè ſubſtantialiter felix, & de cuius iactura dolere nunquam poteſt; & quia nulla bonorum acceſſio, nullaque acquiſitio præmiorum eſt quid magnum comparatione facta cum habente ſummum bonum, in quo cætera omnia eminenter continentur; licet poſſit eſſe quid maximum comparatione operationis alicuius ab eodem exercendæ ſecundum ſe conſideratæ. Chriſtus autem meruit iam exiſtens, ſemperq; neceſſariò futurus perfectè fælix.

Ad 2. Nulla eſt imperfectio, nulloque ex capite dedecet operari ex deſiderio bonorũ ſpiritualium, iiſdemque moueri ad operandum; Quia Deo placet, vt quærantur, & moueant; ideòq; poſſunt quæri, & propter ſe amari ex impulſu, & imperio charitatis, quæ nihil indecens inducere poteſt. Sic autem operatus eſt Chriſtus.

Ad 3. Licet præmium Chriſti fuerit minùs præmio puri hominis in ratione vtilis relatè ad operantem; fuit tamen incomparabiliter maius in ratione glorioſi, & abſolutà rei ad rem comparatione. Decebat verò filium Dei naturalem certare & pati, non ex indigentia pro bono vtili, ſed ex abundantia pro glorioſo & abſolutè excellenti, & alijs vniuerſaliter vtili.

Ad 4. Chriſtus fuit beatus ſimul & viator, vti mox exponetur; cùm cæteris omnibus alteruter tantum ſtatus conueniat; tum de facto, tum, vt credo, etiam ex natura rei.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrum per ſolos actus proprios viatoris mereri poterit Chriſtus Dominus?

VIDETVR non per eos ſolos mereri potuiſſe. 1. Quia actus proprij Beati ſunt perfectiores, ac proinde magis placentes Deo, quàm qui ſunt proprij viatoris. Ergo illi magis, quàm iſti mouere poſſunt ad collationem præmij, quæ videlicet conſequitur ad diuinam complacentiam ſuper opere merentis.

2. Sequeretur ex oppoſito actus minùs perfectos, quales ſunt proprij viatoris, fuiſſe vtiliores Chriſto, vtpote fœcundos præmij, quàm actus perfectiores, & beatificos, vtpote prorſus ſteriles; ac proinde illos fuiſſe iſtis æſtimabiliores, quod eſt abſurdũ; cùm beatitudo præemineat omnibus alijs.

3. Si Chriſtus per ſolos actus proprios viatoris mereri potuiſſet, ipſe fuiſſet minùs aptus ad merendum, quàm puri viatores; Quia iſtorum actus ſunt magis proprij viatorum, vtpote nihil participantes de ſtatu beatifico. Sequela autem eſt abſurda; Quia Chriſtus meruit præ omnibus alijs intẽſiuè, & extenſiuè vt dicetur quæſt. ſequentibus.

4. Conditio viatoris requiritur in nobis ad merendum, non ex natura rei, ſed ex ſola diſpoſitione, & lege purè libera Dei. Chriſto autem nullum impoſitum eſt onus vitabile abſolutè ex natura rei, nec neceſſarium ad finem incarnationis. Ergo rel-

ta, eſt illi habilitas merendi etiam per actus proprios ſtatûs beatifici.

5. Non eſt vnde inter ſe diſtinguantur in Chriſto actus proprij viatoris, & proprij comprehenſoris; cum actus procedant ab operante, vti eſt re ipſa à parte rei, & non ſecundum præciſiones intellectus. Ergo ſi Chriſtus nō potuiſſet mereri per actus proprios comprehenſoris, per nullos omninò actus mereri potuiſſet.

R. Actibus voluntatis conuenit eſſe proprios viatoris, aut beati, tum ex parte obiecti, tum ex parte principij. Ex parte obiecti actus eſt proprius viatoris, quando illi ineſt incommodum aliquod cauſatiuum moleſtiæ ac doloris; proprius verò beati eſt, quando nihil tale ineſt, ſed obiectum eſt cauſatiuum puri gaudij ac delectationis. Ex parte principij actus eſt proprius viatoris, quando vel nullâ, vel ſolâ abſtractiuâ diuinæ bonitatis cognitione dirigitur; nec immediatè, vel ſaltem mediatè, à viſione Dei immediatâ dependet; beati verò proprius eſt, quando ab eadem viſione ſaltē mediatè dependet. Dicitur autem actus abſolutè proprius viatoris, non modò ſi vtrinque, verum etiam ſi ex alterutra tantum parte, ipſi deficiat conditio propria ſtatus beatifici; Quia malum ex quocunque defectu, & denominatio ſequitur debiliorem partem.

In Chriſto autem Domino nullus actus, ſaltem ex habitis liberâ ſuâ electione, potuit eſſe proprius viatoris ex parte principij; nam viſio Dei immediata neceſſariò anteceſſit, ac direxit omnes eius electiones. Primò quia ſubſtantiæ intrinſecè impeccabili, qualem dictum eſt eſſe Chriſtum, debetur ex natura rei, vt dirigatur in operando per cognitionem ratione ſuæ perfectionis

incompoſſibilem intrinſecè cum peccato; & neceſſitantem phyſicè ad honeſtum. Cui enim debetur conſequens, debetur ſimiliter & antecedens illatiuum proportionaliter conſequentis: talis autem cognitio, eſt ſola viſio Dei. Secundò. Charitas erat in Chriſto iuſtè commenſurata lumini gloriæ, potens proinde explere per actum ſuū totam propoſitionem boni factibilem per viſionem Dei. Vnde cuiuſlibet alterius inferioris cognitionis directio eſſet infra & contra exigentiam charitatis Chriſti. Motioni autem & imperio charitatis ſuberant in ipſo reliquæ omnes virtutes quoad omnes ſuos actus. Tertiò. Chriſtus aggreſſus eſt, & quidem prudenter ac honeſtè, opus noſtræ redemptionis, aliaque conſequenter propria ſolius filij Dei naturalis; ac proinde oportuit innotuiſſe ſibi propriori naturæ ſuam iſtam dignitatem. ac indiuiduationem; innoteſcere verò non potuit niſi per viſionem Dei; quia ea notitia continet in ſe notitiam myſterij Trinitatis, quod innoteſcere non poteſt, niſi vel per fidem, quæ in Chriſto non aderat; vel per viſionem Dei, quæ aderat. Quartò. In omni opere morali oportet attendere ad primam regulam morum, quæ eſt vltimus finis, & vnumquemque diuerſimodè regulat, ac dirigit iuxta gradum perfectionis ſuæ ſubſtantialis; ex quo videlicet pendet decentia, ac dedecētia ſingularum operationum, & modi operandi reſpectu cuiuſque. Oportet igitur attendere ad gradum propriæ perfectionis ſubſtantialis. Ad hoc autem non potuit Chriſtus attendere, niſi per viſionem Dei, vt modò concluſum eſt. Quintò omnis cognitio de Deo diſtincta à fide, & minùs perfecta, quàm ipſa fides, demptâ ſolâ viſione

Dei,

Dei, à qua exceditur, vt dictum eſt quæſt. 24. de Virtut. theol. Ergo ſi Chriſti operationes non direxiſſet viſio Dei, minùs perfectà directione vſus ipſe fuiſſet, quàm puri homines viatores, qui fide reguntur, quod eſt inconueniens. Ob hæc igitur omnia operationes Chriſti, præſertim morales, non potuerunt eſſe propriæ viatoris ex parte principij.

At ex parte obiecti plures eiuſdem operationes fuerunt propriæ viatoris. Quia ex amore Dei, & ſupremæ perfectionis plures moleſtias, pluraque paſſus eſt incommoda, partim à ſe ſuſcepta, partim ab alijs illata. Atque per huiuſmodi paſſibilitatem, cuius eſt expers, qui eſt purè beatus, conſtituitur, vt alibi pluribus confirmatum eſt, ſtatus viatoris ad meritū requiſitus ex Tridentino vbi ſuprà; ex Apoſtolo pluribus in locis, & ex indubitato omnium Theologorum conſenſu. Quia verò dictum eſt quæſtione præcedenti, ſolas operationes victrices eiuſmodi difficultatum, & incommodorum meritorias apud Deum eſſe poſſe, concluditur Chriſtum ſolummodò mereri potuiſſe per operationes proprias viatoris ex parte obiecti, quæ ſimul eſſent propriæ cōprehenſoris ac beati ex parte principij; abſolutè tamen dicerentur propriæ viatoris, ob rationem iam datam; & quia nec ex parte principij erant propriæ purè comprehēſoris ac beati; cum viſio purè beata, & nullatenus victrix, nullius moleſtiæ, aut incommodi tolerantiam proponat ex parte obiecti.

Ad 1. & 2. Bonitas finis eſt maior bonitate mediorum, tametſi ex illo non reſultet aliud bonum, ex his reſultet. Operationes autem beatificæ habent rationem finis, &

meritoriæ rationem medij. Quare illæ ſunt abſolutè meliores, magis placentes Deo, magiſque æſtimabiles habenti, quàm iſtæ. Sed quia quæ ſunt purè beatificæ, non ſunt pugnaces & victrices difficultatum, non poſſunt terminare complacentiam diuinam compenſatiuam ac præmiatiuam; ſicuti terminant, quæ non ſunt purè beatificæ.

Ad 3. Opus eſſe proprium comprehenſoris ex parte principij, auget potiùs, quam minuat rationem meriti, ſi ſimul adſit conditio viatoris ex parte obiecti; quia eo ipſo perfertur ex amore honeſti moleſtia incōmodi temporalis cum minori indigentia illam perferendi, maiorique proinde cum facilitate eandem vitandi, & cum perfectiori cognitione extremorum, circa quæ verſatur libertas. Vnde opera Chriſti victricia difficultatum temporalium, fuerunt ſpecialiter meritoria in ſummo gradu propter ſummam perfectionem viſionis, beatificæ illa dirigentis.

Ad 4. Deus nemini imponit onera, aut inducit limitationem in progreſſu bonorum abſque neceſſitate. Quare ſtatus viatoris requiſitus de facto in nobis ad merendum, & acquirendum præmia eo ipſo agnoſcendus eſt ad eum effectum neceſſarius ex natura rei; Immò nec de potentia Dei abſoluta fieri poteſt, vt in iſta meriti conditione diſpenſetur. Quia ſeclusà iacturà commodi temporalis, eiuſdemque contemptu libero & arduo ex amore Dei, quod eſſentialiter includitur in ſtatu viatoris, vt dictum; eſt eo ipſo excluditur omnis materia, omniſque titulus compenſationis, & retributionis diuinæ, vt patet ex quæſtione præcedenti.

Ad 5. Patet diſcrimen ex dictis; cùm ope-

operationes purè gaudioſæ, ac iucundæ ſint vndequaque propriæ beati; pugnaces verò, & victrices difficultatum, & incommodorũ temporalium ſint propriæ viatoris etiam in Chriſto; vtpote eliciente aliquos actus neceſſariò, & alios liberè; & rurſus aliquos abſque vlla moleſtia & difficultate, alios cum illa; ac proinde non vtente ad ſingulos quoſuis actus omni ſuâ actiuitate, omnique ſuâ ad agendum circa quælibet obiecta diſpoſitione.

QVÆSTIO XL.

Vtrum Chriſtus aliquid ſibi meruerit?

VIDETVR nihil ſibi meruiſſe. 1. Quia nemo meretur quod ſibi eſt debitum independenter ab omni opere meritorio. Sed Chriſto erat debitum omne bonum ſibi congruens debito independenti ab omni opere meritorio præciſè ratione gratiæ vnionis. Ergò Chriſtus nullum bonum meruit ſibi congruens. Quod autem ipſi non congruebat præmium eſſe non poterat.

2. Cui debetur, & confertur ſine merito antecedens, conſequens etiam debetur, & confertur ſine merito. Chriſto autem debita erat, & collata eſt gloria ſubſtantialis animæ in ſummo gradu ſine merito; atque ad eam gloriam neceſſariò conſequitur in gradu proportionali gloria corporis, & quæuis alia gloria accidentalis, vt habetur ex Auguſtino ep. 56. paulò ante medium

dium. Ergò gloria etiam corporis, & quælibet alia gloria accidentalis debita fuit, & collata eſt Chriſto ſine merito; ac proinde nihil ſuperfuit, quod per meritum obtineret.

3. Principium meriti non cadit ſub meritum; ac proinde nec illa, cum quibus tale principium eſſentialiter connectitur. Sed viſio beata fuit principium omnis meriti in Chriſto, vt dictum eſt quæſtione præcedenti; eadémque fuit eſſentialiter connexa cum omnibus bonis, quæ pro quauis temporis differentia ipſi obtigère; ſiquidem ea omnia videbantur per illam vt exiſtentia, vt dictum eſt quæſt. 28. Ergò nec viſionem beatam, nec vllum aliud ſuum bonum meruit Chriſtus.

R. Negari nullo pacto poteſt Chriſtum ſibi aliquid meruiſſe. Meruit enim gloriam ſui corporis, ſuique nominis exaltationem, quales de facto habuit. De gloria corporis conſtat ex Lucæ 24. 26. vbi ait Chriſtus de ſe ipſo. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* ratione corporis; nempe ad gloriam animæ iam intrauerat ante paſſionem: Ex ad Hebr. 29. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Conſtat rurſus de nominis exaltatione ex 2. ad Philipp. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genufſlectatur.* Idem patet ex Ioan. 17. & Apoc. 5.22. exque alijs locis.

Verum oportet exponere cur hæc ſolummodo duo; & quatenus hæc eadem expedierit, vt mereretur Chriſtus. Ex vna parte contingentia beatitudinis ſubſtantialis eſt magnum quoddam malum; nec periculum illà carendi poteſt vllà cuiuſquam boni ſpe

ita

ita compenſari, vt poſſit prudenter eligi ſpes, & poteſtas obtinendi aliquod bonum præ ſecuritate, & neceſſitate habendi beatitudinem. Quia ergò debebatur Chriſto ratione filiationis naturalis Dei bonum maximè æſtimabile, ac eligibile, debuit dari beatitudo ſubſtantialis independenter à merito, quia quod dependet propriè à merito ſubeſt contingentiæ, & poteſt non haberi; cum ſit de ratione meriti poſſe liberè omitti; ac proinde poſſe non haberi eius præmium. Immò beatitudo ſubſtantialis non poteſt dari in præmium niſi carenti illa per aliquod inſtans, quæ ipſa carentia eſt malum præponderans cuilibet alteri bono diſtincto a beatitudine, & cuiuis bonæ circumſtantiæ eiuſdem. Ergò non oportuit, nec fieri potuit ex natura rei, vt beatitudinem quoad ſubſtātiam haberet Chriſtus per meritum.

Ex alia parte habere aliquid per ſe ipsū eſt nobilius, quàm habere purè ab alio; vt traditur à Philoſopho 8. Phyſ. textu 39. Id autem ab vnaquaque natura creata habetur maximè per ſe ipſam, quod habetur per meritum proprium; cum meritum ſit actus liber, de cuius ratione eſt, vt ſit maximè ab intrinſeco, vtque maximè omnium attribuatur habenti tanquam principio & cauſæ habendi tam ipſum actū, quàm præmium, quod vi eius inducitur. Præterea meritum eſt operatio pugnax, & victrix; & præmium, quod illi retribuitur, habet rationem coronæ, vt apparet ex duplici quæſtione præcedenti. Vincere autem, & triumphaliter coronari eſt quid ſpecialiter nobile ac glorioſum. Ob eandem igitur rationem, quòd Chriſto nullus ſit negandus gradus excellentiæ, nobilitatis, & glo-

riæ, cuius ſit capax natura humana, niſi ſit incompoſſibilis cum alio maiori eiuſdem bono concedendum omninò eſt Chriſtum potuiſſe habere per meritum, & credendū de facto ſic habuiſſe aliquod ſuum bonum, cuius contingentia, & poſſibilitas eodem carendi non tantum noceret, quantum prodeſſet illud ipſum habere nobiliter, ac glorioſè per meritum; & cuius ſic habendi ſpes, ac libera facultas pluris æſtimaretur, quàm oppoſita vel neceſſitas, ac phyſica certitudo, vel impoſſibilitas. Dictum porrò eſt eiuſmodi bonum non eſſe reſpectu Chriſti propriam beatitudinem ſubſtantialē animæ. Quia verò ad iſtam beatitudinem neceſſariò conſequitur ex natura rei tum beatitudo accidentalis æterna corporis ſufficiens ad ſatietatem, & ſtatum abſolutè iucundum potentiarum omnium ſenſitiuarum, tum clarum beati nomen coniunctum cum eius notitia, laude, ac veneratione congruenti apud alios: neque quæ ſic independenter à merito debentur, per totam æternitatem; poſſunt habere rationem præmij æterni propriè ac ſtrictè talis, id eſt bonî nunquam per totam æternitatem obtinendi, ſi omittatur, vti poteſt omitti pro libito, opus meritorium; concluditur aliquod præterea aliud bonum ſupereſſe, quod Chriſtus propriè ac ſtrictè mereri poſſet, & non niſi per meritum habere poſſet.

Tale bonum eſt reſpectu Chriſti illud ſolum, quod eſt intrinſecè connexum cum bono aliorum dependenti à meritis ipſius; nec conſequibili ex natura rei, niſi per eadem merita, ideſt, cum remiſſione peccatorum, & vniuerſali bonorum gratiæ, & gloriæ conceſſione. Ex quo enim Chriſtus hæc

no-

nobis obtinuit per ſua merita, redundauit in ipſum, tum ſpecialiter celebre nomen Redemptoris, Saluatoris, ac Glorificatoris; tum ſpeciali s in corpore pulchritudo, propter veſtigia vulnerum, pro nobis acceptorum, diuinitùs illuſtrata, & valentia ſpecialiter ad ſe trahere, ac delectare reliquos omnes beatos intentos ad ea velut ad characteres principij gloriæ, quâ potiuntur; quorum neutrum independenter à meritis Chriſtus habere potuiſſet; quia ea bona noſtra, cum quibus connectuntur, non niſi per illa habere potuit. Iſtam igitur tãtũmodò ſpecialẽ tum nominis exaltationẽ, tum gloriã corporis Chriſtus ſibi propriè ac ſtrictè meruit, neutram vnquã habiturus, ſi mereri noluiſſet. Cætera bona, præſertim quæ abſoluto tempore merendi obtinuit, vt impaſſibilitas, reſurrectio, aſcenſio &c. Fuerunt præmia meritorum ipſius, latiori quadam præmij, & meriti vſurpatione, quatenus, tametſi conferenda fuiſſent vt pura hæreditas præcisè ratione vnionis hypoſtaticæ, & filiationis Dei naturalis; data tamen ſunt de facto etiam propter merita, & vt corona, duplicatis titulis collationis ex ſuppoſitione exiſtentiæ meritorum ob alios præterea fines vtilium abſolutè, ac neceſſariorum.

Ad 1. Conſtat ex dictis eſſe bonũ quoddam non congruens Chriſto, nec debitum niſi vt mereari; quodque proinde non neceſſariò conſequeretur ad beatitudinem ſubſtantialem ipſius, & conſequenter poſſet ipsâ præſuppoſitâ obtineri per meritum propriè ac ſtrictè tale. Vnde etiam patet ad 2.

Ad 3. Chriſtus non cognouit determinatè

natè vt exiſtentes ſuos actus liberos, & effectus pendentes ex illis, per viſionem Dei ſibi neceſſariam datam per modum puræ hæreditatis, & directiuam eorundem actuum liberorum; ſed per alios actus viſionis Dei pertinentes ad gloriam accidentalem, habentes rationem coronæ, & exiſtentes poſteriùs naturà, quàm exiſtant ſingula opera cognita per ipſos in Verbo. Iſtam ſolam actuum viſionis Dei diſtinctionem, & ordinationem, cui nihil contrarium dictum eſt quæſtione illà 28. conuincit obiectio.

QVÆSTIO XLI.

Vtrum Christus aliis omnibus meruerit omnia dona gratiæ, & gloriæ?

VIDETVR non vſque adeò vniuerſaliter meruiſſe. 1 Quia nullum opus vi ſuâ meritoriâ poteſt inducere aliquod præmium pro tempore antecedenti ad ſuam exiſtētiam; Tum quia nulla cauſa præterquam finalis ſuam cauſalitatem exercet, antequā in ſe intrinſecè exiſtat: Tum quia præmium redditur vt corona victoriæ iam obtentæ, & promittitur vt eſca, ac ſtimulus ſeiuſdem obtinendæ; eſtque compenſatiuum obſequij iam præſtiti, & excitatiuum ad idem præſtandum: Atque neutri ex his muneris vllus relinquitur locus præexiſtente præmio

ante

ante meritum: Tum quia præmium habet rationem finis reſpectu operis meritorij, vt ſupra dictum eſt; atque fruſtrà adhibetur medium pro fine iam præexiſtente. Tum denique quia vis demeritoria peccati æquiparatur quodãmodo virtuti meritoriæ operum Chriſti; & nihilominùs non modo bonis, verùm neque malis puri hominis operibus vllum præmium, aut ſupplicium rependitur, aut rependi valet pro tempore antecedenti ad exiſtentiam ipſorum. Ergò Chriſtus nullum gratiæ, aut gloriæ donum ex ijs, quæ ante ipſum phyſicè extitère, mereri potuit.

2. Chriſtus non eſt mortuus pro Angelis; vtpote nunquam mortuis; nec eoſdem manutenuit, quominùs deciderent in peccatum, aut condemnationem æternam; quorum alterum viget ex 2. ad Corinth. 5. 14. *Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; Ergò omnes mortui ſunt.* Alterum ex 2. ad Hebr. 16. *Nunquam Angelos apprehendit Deus, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Conſtat deinde ex teſtimonijs indicatis quæſt. 13. initio. Chriſtum veniſſe propter peccatores, & in remedium peccati; nec vllibi in ſacris litteris inſinuatur veniſſe propter Angelos, qui nunquam peccauerunt. Ergò dona gratiæ, & gloriæ data Angelis non fuerunt ex meritis Chriſti. Ergò non fuerunt ex iiſdem omnia abſolutè dona gratiæ, & gloriæ.

3. Neque vlli reprobo meruit Chriſtus gloriam, aut perſeuerantiam finalem; neq. vlli peccanti gratiam efficacem; neque paruulis, vel adultis decedentibus abſque baptiſmo, & abſque propoſitione fidei, & abſque vtriuſuis proxima poteſtate, aliquod donum gratiæ; ſiquidem meritum Chriſti

eſt

eſt inſtruſtrabile, nec habet rationem meriti reſpectu eorum, reſpectu quorum non habet rationem vtilis, ac expetibilis. Ergò non eſt mortuus pro omnibus vniuerſaliter; neque omnibus abſque vlla exceptione, ſed ſolis prædeſtinatis meruit dona gratiæ, & gloriæ.

4. Quod quis cōſequitur meritis proprijs, non habet ex merito alterius; & præterea meritum Chriſti eſſet inſufficiens, & imperfectum, ſi non valeret inducere ſe ſolo omnia, pro quibus obtinendis eſſet exhibitum. Omnes autem adulti conſequuntur gloriam proprijs meritis, nec ſine ipſis eam obtinere poſſunt, iuxta illud Apoſtoli: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*: & illud Auguſtini: *Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te*. Ergò nulli adulto meruit Chriſtus gloriam.

5. Vis meritoria operum Chriſti, vel nulla fuit, vel certè fuit valde tenuis; quia illa exhibuit cum neceſſitate morali exhibendi, vt ſupra habitum eſt; Atque neceſſitas moralis auferet operi æſtimabilitatem, vel penitùs, vel maxima ex parte: Et præterea actus charitatis, qui præ cæteris eſt efficax ad merēdum, eſtq. reddita omnis meriti, fuit in Chriſto phyſice neceſſarius; vtpote ineuitabiliter conſequens ad viſionē Dei. Ergò Chriſtus non potuit habere vniuerſalitatem merendi omnia dona reſpectu omnium.

6. Non poteſt eſſe præmium reſpectu alicuius, quod eidem debetur ex natura rei præciſè ratione ſuæ exiſtentiæ independenter ab omni opere meritorio. Debebatur autem Chriſto præciſè ratione ſuæ exiſtentiæ exiſtentia donorum ſupernaturaliū, non ſolum in ſe, ſed etiā in alijs. Quia inter

Chri-

Chriſtum Domiuum ſecundum ſe præciſè & eleuationem hominum per dona ſupernaturalia ipſis intrinſecè inhærentia datur mutua connexio ex natura rei, vt dictum eſt quæſt. 6.

R. Vis meritoria operum Chriſti Domini non incongruè æquiparatur actiuitati phyſicæ omnipotentiæ Diuinæ; quia vtrobique adeſt eadem diuinitatis infinitas, quæ vti eſt infinitè ſyncategorematicè participabilis per ſuos effectus; ita eſt infinitè dignificatiua operum difficilium, & humilium obſequiorum Dei, quorum eſt ſpeciale, immediatum comprincipium ſimul cum natura creata. Quare ſicut Deus quatenus omnipotens prima rerum principia effecit ſe ſolo per puram creationē; ac deinde ſimul cum ijſdem primis principijs reliquos effectus & vlteriores effectuum effectus propagat admiſſa in conſortium ſuæ omnipotentis actiuitatis cooperatione cauſarum ſecundarum, partim quoad ſolam diſpoſitionē, partim etiam quoad formam à præiacente diſpoſitione exactam; atque hæc omnia præſtat intendens, quantum eſt ex ſe, voluntate antecedenti, vt omnes cauſæ ſecūdæ aſſequanrur omnes effectus in ipſis contentos, & ab ijſdem intrinſecè exactos; nec non omnem cumulatè perfectionem omnibus & ſingulis eiuſmodi effectibus connaturalem permittens nihilominùs, ne aliquæ cauſæ ſecundæ aliquos tales effectus, & aliquas ſingulorum effectuum perfectiones connaturales aſſequantur propter impedimenta ſubnaſcentia, vel ex mutua earundem cauſarum ſecundarum phyſica cōtrarietate, & pugna, vel ex libera ſubſtantiarum rationalium voluntate; adeòque efficaci er, & abſolutè volens voluntate con-

conſequenti eos tantùm effectus, eaſque ſolas ſingulorum effectuum perfectiones connaturales, quibus nullum impedimentũ efficax ex rebus ipſis creatis obiectum eſſet: Ita etiam Chriſtus Dominus, quatenus Redemptor, Saluator, & Glorificator, atque (ſi ita licet vocem quoque accommodare) quatenus Omnimerens prima ſalutis ac vitæ æternæ ſemina ſolis ſuis meritis iacit, quaſi per creationẽ, in nobis ſine nobis; hoc est, nõdũ quidquã eorũ nobis vllo modo merẽtibus; Deinde verò nobiſcum ex præhabita pura gratia iam merentibus, ſiue imperfectè & de congruo; ſiue perfectè & de cõdigno, reliquos gratiæ & gloriæ fructus, & vlteriores fructuum fructus colligit admiſsã in conſortium infinitæ ſuæ omnimerentiæ cooperatione noſtrorum meritorum vel diſponentium ad infuſionem gratiæ sãctificantis; vel merentium de condigno augmentum eiuſdem; Atque hæc omnia exhibet volens, quantum eſt ex ſe, & merens quoad ſufficientiam omnibus & ſingulis indiſcriminatim remiſſionem peccatorum, vel innocentiam, & vitam æternam, omniáque media ad iſtos duos fines neceſſaria; ſimul tamen permittens, vt varia interponantur impedimenta partim purè naturalia, partim voluntaria, & materialiter, aut formaliter libera, quibus reſpectu plurium impediatur propoſitio fidei, & Sacramentorum adminiſtratio, & tum proxima vtriuſque poſſibilitas, tum felix vſque ad finem progreſſus; tametſi prædicatio euangelica, & Sacramẽta ita ſint ex meritis Chriſti inſtituta, vt omnes, & ſingulos indiſcriminatim reſpiciant, quantum eſt ex ſe, habeantque virtutem eã ſe vniuerſalem, vt iiſdem omnibus, & ſingulis prodeſſe poſſint, iuxta illud

illud Chriſti apud Matthæum 28. 19. *Docete omnes gentes baptizantes &c.* & Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euãgelium omni creaturæ*. Eademque eſt proportionalis ratio de vniuerſalitate mediorũ conducẽtium ad vitam æternam ante Chriſti aduentum. Hoc igitur pacto meritum Chriſti habet vniuerſalitatem quoad omnia dona gratiæ & gloriæ, & omnes eorundem capaces; licet non omnes ea de facto conſequantur, ſed alij plus, alij minus, alij nihil.

Et quidem, nullum hominum aſſequi remiſſionem peccatorum, gratiam, aut gloriã, aut aliquid ad illas poſitiuè conducens, niſi per merita Chriſti, & quotquot aliquid horum habent, habere per Chriſtum certum omnino eſt, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 15. 22. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur* & 5. ad Rom. 17. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*. Certum rurſus eſt Chriſtum non pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe, ſed etiam pro alijs præter prædeſtinatos. Ita expreſsè definiente, & oppoſitum declarante hæreticum, & vt tale damnante Innocentio X. in Conſtitutione nuper edita, quæ incipit: *Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus: Auguſtinus Cornelij Ianſenij &c.* in cenſura V. propoſitionis. Id ipsũ conſtat ex teſtimonijs modò citatis, & ex illo ad Hebr. 2. 19. *Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*, exque alijs eiuſmodi permultis. Certum denique eſt non eadem voluntate pro omnibus indiſcriminatim hominibus mortuum eſſe Chriſtum; nec eius merita æqualiter, aut eodem modo, & in

eodem

eodem genere cunctis prodeſſe abſque vlla inter alios, atque alios diſcretione. Pro quibuſdam enim, ſcilicet pro omnibus, & ſolis prædeſtinatis meruit, voluitque mereri Chriſtus remiſſionem peccatorum omnium, gratiam, & gloriam quoad efficaciam; pro alijs verò quoad ſolam ſufficientiam, vel proximam, vel remotam, modo explicato in diſcurſu ſuperiori. Iſtud diſcrimen inſinuat Apoſtolus 1. ad Tim 4. 10 dicens: *Qui eſt Saluator omnium; maximè autem fidelium*: & exitus ipſe abundè demonſtrat, aliorum de facto pereuntium, aliorum conſequentiū vitam æternam. Neç enim exitus hominum potuit eſſe diuerſus, quin idem proportionaliter diſcrimen præcederet in voluntate Dei, & Chriſti; atque in huius meritis includentibus in ſe intrinſecè eam reſpectu diuerſorum diuerſam voluntatem, diuerſamque intentionem, & applicationem. Quà diſtinctione facilè, ac legitimè in concordiam reuocantur plura teſtimonia, præſertim Auguſtini, nec non & aliorum, quæ aliàs videntur pugnare inter ſe, & cum ijs, quæ à nobis proximè dicta ſunt.

Dubium iam ſupereſt de meritò gratiæ, & gloriæ Angelorum; nec non gratiæ primi hominis ante peccatum, de quo ſunt opiniones contrariæ, & plures pro vtraque parte, magnique Authores. Videtur verò probabilior quæ affirmat Angelos habuiſſe dona gratiæ, & bonos etiam gloriam ex meritis Chriſti; quia S. Thomas quæſt. 19. art. 4. & quæſt. 48. art. 1. alijque communiter probant, & bene, Chriſtum potuiſſe pro omnibus hominibus mereri, ac de facto meruiſſe, quia eſt caput omnium hominum, ideòque opus eius potuit ſingulis prodeſſe, veluti proprium cuiuſque, quatenùs membra in

capite

capite continentur, & vnum quoddam myſticum, ac morale cum ipſo conſtituunt; Quà itidem ratione peccatum Adæ omnibus eius poſteris, quorum erat caput, nocere potuit. Chriſtus autem non ſolum hominum, ſed etiam Angelorum eſt caput ex 2. ad Coloſſ. 10. *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*: & 1. ad Epheſ. 22 *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*: nempe viſibilem, ac militantem, quæ eſt hominum; & inuiſibilem, ac triumphantem, quæ ſimul Angelos comprehendit, quæ eſt communis D. Thomæ, & aliorum expoſitio. De vtraque verò Eccleſia immediatè ſubiungitur. *Quæ eſt corpus ipſius*: ac proinde ſpiritus, ac motus vitales ex ſuo capite participat. Deinde Apoſtolus ad Coloſſ. 1. cum præmiſiſſet de Chriſto vt homine verſu 18. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis*; ſubiungit verſu 20. de eodem vt Deo, deque æterno Patre: *Pacificans* (quod fit donis gratiæ, & gloriæ) *per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*; id eſt, homines, & Angelos, vt intelligunt D. Thomas ibi, & alij communiter. Præterea ex illo ad Epheſ. 1. 3. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto*: conſtat homines nullam habere benedictionem ſpiritualem, id eſt, nullum gratiæ donum, nihilque conducens ad gloriam cæleſtem, niſi ex meritis Chriſti. Vna autem hominum benedictio ſpiritualis eſt, quòd Angeli acceperint dona gratiæ, & gloriæ: hinc enim in homines redundauit cuſtodia, & directio ſupernaturalis Angelorum, dum ſunt in via, & augmentum gloriæ accidentalis in patria ex eorundem conſortio. Atque indidem inſuper habent exemplum efficax victoriæ bonorum Ange-

lorum

lorum in primo illo mundi conflictu. Ergo quòd Angeli acceperint dona gratiæ, perſeuerantiæ, & gloriæ, eſt ex meritis Chriſti. Denique hoc cedit in maiorem Chriſti gloriã, ac decus, nec excedit limites valoris operum ipſius, & conſonat illi parti, in quam nos aliquantò magis inclinauimus ſupra circa quæſtionem de aduentu Chriſti Adamo non peccante. Ergò hæc opinio eſt præferenda. Iam de gratia Adami ante peccatum idem à pari, immo à fortiori dicendum eſt.

Ad 1. Quod dicit Auguſtinus in de moribus Eccleſiæ: *Præmium non poteſt præcedere meritum, & priùs homini darì, quàm dignus eſt:* verificatur de opere meritorio, quod ſignificatur per formam ſucceſſiuè durantem, & affixam tempori determinato; non ſecus ac opus, cui coëxiſtit, & adiungitur per durationem eſſentialiter limitatã ad tale inſtans; Quia tale meritum nullà ſui parte exiſtit pro tempore antecedenti ad exiſtentiam actùs, vnde nihil habet, quo pro eodem tempore poſſit aliquid exigere, ac inducere vt præmium; eademque eſt ratio de demerito, ſeu peccato & ſupplicio. At opus meritorium Chriſti ſignificatur per formam, ſeu quaſi formam eſſentialiter æternam, & æquè præſentem omnibus temporis differentijs per durationem indiuiſibilem. Vnde tale meritum poteſt inducere præmium pro quauis temporis differentia etiã antecedenti ad opus; quia etiam pro illa exiſtit parte ſui nobiliore, valente pro tunc, non minùs quam poſtea, exigere, ac inducere præmium debitum iam ſibi ratione operis extituri poſtea dependenter ab eadem, ideòque habituri tunc dignitatem pro tota æternitate. Rurſus præmium aliud eſt,

aliud

quod habet rationem puri finis, in quo vltimo ſiſtit intentio lucratiua operantis: aliud eſt, quod ſimul habet rationem medij reſpectu præmij vlterioris. Purus finis eſt reſpectu cuiuſque propria beatitudo; finis intermedius, qui ſimul eſt medium, eſt quiduis aliud conferens ad eandem beatitudinem. Purus finis non poteſt mouere, ac ſtimulare ad opus extiturum poſt ſui conſecutionem; quia nemo mouetur ad opus poſtquam eſt conſtitutus in vltimo termino ſuæ intentionis quoad tale opus. At finis inter medius, qui ſimul eſt medium ad vlteriorem finem, poteſt, & quidem efficaciùs, poſt ſui conſecutionem mouere, ac ſtimulare ad opus ſubſequens, dum non habetur vlterior ille finis. Quia quò pauciora alicui ſuperſunt, vt perueniat ad vltimum finem ſuæ intentionis, eò auidiùs ad illum mouetur, & difficiliùs, magiſque dolenter ab eo ſeu recedit, ſeu excidit. Nec perperam adhibetur medium pro fine iam obtento, ſi indiuiſim ſimul cum eodem fine adhuc ſit vtile ad finē vlteriorem nondum obtentum. Quare compenſatio præmiatiua poteſt hoc modo eſſe antecedens, dilato poſtremo eius complemento vt adijciatur poſt opus. Chriſto autem non eſt data in præmium gloria hominum præcedentium ante abſolutum curſum meritorum, ſed ſolùm remiſſio peccatorum, dona gratiæ, & perſeuerantia finalis, quæ habent rationem medij reſpectu eiuſdem gloriæ. Et licet Angelis collata ſit etiam gloria tempore præcedenti ad merita Chriſti; tamen ea ipſa gloria erat vlterius ordinata ad reparationem, & gloriam hominum commiſſorum directioni & cuſtodiæ bonorum Angelorum ex meritis Chriſti, vt dictum eſt. Venit verò, ac meruit Chriſtus

præcipuè propter homines, vt conſtat ex quæſt. 13.

Ad 2. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*: vt dicitur ad Rom. 15. 4. Nempe Angelis innoteſcunt bona ſua independenter à ſcripturis. Quare oportuit in illis reuelari diſtinctiùs, & quaſi vnicè Chriſtum, & eius merita quatenus proſunt hominibus. Sed non propterea negatur profuiſſe Angelis; quin hoc etiam obiter ac indirectè inſinuatur, vt vidimus. Deinde non oportuiſſet mori Chriſtum, nec mortuus fuiſſet, ſi homines non fuiſſent rei mortis ratione peccati, vt liquet ex D. Thoma quatuor primis articulis quæſt. 46. Vnde mors Chriſti pro omnibus vniformiter hominibus quoad ſufficientiam probat mortem omnium hominum per peccatum; fuit tamen ex conſequenti vtilis etiam Angelis, tametſi non mortuis, ideoque non ſaluandis per mortem Chriſti, ſi aliunde ea non fuiſſet neceſſaria. Iam Deum non apprehendiſſe Angelos tantùm ſignificat non fuiſſe aſſumptam naturam Angelicam, quod non facit ad rem.

Ad 3. Conſtat ex dictis, quo pacto Chriſtus meruerit etiam reprobis cuiuſcunque conditionis. Meritum porrò Chriſti fuit infruſtrabile tantùm quoad ea, quæ efficaciter intendit, quatenùs efficaciter intenta; idemque fuit æſtimabile, ac appetibile etiã à nihil accipientibus in ſe intrinſecè, quatenùs incluſis in tota hominum collectione, & expoſitis ſpei fundatæ in natura mediorum ſalutis indiſcriminatim vniuerſaliũ ex ſe, vt expoſitum eſt.

Ad 4. Non repugnat idem haberi ex me-

ritis proprijs, & alienis inuicem coniunctis ac cooperantibus. Nec meritũ Chriſti indiget cooperatione noſtri meriti, & diſpoſitionis ob inſufficientiam in actu primo ex parte ſua, ſed propter voluntatem ſuam admittendi nos ad cooperandum ſibi, & ob multiplicem conuenientiam, vt ex nobis aliquid exigeretur; ſicut accidit proportionaliter in omnipotentia Dei.

Ad 5. Neceſſitas moralis Chriſti ad omnia & ſingula quæ præſtitit, Non erat fundata in imperfectione potentiæ, deliberationis, & malæ diſpoſitionis actualis, vel habitualis; ſed in omni oppoſita perfectione. Neceſſitas autem moralis proueniens ex perfectione operantis ſupplet defectum libertatis præſtantiâ operis quoad ſpeciem, & intenſionem, ideòque non minuit abſolutè rationem meriti. Iam actus charitatis, licet fuerit omninò neceſſarius in Chriſto quoad dilectionem bonitatis diuinæ ſecundum ſe; fuit tamen liber quoad paſſionem mortis, & aliorum incommodorum propter Deum. Nec enim repugnat eundem actum eſſe neceſſarium, & liberum, reſpectu diuerſorum obiectorum. Vel dicatur fuiſſe in Chriſto plures actus charitatis.

Ad 6. Licet ex ſuppoſitione exiſtentiæ Chriſti eſſet neceſſe aliquos homines eleuari donis ſupernaturalibus ad eius agnitionem, cultum, diſciplinam, & communicationem congruentem: non tamen neceſſe erat hos potiùs determinatè, quàm illos, aut omnes vniuerſaliter homines ſic eleuari inſtitutis, prædicatione Euangelij, & ſacramentis, cum virtute, vt expoſitum eſt, inducendi in quoſlibet indiſcriminatim, & abundanter abſque limite, gra-

tiam, & gloriam; &, quod erat difficillimum, remiſſionem peccatorum. Potuit igitur mereri Chriſtus, ac meruit iſtius modi vniuerſalitatem. & abundantiam illimitatam donorum ſupernaturalium ſimul cum remiſſione peccatorum, & vnius cuiuſque præ cæteris electionem ad ea dona, quæ de facto conſequitur ratione ſpecialis erga ipſum dilectionis ipſius Chriſti, & applicationis meritorum eius factæ per talem dilectionem.

QVÆSTIO XLII.

Vtrum Chriſtus potuerit nihil prorſus mereri?

VIDETVR non potuiſſe. 1. Quia quidquid vellet Chriſtus circa obiecta creata, neceſſe erat, vt vellet honeſtè, ac liberè, atque in ſtatu gratiæ; & viatoris conſtitutus; quæ ſunt omnia ad meritum requiſita ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. Neque verò fieri potuit, vt eligeret actum inter omnes ſibi poſſibiles infimum; quia datur proceſſus in infinitum minoris ſemper perfectionis, & intenſionis actuum, iſque ipſi erat diſtinctè manifeſtus.

2. Anima Chriſti vnita ſeorſim Verbo pro priori naturæ elegit liberè vnionem ſui cum corpore paſſibili ac mortali; atque hæc ipſa electio fuit maximi meriti. Ergo non potuit non mereri Chriſtus ſaltem in ſenſu compoſito vitæ paſſibilis, ac mortalis, qualem egit de facto.

5. In omni opportunitate operandi erat neceſſitatus moraliter Chriſtus ad actum inter omnes poſſibiles optimum, vt dictum eſt ſuprà, eaque opportunitas operandi occurrit illi pænè infinities, nempe pro omnibus & ſingulis inſtantibus. Neceſſe autem eſt phyſicè ; id aliquando euenire, quod vſque adeò frequenter eſt moraliter neceſſarium, vt dictum eſt quæſtione 5. de Gratia. Ergo neceſſe phyſicè fuit Chriſtum aliquando elicere actum inter omnes poſſibiles optimum. Eſt verò de ratione huius actus, vt ſit meritorius, dum elicitur ab eo, qui abſolutè eſt capax merendi. Quo enim merebitur, ſi non mereatur actu inter omnes poſſibiles optimo?

R. Dictum eſt quæſt. 38. & 39. eſſe de conceptu operis meritorij contemptum, & tolerantiam liberam incommodi temporalis. Et dictum rurſus eſt potuiſſe Chriſtum, ſi libuiſſet, nullum prorſus pati incommodum temporale. Potuit ergo Chriſtus, ſi libuiſſet, nihil prorſus mereri. Nec ſine iſta nihil merendi poteſtate potuit habere poteſtatem aliquid merendi.

Ad 1. Ex contextu illius capitis 16. clarè apparet, eſſe præterea de ratione actus meritorij laborem, certamen, & victoriam incommodi temporalis. Deinde quæuis potentia actiua finita eſt concluſa intra determinatos limites ſupremi & infimi operis; & Chriſtus Dominus ſpecialiter erat ex ſe neceſſitatus ad tantam vt minimum determinatam perfectionem ſui actûs, quæ ipſum deceret, ideòque eſſet abſolutè excellens.

Ad 2. Omne meritum dependens ab vnione hypoſtatica tribuitur vbique in ſacris litteris Chriſto; nullumque proinde ſupereſt, quod ſeorſim eius animæ tribuatur. Deinde eſt præternaturale animæ, vt pro primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti operetur nondum vnita corpori, omninò independenter ab ea vnione; nec eſt dicendum pro libito, aduerſante præſertim inſinuatione ſacrarum ſcripturarum. Denique ſi ſoli animæ fuit eo modo libera circumſtantia paſſibilitatis, ab eadem ſola potuit illa reijci; atque ita impediri abſolutè omne meritum, licet non in ſenſu compoſito paſſibilitatis.

Ad 3. Concepto ſub initium vitæ propoſito efficaci nullum vnquam incommodum patiendi pro nobis, impedita fuiſſet à Chriſto per totam vitam pronitas, ac poteſtas patiendi, ac merendi, retentâ neceſſitate morali ad actus de reliquo ſummè perfectos.

QVÆ-

QVÆSTIO XLIII.

Vtrum meritis Chriſti potuerit diuinitùs negari præmium?

VIDETVR potuiſſe 1. Quia non magis debetur præmiū meritis Chriſti, quàm debeatur ipſi Chriſto ſua conſeruatio; ſiquidem vtrumque debitum fundatur in eadem humanitatis, & actuum eius dignificatione per diuinitatem. Potuit autem negari diuinitùs Chriſto ſua conſeruatio: tum quia de facto mortuus eſt, atque adeò interrupta eſt eius conſeruatio: tum quia eadem ratione, quà liberè primò productus eſt, liberè itidem conſeruatur propter finitam, atque adeò contemptibilem reſpectu Dei bonitatem humanitatis, & vnionis hypoſtaticæ, non minùs poſtquam iam ſunt productæ, quàm ante productionem; & quia Deus nō magis indiget conſeruatione Chriſti poſt primam eius exiſtentiam, quàm indigeret primà eiuſdem productione; circa quam rationem videri poteſt quæſt. 4.

2. Merita Chriſti, non ſecus ac noſtra, ſunt dona Dei; nempè vtriſque æqualiter congruit, quod dicitur à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. ſub finem: *Tantam eſſe Dei erga omnes homines bonitatem, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona*. Nemo autem ex donis ſuis contrahit obligationem aliquam, nedum neceſſitatem omninò inſuperabilem aliquid aliud ſupererogandi independenter à noua ſpecialiter ſibi libera-

vol:n-

voluntate; ſed magis donatarius obligatur donanti. Ergò ſuppoſito merito tam Chriſti, quam noſtro, eſt abſolutè à Deo negabile omne præmium.

3. Eſt contra perfectionem dominij diuini non poſſe negare quoduis bonum ex qualibet ſuppoſitione diſtincta à ſua illud conferendi voluntate; aut, quod eòdem recidit, non poſſe ſeiungere voluntatem conferendi rem quamlibet ſuam à voluntate conferendi rem aliam ſuam. Siquidem huiuſmodi libera facultas ineſt creato etiam duarum rerum dominio. Ergò potuit Deus abſolutè negare Chriſto præmium conceſſis meritis.

4. Præcipuum præmium meritorum Chriſti ſunt remiſſio noſtrorum peccatorum, & noſtra æterna ſalus; Hæc autem impediri poſſunt ab humana voluntate. Ergò multò magis à diuina, quæ eſt potentior.

R. Cum D. Anſelmo lib. 2. Cur Deus homo. cap. 19. verſus finem, D. Bonauentura, Dominico Soto, Gregorio de Valentia, Aluarez, Lorca: Meritis Chriſti nullo prorſus modo negari potuiſſe vllum præmium ipſis connaturale, & efficaciter intentum à Chriſto, non tantùm propter intrinſecam eorum connexionem intentionalem cum promiſſionibus diuinis, quæ meritis quoque puri hominis ſupernaturalibus communis eſt; ſed etiam ratione ſpecialis ſuæ perfectionis, & valoris ſimpliciter infiniti ipſis intrinſeci independenter à peculiari explicita promiſſione diuina. Suadetur primò. Quia repugnat methaphyſicè toti cæterorum hominum collectioni, omnibuſque meritis purè creatis, ac demeritis nullum præmium, aut ſupplicium retribui, vt dictum eſt cum Chryſoſto-

ſoſtomo, & alijs in quæſtionibus de neceſſitate Dei ad optimum: Vis autem meritoria, & dignitas cuiuſuis operis Chriſti eſt incomparab iliter maior, quàm quæ ineſt toti illi cumulo ſimul ſumpto, cum altera ſit infinita, & altera finita. Deinde operibus Chriſti meritorijs, attentà eorum perfectione, & dignitate operantis, debetur ſaltem ex natura rei præmium ab ipſo intentum; & nihil debitum ex natura rei poteſt diuinitùs negari, niſi factà compenſatione vt minimùm æquali per aliud bonum intrinſecè incompoſſibile cum negato. Redēptioni autem vniuerſali, gratiæ, & gloriæ debitis Chriſto ratione meritorum nihil eſt æquale, & ſimul intrinſecè incompoſſibile cum ijſdem. Multò verò minùs poteſt aliquid eſſe æquale fruſtrationi exigentiæ determinatæ fundatæ in dignitate infinita filij naturalis Dei. Denique non minùs diſſonat ex apprehenſione terminorum, hominem Deum à Deo impelli ad operationes laborioſas, & tolerantiam incommodorum abſque fructu, & omninò fruſtrà; quàm fieri à Deo miracula in confirmationem erroris, aliàque eiuſmodi. Ergò id cenſeri debet repugnare, non ſecùs ac iſta.

Ad 1. Probabilius videtur repugnare, vt humanitas ſemel aſſumpta à Verbo dimittatur aliquando etiam quoad animam; quia mediante animà aſſumitur corpus, & vnio ipſius cum corpore, vt dictum eſt quæſt. 22. ideòque mediante animà initur à Deo vera & propria amicitia cum hoc homine Chriſto, vt conſtat ex quæſt. 24. Eſt autem de ratione amicitiæ voluntas nunquam illam diſſoluendi, ſi non ſtet per alterum priùs diſſoluentem, aut merentem vt diſſoluatur, aut diſſolutio non ſit neceſ-

ſaria

ſaria ad maius aliquod, vel ſaltem æquale, bonum incompoſſibile ex ſe cum permanẽtia amicitiæ, Iam Chriſtus, cùm ſit impeccabilis, non poteſt velle diſſoluere amicitiã cum Deo, aut mereri eius diſſolutionem; Neque apparet aliquod aliud bonum ex ſe incompoſſibile cum conſeruatione talis ac tantæ amicitiæ, quod, ſeu cuius inchoatio eidem præponderet, aut etiam æquiualeat. Ergò ſuppoſitâ exiſtentiâ Chriſti per nullam potentiam negari ipſi poteſt æternitas à parte poſt ſuæ conſeruationis nunquam interruptæ ſaltem quoad animam, & eius vnionem cum Verbo; quia vtralibet deſtructâ diſſolueretur penitùs amicitia, quod repugnat; vtraque verò retentâ retinetur formaliter amicitia, licet diſſoluatur ad tempus vnio animæ cum corpore. Neque verò repugnat voluntatem Diuinam quoad aliqua duo eſſe eſſentialiter indiuiſibilẽ: ideòque dato vno alterum negari nullatenus poſſe propter eſſentialem vnius cum altero connexionem vel phyſicam, vel intentionalem, licet vtrumque coniunctim contemni, ac reijci poſſit abſolutè à Deo, cuius rei ſunt multa exempla. Deinde transmiſsâ corruptibilitate vnionis hypoſtaticæ, aderit mox ratio diſcriminis circa meritũ, & præmium.

Ad 2. Meritum eſt donum Dei, & quidem magnum, ob operationem Dei in illo; ſed ſimul eſt obſequium ex parte noſtra ob noſtram liberam cooperationem. Huiusmodi autem donum fundat ius ad aliud vlterius donum; & in Chriſto fundat illud vi ſimpliciter infinitâ: ideòque eſſentialiter infruſtrabile; eſto quoduis aliud donum Dei, quatenus eſt purum donum, eſſet abſolutè ſeparabile ab alio quouis vlteriori dono.

Ad

Ad 3. Non eſt contra perfectionem dominij diuini, non ipſi domino vtilis, ſed ſolis ſeruis, vt poſſit dare donum eſſentialiter fructiferum, ac fructificans accipienti, ideòque conferibile ſolà voluntate indiuiſim volente conferre fructum. Et tale donum eſt meritum ſaltem Chriſti.

Ad 4. Opera Chriſti habent quidem rationem beneficij reſpectu noſtri, ſed rationem meriti habent ſolum apud Deum, à quo debet rependi præmium. Vnde vt ſaluetur vis eorum meritoria omninò inſuperabilis. ſufficit ſi non impediantur a Deo, tametſi impediantur ab hominibus. Deinde quæ efficaciter intendit Chriſtus, ſeu quæ meruit etiam quoad efficaciam, neque ab hominibus impediri valent in ſenſu compoſito talis intentionis, ac meriti. Denique remiſſionem peccatorum, ac gloriam, & quæ ad illas neceſſaria ſunt, non poſſunt homines impedire niſi peccando, quod in Deum non cadit.

FINIS

INDEX

Rerum quæ in Quæſtionibus de myſterio Incarnationis Verbi diuini continentur.

A

Acceptio perſonarum vitioſa & indigna Deo quænam ſit? Quæſt. 10. pag. 75.
Actio productiua effectus diſtinguitur realiter ab eius vbicatione & duratione. q. 19. p. 170.
Actus diuini bonitas vnde petatur? q. 4. pag. 22.
Actus liberi diſtincti virtualiter intrinſecè non dantur in Deo. q. 15. p. 119.
Actus diuini à nulla re creata in vllo genere cauſari poſſunt. q. 15. p. 129.
Actus intellectus & voluntatis diuinæ ſunt omnino commenſurati veritati & bonitati diuinæ. q. 15. p. 124.
Actus quo Deus fertur in obiecta abſolutè neceſſaria, eſt virtualiter intrinſecè diſtinctus ab actu quo fertur in contingentia. q. 15. p. 124.
Actus meritorius apud Deum non eſt ſine victoria difficultatis. q. 38. p. 315. & 322.
Actus meritorius non meretur omnia connexa cum præmio. q. 18 p. 159.
Actus proprius viatoris aut beati quinam dicatur? q. 39. p. 319.

Actum vel omiſſionem eſſe peccaminoſam lethaliter aut venialiter quid ſit? q.32. pag.265.
Actus vitioſi nō ſunt illiciti poſitiuè reſpectu Dei, ſed impoſſibiles. q.32.p.273.
Admiratio in Chriſto qualis admitti debeat? q.31.p.256.
Æqualitas propria iuſtitiæ commutatiuæ in quo conſiſtat? q.12.p.98.
Æternitas & immenſitas diuinæ communicari non poſſunt humanitati Chriſti.q.27. pag.222.
Alteritas qualis requiratur ad diuerſitatem iurium? q.12.p.57.
Amicitia cum Deo & cum homine diſparem voluntatum conformitatem inducit q.34 p.188.
Amor diuinus eſt menſura bonitatis rerum. q.13 p.102.
Amor maximus cuiuſnam boni neceſſariò actiuus ſit? q.34.p.289.
Angelorum depreſſio infra naturam humanam nil eis nocuit q.3 p.17.
Angelorum gloria ordinata ad gratiam & gloriam hominum. q.41.p.337.
Angelorum gratia & gloria ex meritis Chriſti. q.41.p.334.
Anima Chriſti non potuit de potentia abſoluta intelligere aut velle per intellectionem aut voluntatem increatam.q.27. p.218.219.220.
Antiqui Patres quo ſenſu exiſtentiā Chriſti meruerint de congruo? q.18.p 161.
Appetitus in homine duplex eſt.q.37.p.306.
Appetitus rationalis duplici actuum genere exercetur. q.37.p.306.

Beata

B

BEata Virgo meruit dignitatem matris Dei merito, diſpoſitiuo, & merito de congruo impropriè ſumpto. q. 19. p. 168.
Beatitudinis ſupernaturalis, & naturalis dignitas per quid conſtituatur? q. 9 p. 65.
Beatitudini eſſentiali nō eſt contrarius triſtitiæ & doloris ſenſus. q. 28. p. 234.
Beatitudinem quoad ſubſtantiam non potuit Chriſtus mereri ex natura rei. q. 40. pag. 323.
Beneficentia Dei in collatione auxilij inefficacis q. 15. p. 132. Reſpectu reprobi. ibid.
Beneficus quis meritò cenſeri debeat? q. 15. pag. 134.
Bona aliqua ſibi meruit Chriſtus. q. 40. pag. 324.
Bonitas actus optimi, & peſſimi malitia in quo operationum genere inuicem præualeant? q. 9. p. 67.
Bonitas quanta requiratur ad excluſionē mali oppoſiti? q. 6. p. 37.

C

CApacitas mentis in quo maximè elucеſcat? q. 15. q. 119.
Cauſalitas Chriſti meritoria in tempora quamtūlibet diſtantia protenditur. q. 6. p. 34. q. 41. p. 336.
Cauſalitas meriti de condigno quatenus conueniat cum cauſalitate phyſica? q. 10. pag. 76.
Chriſti exiſtentia nullius meriti præmium eſſe potuit. q. 18 p. 157.
Chriſti humanitas quo ſenſu deificetur à Verbo? q. 24 p. 202.

Chriſto repugnat metaphyſicè omnis comminatio culpæ & pœnæ. q.32.p.266.
Chriſtus fuit cauſa finalis primaria Incarnationis. q.13.p.103.
Chriſtus eſt ſeruus Dei ſeruitute naturali. q.33.pag.274.
Chriſtus potuit impedire decretum quod de facto eſt de eius exiſtentia.q.15.p.129.
Chriſtus numquam peccauit, nec de facto peccare potuit. q.29.p.138.
Chriſtus, cur virtutes & dona habuerit? q.26 p.215.
Chriſtus comprehenſiuè cognouit omnia exiſtentia, non verò omnia poſſibilia. q.28 p.230.
Chriſtus patiens quo pacto confortatus fuerit ab Angelo. q.28 p.234.
Chriſtus paſſibilis fuit ex parte corporis & animi. q.31.p.255.256.
Chriſtus fuit indifferens ad actus inæquales. q.31.p.286.
Chriſtus liberè mortem ſubijt.q.35.p.293.
Chriſtus Dominus mereri potuit. quæſt.38. pag.316.& q.40.p.324.325.326
Chriſtus meruit omnia dona gratiæ & gloriæ angelis & hominibus.q.41 p.333.334.
Chriſtus voluntatem ſuam quoad omnia conformauit diuinæ quatenus conſiliatrici. q.37.p.309.
Chriſtus fuit moraliter neceſſitatus ad optima quæque eligenda. q.37.p.309.
Chriſtus venit tempore vniuerſaliter opportuno. q.19 p.169.
Comminatio culpæ & pœnæ eſt de cõceptu præcepti obligantis in cõſcientia. q.32. pag.264.
Comminatio legiſlatiua quid ſit? quæſt.32. pag.264.
Communicatio idiomatum inter Deum & hominem

hominem fundatur in identitate ſuppo-
ſiti. q.23.p.198.
Compoſitio in Chriſto qualis admittenda
ſit? q.20.p.181.
Connexio eſſentialis peccatorum cum do-
nis ſupernaturalibus nihil habet incom-
modi. q.29.p.243.
Connexio vnius rei cum alia in qua pro-
portione & affinitate fundetur? q.6.p.34.
Conueniens aliquid dupliciter dicitur, ne-
gatiuè & poſitiuè. q.1.p.3.
Conuenientius fuit humanitatem aſſumi à
Verbo, quam vllam aliam naturam. q.3.
pag.15.

D.

Decreta diuina admittunt multiplicita-
tem rationis extrinſecam, non verò
realem. q.15.p.116.
Decretum Dei connexum eſſentialiter cum
operatione cauſæ ſecundæ nō nocet eius
libertati. q.15.p.129.
Decretum Dei, non obſtante præſcientia
euentus mali, eſt beneficum reſpectu ac-
cipientis. q.15.p.133.
Decretum præſens Dei ſeipſo eſt futuritio
& non futuritio conditionata omnium
decretorum poſſibilium pro quouis e-
uentu. q.16.p.138.
Deitas humanitatem Chriſti ſanctificat lon-
gè perfectiùs quā gratia habitualis. q.24.
pag.203.
Dei iuſtitia & miſericordia maximè elucent
in Incarnatione. q.2.p.10.
Deo liberum non eſt ſe cognoſcere aut vel-
le minori vniuerſalitate. q.15.p.125.
Deus ante omne ſuum decretum abſolutè
exiſtens nullius ſui decreti futuritionem

conditionatam cognoſcere poteſt. q.16. pag. 144.

Deus non poteſt aliquid velle ſub conditione metaphyſice impoſſibili. quæſt.32. pag.266.

Deus ad meliora magis afficitur. quæſt.13. pag. 103.

Deus perfectam habet indifferentiam reſpectu cuiuslibet obiecti creati. q.4. p.21.

Deus omnia ſcibilia & volibilia complectitur actu ſimpliciſſimo, etiam virtualiter intrinſecè indiuiſibili. q.15. q.119.

Deſolatio ac diuiſio inter homines quot modis induci poſſit? q.3. p.16.

Differentia penes modum ſe habendi in vnione hypoſtatica, vel dicit realem diſtinctionem vnionis, vel ſunt verba ſine re. q.20. p.177.

Diſformitas voluntatis humanæ cum voluntate diuina beneplaciti quãdo ſit intrinſecè mala? q.37. p.307.

Dignitas Chriſti & puri hominis in quo differant quoad vim dignificatiuam operis? q.11. pag.85.

Dignitas infinita Verbi facta eſt propria humanitatis quoad vtilitatem. q.12. p.99.

Dignitas operantis quando augeat valorem operis? q.10. p.73.

Dignitas operantis in quo operationum genere non attendatur? q.10. p.74.

Diſtantia inter duo extrema quando excludat mutuam coniunctionem? quæſt. 1. pag.5.

Diſtinctio rationis purè extrinſeca nihil confert ex ſe præcisè ad verificãdas propoſitiones de rebus vt ſunt in ſe. q. 15. pag. 117.

Diſtinctio virtualis intrinſeca in quo conſiſtat? q.15. p.118.

Dona

Dona gratiæ habent magis rationem finis quatenus ſunt perfectiua hominis, quàm quatenus ſunt medicinalia. q. 13 p. 105.
Dona ſupernaturalia non habent ſecundum ſe rationē gratiæ diſtinctæ à gratia vnionis. q. 6. p. 34.
Donorum ſupernaturalium excellentia cur maxima ſit? q 6. p. 31.
Donum extrinſecum omnium maximum conuenienter datum eſt peccatoribus. q. 2. p 11.
Donum eſſentialiter fructificans accipienti non repugnat diuino dominio. quæſt. 43. pag. 347.
Duratio eſt diſtincta ab actione productiua rei. q. 19. p. 170.

E

EFfectus gloriæ ex qua Dei complacentia proueniat? q. 9 p. 63.
Eleuatio hominum ad finem ſupernaturalē connectitur ex natura rei cum exiſtentia Chriſti, & è conuerſo. q 6. p. 31. 32. 33.
Entitates modales ad quid inſtitutæ ſint à natura? q. 25. p. 208.
Eſſentia diuina eſt motiuum formale adæquatum diuinæ voluntatis. q 15. p. 123.
Exiſtentia rerum naturalium potuit eſſe volita ſine exiſtentia Chriſti. q. 5 p. 26.
Exinanitio Verbi diuini non contemptum, ſed venerationem ex ſe induxit, q. 1. pag. 6.

F

FAciens quantum poteſt non ſatisfacit toti obligationi contractæ per peccatum. q. 9. p. 64.

Fides eſt fundamentum omnium virtutum in ſolo viatore. q.26.p.216.
Fides & Spes cur in Chriſto non fuerint? q.26. p.216.
Filiatio perfecta reſpectu hominis cur exigat opera ſummè placentia patri? q.34. pag.288.
Ratio diſcriminis quoad hæc reſpectu Dei. ibidem.
Fine deficiente deficit operatio.q.16.p.138.
Fines inuicem ſeparabiles non intenduntur à Deo decretis inuicem ſeparabilibus. q.15.p.128.
Finis Incarnationis cur vt plurimum ſignificetur in ordine ad deletionem peccatorum? q.13 p.105.
Finis præcipuus Incarnationis, non tamen adæquatus, fuit remedium peccati. q.13. pag.104.
Finitũ quomodo poſſit peruenire ad æqualitatem cum alio finito? q.5 p.58.
Fomes peccati in Chriſto eſſe non debuit. q.31. p.254.
Forma incõpoſſibilis cum peccato nõ ſemper ſanctificat ſubiectum cui ineſt. q 25. pag 209.

G

Gratia habitualis eſt perfectior vnione hypoſtatica ſecundum ſe.q.25.p.210.
Gratia habitualis neceſſariò ponenda eſt in Chriſto. q.26.p.214.
Gratia ſanctificans conſtituit intrinſecè valorem operis meritorij. q.10.p.72.
Gratia vnionis eſt quid maius quàm beatitudo puræ creaturæ. q.18 p.157.
Gratiæ intenſio infinita non ſufficeret vt pura creatura ſatisfaceret ad æqualitatẽ pro peccato lethali. q 9.p.69.

Habi-

H

HAbitus caritatis fuit in Chriſto eiuſdē ſpeciei cum noſtro. q.26.p.214.
Homines lege naturali tenentur ad mutuū iuuamen. q.35.p.295.
Homo eſt Deus : eſt omnipotens &c. Deus eſt homo : eſt patiens : immortale moritur &c. Sunt veræ propoſitiones. q.23.p.196.
Homo vt homo eſt Deus, cur falsò dicatur? ibidem.
Humanitas Chriſti nullam paſſa eſt violentiam ob defectum ſubſiſtentiæ connaturalis. q.3.p.15.
Humanitas Chriſti cur infra Deum ſit ſummè ſancta? q.24.p.201.
Humanitas Chriſti quatuor ſcientiarum generibus inſtructa fuit.q.28.p.227.& ſeq
Humanitas ſemel aſſumpta à Verbo diuino, dimitti nunquam poteſt. q.43.p.345.

I

INcarnationis poſſibilitas, cur oſtendi nō poſſit ratione naturali? q.1.p.3.
Incarnatio Verbi fuit maximè conueniens reſpectu Dei conuenientia decentiæ, & laudabilitatis. q.1.p 4.
Etiam ex ſuppoſitione peccati. q.2.p.10.
Incarnationis myſterium à Deo peractum, eſt cum omnimoda libertate. q.4.p.21.
Incarnationis executio peperit titulum laudis gratificantis non verò magnificientis. q.4.p.22.
Incarnatio peracta eſt cum ſolius naturæ creatæ immutatione. q.1.p.5.
Incarnatio neceſſaria fuit ex natura rei ad abolitionem peccati. q.7.p.36.

Incarnatio Verbi futura ſecluſo peccato, defenditur problematicè. q. 17. p. 147. 151. Maior tamen animi propenſio in ſententiam affirmantem. q 17. p. 153.
Inclinatio ad aliquod bonum alia eſt purè approbatiua, alia lucratiua. q. 4. p 21.
Indifferentia & determinatio eiuſdem ad idem identificari non poſſunt adæquatè. q. 20. p. 178.
Indifferētia Chriſti ad mortem eſt incompoſſibilis cum præcepto obligante ad illam in conſcientia. q. 36. p. 299.
Indifferentia qualis Deo conueniat circa diuerſas rerum circumſtantias? quæſt. 16. pag. 142.
Iniuria illata Deo cur nō niſi Deo præoperante auferri poſſit? q. 7. p. 37.
Intelligere intellectione increata non poteſt, qui non eſt capax comprehenſionis diuinæ. q 27. p 221.
Intentio & operatio diuinæ ex quo capite poſſint deficere & variari? q. 16. p 139.
Iudicium humanum cur discrepet à diuino in præmijs & ſupplicijs diſtribuendis? q 9 pag. 56.
Iuſtitiæ diuinæ ordo non impedit remiſſionem pœnæ debitæ pro peccato. quæſt. 2. pag. 10.
Iuſtum poſſe peccare in ſenſu diuiſo iuſtitiæ, quo ſenſu verum ſit? q. 39. p 300.

L

Laudabilitas cuiuſque ac reprehenſibilitas vnde æſtimari debeat? quæſt. 34. pag. 287.
Laudabilitas dupliciter reſpectu alicuius uci poteſt. q 1. p. 3.

Legis diuinæ & humanæ vt humanæ diſcrimen duplex. q 9.p.61.
Legis vel mandati nomine non ſemper ſignificatur obligatio in conſcientia.q.32. pag.271.
Libera electio in Chriſto fuit abſque præcõſiliato formaliter ſumpto q.33.p.280.
Libertas ad actus omnino æquales non ſufficit ad meritum. q.34.p.285.
Libertas diuina nullius eſt capax neceſſitatis moralis antecedentis, ex vlla re creata. q.4.p 20.
Libertas indifferentiæ fuit in Chriſto,q.33. pag.278.
Libertas indifferentiæ eſt requiſita ad merendum. q.33.p.279.

M

Malitia maior vel minor ſex modis cõtingit. q 8.p 41.
Malitia peccati lethalis eſt finita ſimpliciter. q 8.p.43.
Malitiam peccati infinitam eſſe ſub vna formalitate, & finitam ſecundum aliam formalitatem perperã aſſeritur. quæſt.8. pag.45.
Malitia peccati lethalis eſt imcompenſabilis per opera bona puræ creaturæ. q.9. pag.56.
Malitia rerum vnde menſuretur? q.8.p.41.
Meriti natura exponitur. q 38.p.314.
Meriti varia vſurpatio. q.19.p.166.
Merita Chriſti valorem extenſiuum in actu ſecundo habent finitum. q.11 p.83.
Valor autem eorum intenſiuus in actu ſecundo & extenſiuus in actu primo fuit ſimpliciter infinitus. q 11.p 84.

Meriti magnitudo pluribus modis conſideratur. q. 1. p. 82.
Meritis Chriſti negari non potuit vllum præmium efficaciter intentum. quæſt. 43. pag. 344.
Meritum diſpoſitiuum propriè tale, & meritum impetratorium impropriè tale fuit in B. Virgine reſpectu maternitatis, & in antiquis Patribus reſpectu circumſtantiarum Incarnationis. q. 19. p. 167.
Meritum purè creatum inducere non poteſt præmium pro tempore antecedenti ad exiſtentiam ſui, ſicut meritum Chriſti. q. 41. pag. 336.
Miracula non ſunt contra naturam elemẽtorum & mixtorum. q. 3. p. 18.
Miraculoſi euentus cur mirabiles cenſeãtur? ibidem.
Miſericordia Dei quo ſẽſu dicatur *ſuper omnia opera eius*? q. 5. p. 28.
Mors Chriſti fuit ſolum volibilis in ratione medij ad ſalutem noſtram neceſſarij. q. 35. p. 295.
Mors Chriſti fuit neceſſaria ſolum neceſſitate conſequentis. q. 35. p. 297.
Motiuum formale adæquatũ viſionis beatificæ quodnam ſit? q. 21 p 185.
Multiplicitas realis aut virtualis intrinſeca decretorum nulla admittẽda eſt in Deo. q. 15. p. 116.
Multiplicitas rationis extrinſeca decretorũ datur in Deo. q. 15. p. 117.
Multiplicitas obiectorum materialium nihil confert ad multiplicitatem intrinſecam actuum Dei liberorum. q. 15 p. 122.

Natura

N

Natura aſſumenda à Verbo diuino eſſet impeccabilis ante aſſumptionem. q.30.p.247.
Natura ſemel aſſumpta, ſi per poſſibile vel impoſſibile dimitteretur, peccare poſſet. q.30. p 248.
Natura irrationalis aſſumi à perſona diuina non poteſt. q.22.p.191.
Naturæ & ſuppoſiti legitima expoſitio. q.21.pag 183.
Naturæ duæ ſimul aſſumptæ, (ſi darentur, inuicem nõ repugnarent operando. q.11. pag.92.
Neceſſitas antecedens reſpectu mortis in Chriſto admitti nullo pacto poteſt. q.35. pag.295.
Neceſſitas naturalis interponendi cauſas ſecundas vnde proueniat? q.7.p.37.
Neceſſitatem aliquid faciendi Deus ſibi imponere poteſt. q.11.p.88.
Notitia qualis Chriſto Domino attribuenda ſit? q 28 p.227.

O

Obligatio obſequendi creaturæ reddit obſequium minùs æſtimabile. q.10. pag.74.
Obſequia omnia creaturæ ſunt Deo ſummè debita. q 9.p.57.
Obſequium quò magis debitum eſt, eò negatur iniquiùs. ibidem.
Offenſæ magnitudo vnde menſuretur? q.8. pag.45.
Opera mala hominis continent adæquatè
ſua

ſua dignitate effectum reprobationis, nõ verò bona effectū beatitudinis. q.9.p.64.
Operationes beatificæ cur ſint meliores meritorijs? q.39.p.322.
Operationes Chriſti cur Theandricæ nominentur? q.27.p.224.
Operationes Chriſti meritoriæ fuerunt omnes propriæ viatoris. q.39.p.321.
Operi apud Deum meritorio quatuor conditiones ineſſe debent. q 38.p.314.315
Ordo prioris & poſterioris in rebus creatis non arguit ſimilem ordinem in decretis Dei. q.15.p.130.131.
Ordines intentionis & executionis non ſunt diſtinguēdi in diuinis decretis.q.15.tota.

P

Peccare Chriſtus non potuit in ſenſu cōpoſito Vnionis hypoſtaticæ, nec in ſenſu diuiſo eiuſdem. q.29.p.240.
Peccati ineligibilitas vnde proueniat? q.8. pag 48.
Peccato lethali ineſt vis impeditiua bonorum interminata. q.9.p.56.
Peccatum auferri de potentia abſoluta potuit abſque Incarnatione. q.7.p.35.
Peccatum lethale plus aufert quàm reponat actus caritatis. q.9 p.59.
Peccatum originale & perſonale ſe habent vt excedens & exceſſum. q.14.p.108.
Peccatum philoſophicum ac ciuile eſt incomparabiliter minus Theologico. q.9. pag.69.
Peccatum veniale cur ſit compenſabile ad æqualitatem? q.9.p.67.
Peccatum quandocumque eſt impoſſibile ex natura rei, eſt etiam impoſſibile de potentia abſoluta. q.29.p.239.

Perſonalitas ſanctificat humanitatem Chriſti ipſa ſanctitate diuinitatis q.24 p.204.
Photini error circa Chriſti hypoſtaſim. q 18. pag. 158.
Pluribus intentus cur minor eſt ad ſingula ſenſus? q.28.p.232.
Pœna peccati lethalis non eſt infinita ſimpliciter. q.8.p.45
Poteſtas homini data eſt maior ad bonum quàm ad malum. q.9.p.64.
Poteſtas nihil merendi in Chriſto ſeparari non potuit à poteſtate aliquid merendi. q 42. pag.341.
Poteſtas petendi diſpenſationem à præcepto, non ſaluat Chriſti indifferentiam cum tali præcepto. q.36.p.302.
Poteſtas præmiandi in Deo eſt maior poteſtate merendi in homine. q.11.p.88.
Præceptorum nomine, dū de Chriſto ſermo eſt, intelligenda ſunt diuina conſilia. q.32.p.269.
Præceptum non inducit phyſicam neceſſitatem, ſed moralem obligationem. q.36. pag. 302.
Præmio cur maius bonum inſit quàm meritis, & è contra minus malum ſit in pœna, quàm in peccato? q.9.p.62.
Principium meriti cur non cadat ſub meritum? q.18.p.157.
Proportionalitas actuum noſtrorum cum obiecto ſimpliciter infinito non eſt arithmetica, ſed geometrica & ſimilitudinaria tantùm. q.8.p.46.
Propoſitiones negatiuæ apud Scholaſticos atque in ſtylo dogmatico non eandem ſemper vim retinent. q.17.p 149.
Prouidentia Dei cur abſtinere poſſit ab infligenda pœna, non autem à dando præmio. q.2.p.11.

Prouidentiæ diuinæ vniuerſalitas exponitur. q.15.p.126.
Punire citra condignum, & præmiare vltra condignum quo ſenſu Deo conueniat? q.8.p.47.

Q

QVæſtio de Incarnatione Verbi futura ſecluſo peccato eſt parui momenti ex D.Thoma. q.17.p.147.
Quantitas æſtimationis in præmio & obſequio non perinde prouenit ex dignitate dantis & obſequentis. q.10.p.77.
Quantitates incommenſurabiles ſecundum totum, ſunt incommenſurabiles ſecundũ partem. q.9.p.58.

R

REgni diuiſio non quælibet eſt deſolatoria. q.3.q.16.17.
Regula ad diſcernẽdos defectus aſſumptos & reiectos à Chriſto. q.31.p.254.
Remedium peccati originalis omitti à Deo potuit. q.5.p.27.
Remedium peccati originalis fuit principaliùs intentum per Incarnationem quã remedium actualium. q.14.p.109.
Remiſſio peccati quomodo in ſtatu puræ naturæ haberi potuiſſet? q.9.p.53.
Remuneratoris dignitas cur non auget valorem præmij? q.10.p.77.
Res naturales non ſunt media intrinſecè ordinata ad Chriſtum. q.5.p.26.
Res creatæ non poſſunt eſſe motiuum formale vllius actus diuini. b.15.p.123.
Reuelatio Incarnationis Angelis facta non probat decretum vllum præciſiuum Dei. q.17.p.154.

Sancti-

S

Sanctitas infinita diuinitatis ſanctificat finitè humanitatem Chriſti. q 24. p. 205.
Sanctitas Verbi immediatè dignificat opera humanitatis. q. 11. p. 86.
Sanguis verus immediatè & ſecundum hypoſtaſim aſſüptus fuit à Verbo. q. 22. p. 189
Satisfactio æqualis pro peccato lethali à pura creatura poni non poteſt. q 9. p. 55.
Satisfactio exhibenda à peccatore cur neceſſaria ſit? q. 11 p. 89.
Satisfactio Chriſti æſtimanda eſt à quolibet tanquā pro eo ſolo exhibita. q. 14. p. 109.
Satisfactio Chriſti quo ſenſu ſuperabūdans fuerit? q 11 p 88.
Satisfactionem Chriſti eſſe ex iuſtitia commutatiua non repugnat ſpeciali ratione. q. 12. p. 96.
Separabilitas abſoluta finium intentorum à Deo non fauet multiplicitati decretorum. q. 15. p. 128.
Seruitutis expoſitio. q. 33. p. 274.
Seruitus non habet ſibi neceſſariò annexā capacitatem obligationis in conſcientia. q 33. p. 274.
Scientia conditionata Dei de eius decretis ante omne decretum abſolutum noceret ipſius libertati. q. 16. p. 143.
Non quælibet ſcientia conditionata eſt cōpoſſibilis cum exiſtentia abſoluta euentus præcogniti. ibid.
Scientia media non eſt vtilis ad tuendam libertatem arbitrij, quando hypotheſis poſita in ſtatu conditionato non retinetur in ſtatu abſoluto. q 36. p. 30?
Scientia per ſe infuſa, acquiſita & experimentalis tribuenda eſt Chriſto. q. 28. p. 228, 230, & 231.

Scientia

Scientia viſionis de meritis Chriſti abſolutè exiſtentibus non requiritur vt Deus vellet peccati remiſſionem propter merita. q.15.p.129.

T

Theſaurus meritorum Chriſti quo ſenſu dicatur infinitus? q.11.p.93.
Timor ſeruilis repugnans Chriſto. q.26. p.206. Item timor culpæ & pœnæ. q.32. pag.267.
Triſtitia partis ſuperioris & inferioris à Chriſto per nouum miraculum electa fuit. q.28.p.234.

V

Valor monetæ cur à Principe deſignari debeat? q.10.p.76.
Valor operis meritorij creſcit ex dignitate operantis. q.10.p.73.
Vbicatio diſtinguitur ab actione productiua rei. q.10 p.170
Verbum diuinum aſſumpſit totam eſſentialiter naturam humanam, non autem perſonam. q.22.p.188.
Verbum caro fieri non potuit, quin aliquid fieret diſtinctum ab humanitate & Verbo. q.20.p.174.
Verbum cur caro potius quàm anima factũ eſſe dicitur? q.22.p.192.
Veritas conditionata alicuius euentus quãdo poſſit coniungi cum veritate abſoluta eiuſdem. q.16.p.143.
Vilitas reddens difficile opus heroicum qualis ſit? q.9.p.60.
Virtutes omnes & dona compoſſibilia cum beatitudine fuerũt in Chriſto. q.26.p.215.
Virtu-

Virtutum diſpar conditio & vſus in Viatore & Beato. q 26 p.216.
Vis delectiua offenſæ quomodo conueniat dilectioni Dei. q.9.p.59.
Viſio beata fuit maximè debita humanitati aſſumptæ. q.28.p.227.
Viſio Dei immediata neceſſariò direxit omnes Chriſti electiones. q.39.p.320.
Viſio immediata naturæ diuinæ dari non poteſt, quin detur viſio immediata perſonarum. q.21.p.185.
Viſio beata pro obiecto formali immediato quid habeat. q.28.p.227
Vis meritoria operum Chriſti æquiparatur actiuitati phyſicæ omnipotentiæ diuinæ q 11.p.85 & q 41.p 331.
Vnio faciens vnum per ſe quomodo Verbo diuino conueniat? q.1.p.7.
Vnio hypoſtatica eſt ſummè conueniens creaturæ. q.3.p.15. Nullatenus tamen ei debita. q.5 p.25.
Vnio alia hypoſtatica non poteſt eſſe præmium meriti Chriſti. q.11.p.91.
Vnio hypoſtatica eſt modus realiter diſtinctus ab extremis. q.20.p 175.
Vnio hypoſtatica facta eſt in perſona, non verò in natura diuina. q.21 p.184.
Vnio hypoſtatica eſt immediatè incompoſſibilis cum peccato. q.29.p.239.
Vnio hypnſtatica per ſeipſam non ſanctificat vt quod. q.25.p 208.
Vnio hypoſtatica quorum prædicatorum communicationem fundet inter Deum & hominem? q.23.p.155.
Vnio hypoſtatica vtrumq; extremũ æqualiter vnit, non autem æqualiter immutat. q.24 pag.204.
Vniones hypoſtaticæ partiales duæ tantum admitti debent. q.20.p.180.

Volun.

Voluntas diuina ſigni impropriè voluntas dicitur. q 37.p.308.
Voluntas humana Chriſti quomodo difformis eſſe potuit voluntati diuinæ. q.37. pag.307.
Voluntas in Deo altera ſigni, altera beneplaciti. ibidem.
Voluntatum diſcrepantia quando perfectioni amicitiæ repugnet? q.37.p.311.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.